P. Joannes B. Ferreres, S. J.

INSTITUTIONES CANONICAE

SUBIRANA - BARCELONA

BIBL. STUD.
O. F. M.
CALIFORNIA

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/institutionescan0000pjoa

INSTITUTIONES CANONICAE

INSTITUTIONES CANONICAE

JUXTA NOVISSIMUM CODICEM PII X

A BENEDICTO XV PROMULGATUM

JUXTAQUE PRAESCRIPTA HISPANAE DISCIPLINAE
ET AMERICAE LATINAE

AUCTORE

P. JOANNE B. FERRERES, S. J.

DE LICENTIA ORDINARII LOCI AC SUPERIORUM ORDINIS

TOMUS I

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library

EUGENIUS SUBIRANA, PONTIFICIUS EDITOR
IN VIA DICTA PUERTAFERRISA, 14-BARCINONE-1917

PROPRIETAS LITTERARIA

#486

O. F. M.
CALIFORNIA

21216.—Ex Typis Eugenii Subirana

INTEMERATA VIRGO DEIPARA

CVIVS IN ALMO PECTORE

ILLVSTREM SAPIENTIAE SVAE SEDEM ·

VERBVM PATRIS

LOCAVIT

VT QVIDQVID EDIDI ANTEHAC

TVO NOMINI SANCTISSIMO

DEDICAVI

SIC HASCE «INSTITVTIONES CANONICAS»

IVXTA NOVISSIMAM ECCLESIAE DISCIPLINAM

IVSSV BENEDICTI PP. XV PONT. MAX.

PROMVLGATAM

TVA OPE PRAESENTISSIMA CONFECTAS

TIBI SACRATAS PROFITEOR

TV MIHI AD IESV CHRISTI GLORIAM ELABORANTI

ADERIS FAVEBIS

CLIENTI TVO

PRAEFATIO

Jam pridem statueramus textum *Institutionum canonicarum* (quas ab annis fere viginti explicamus) in scholis praelegendum scribere, in quo vigens disciplina, sive generalis in tota Ecclesia sive peculiaris in Hispania et America latina, traderetur. Propositum tamen differre necesse fuit ex quo intelleximus Pium X decrevisse Codice totius juris canonici Ecclesiam ditare: negotium sane arduum, sed tanto Pontifice dignum, quale nullum aliud exemplum in universa historia canonicae legislationis occurrit.

Eximium hoc consilium ad felicem exitum perductum videre Pio X non est datum; sed ejus successori Benedicto XV, Deus hanc gloriam reservatam voluit. Qui manum ultimam admovens huic operi egregio (quod est monumentum legislationis ecclesiasticae majestate plenum), ante expletum annum tertium assumptionis suae ad supremi Pontificatus apicem, optatissimum Codicem promulgavit.

Statim atque ad nos Codex pervenit, *Institutionibus* scribendis accincti sumus non sine aliqua haesitatione, inde orta quod intra tempus brevissimum perficiendae erant, viribus nostris satis jam fractis.

Opere autem conscribendo non parum levaminis nobis attulerunt commentaria quae antehac de diversis ipsius Codicis materiis scripseramus, quas superioribus annis Romanus Pontifex, quasi Codicis praenuntios ac libamenta, publici juris fecerat. Hujusmodi commentariis, amplioribus quam natura *Institutionum* patiatur, tum professores tum etiam insigniores discipuli juvari poterunt.

Nova commentaria alias materias, Deo favente, magis explanabunt.

In I volumine, quod librum praeliminarem complectitur et duos Codicis priores, quibus ea omnia quae majoris sunt momenti magisque *Institutionum* propria continentur, introductionem in Codicem et breve commentarium in universam materiam illorum librorum tradendum curavimus, nullo titulo nulloque canone praetermisso.

In II autem volumine, quod tres posteriores libros complectitur, tum propter *Institutionum* indolem, tum ne limites nobis praefixos transgrederemur, necesse fuit omittere ferme omnia de re Sacramentaria, quae magis ad Theologiam moralem pertinent et in nostro Compendio, tam in latina editione quae magna ex parte jam typis cusa est, quam in editione hispana, quae brevi edetur, satis abunde explicata inveniri poterunt.

Non possumus finem facere quin gratias agamus carissimo amico et socio quondam nostro in magisterio, P. Petro Vidal, successori Patris Wernz in cathedra Juris canonici Universitatis Gregorianae, Qualificatori S. Officii, Consultori SS. Congregationum de Sacramentis et Concilii, qui, cum fuerit etiam Consultor Commissionis pro Codificatione, assidue adlaboravit in Codice conficiendo, donec is absolutus est. Res cum illo contulimus difficiliores, eique debetur major pars libri IV nostrarum *Institutionum*, in quo, rogatu nostro, nobiscum collaboravit.

P. Arthurus Cayuela auctor est inscriptionis qua nostras *Institutiones* Virgini Immaculatae dicatas voluimus.

Cum propter temporis angustias hispanas nostras *Institutiones*, latinas reddere non possemus, ut complures postularunt, hoc munus, nobis versionem recensentibus, PP. Paulus Hernández (cujus est versio fere tota I voluminis) et Josephus Llobera libenter susceperunt. His igitur gratias quam maximas agimus, majores etiam habemus.

Ut cognitio Codicis canonici hodie tam necessaria facilior et plenior in scholis haberi possit, etiam nostrum *Compendium Theologiae moralis*, ad normam novissimi Codicis ac disciplinae hispanae, lusitanae atque Americae latinae redegimus, breviter indicando quid scholae Theologiae moralis, quid vero scholae Institutionum reservandum videatur, ut repetitiones quoad fieri possit devitentur.

DISTRIBUTIO MATERIAE

in Seminariis ubi nostrae INSTITUTIONES CANONICAE et nostrum COMPENDIUM THEOLOGIAE MORALIS pro textu habeantur

Quid uni vel alteri scholae tribuendum sit, multum pendet ab adjunctis, utrum scilicet unus idemque sit professor in utraque schola, an diversi; utrum schola Theologiae moralis habeatur eodem anno quo schola Institutionum, an diverso, et utra alteram praecedat; utrum utrique scholae tempus sufficiens sit assignatum, an alterutri tempus insufficiens, etc.

Si unus idemque sit professor utriusque scholae (ut per plures annos nobis contigit), facile materiam ordinabit. Si diversi, collatis inter se consiliis, partitionem facient materiae quae utrique communis aliquo sensu videri possit.

In genere tota materia hujus voluminis in schola Institutionum erit explicanda. Si vero tempus non suppetat, potest relinqui scholae Theologiae moralis materia fere tota libri I, scilicet a n. 138 ad n. 197 et etiam illa de confessariis et cappellanis (a n. 824 ad n. 839) et de clausura (a n. 889 ad n. 900). Quae autem jam sint praeoccupata in una schola, in altera summatim attingantur aut ex toto omittantur.

MOTU PROPRIO BENEDICTI XV

Commissio Cardinalicia sive Consilium permanens ad Codicis interpretationem (1)

(*Acta* X, pag. 483, 484)

Creatio. — Die quinto decimo superioris mensis septembris Benedictus XV suum Motu proprio *Cum juris canonici* promulgavit, quo Consilium permanens sive Commissio Cardinalicia instituitur ad Codicis canones authentice interpretandos.

Constitutio. — Haec Commissio constabit ex aliquot S. R. E. Cardinalibus, quorum unus coetui praeerit; his accedent tum vir probatus, qui sacri Consilii erit ab actis, tum aliquot Consultores ex utroque clero juris canonici periti.

Designatio. — Hi omnes, Patres Cardinales, Praeses, Secretarius et Consultores pontificia auctoritate sunt designandi.

Commissio relate ad Congregationes. — Haec Commissio *a*) *audire debebit* in rebus majoris momenti Sacram eam Congregationem *cujus propria res sit, quae Consilio disceptanda* proponitur, et *b*) ei *jus erit* Consultores quoque Sacrarum Congregationum, pro sua quemque re, sententiam rogandi.

Congregationes et Codex. — *a*) Sacrae Romanae Congregationes *nova decreta generalia* jam nunc non ferent, nisi qua gravis Ecclesiae universae necessitas aliud suadebit. Ordinarium igitur earum munus in hoc genere erit tum curare ut Codicis praescripta religiose serventur, tum *Instructiones*, si res ferat, edere, quae iisdem Codicis praeceptis majorem et lucem afferant et efficientiam pariant. Ejusmodi vero documenta sic conficientur, ut non modo sint, sed appareant etiam, quasi quaedam explanationes et complementa canonum, qui idcirco in documentorum contextu peropportune afferentur.

---

(1) Cum jam jam hujus voluminis impressioni finis imponeretur, ad nos pervenit numerus *Actorum A. Sedis,* auctus *Motu proprio* Benedicti XV, cujus doctrina hic exponitur.

b) Si quando decursu temporum Ecclesiae universae bonum postulabit ut novum generale decretum ab aliqua S. Congregatione condatur, ea ipsa decretum conficiet; quod si a Codicis praescriptis dissentiet, Summum Pontificem de ejusmodi discrepantia monebit.

Congregationes et Commissio. — *a*) Decretum autem a Pontifice approbatum eadem S. Congregatio ad Codicis Consilium deferet, cujus erit ad decreti sententiam canonem vel canones redigere.

b) Si decretum a praescripto Codicis discrepabit, Consilium indicabit cuinam Codicis legi nova lex sufficienda sit. Si in decreto res vertetur de qua Codex sileat, Consilium constituet quo loco novus canon vel novi canones sint in Codicem inserendi, numero canonis, qui proxime antecedit, *bis*, *ter*, etc. repetito, ne canon sede sua moveatur ullus aut numerorum series quoquo pacto perturbetur. Quae omnia statim post S. Congregationis decretum in *Acta Apostolicae Sedis* referentur.

LIBER PRAEVIUS

Introductio doctrinalis et historica

TITULUS I

Doctrinalis introductio

CAPUT I

DE NATURA JURIS CANONICI

ARTICULUS I

DE INSTITUTIONIBUS CANONICIS

1. **Notio.** — Nomine *Institutionum canonicarum* designantur Juris canonici elementa prima, seu Juris canonici compendiosus brevisque tractatus.

Origo. — Nomen autem *Institutionum* ortum ducit ab *Institutionibus* quas imperator Justinianus evulgavit in similem finem, nempe ut ad cognitionem Juris romani tanquam prima elementa adhiberentur.

Ea tamen adest differentia, quod Justiniani Institutiones ab ipso *authentica compilatio* declaratae sunt (1); in Jure autem canonico omnes hucusque editae Institutiones privatam naturam habent.

Scripsit quidem Lancellotti († 1590) saeculo XVI Institutiones canonicas eo fine ut ab Apostolica Sede authenticae declararentur; licet autem in eo magnopere laboraverit, nunquam tamen illud assequi valuit; imo, juxta aliquos, hunc adversum exitum adeo graviter tulit, ut inde mors ejus subsecuta fuerit. Cfr. *Laurin*, Intro-

(1) Quid sit *compilatio authentica* dicetur postea, *tit.* II, *cap.* II, hujus libri, *n.* 63.

ductio in Corpus Juris Canonici, *pag.* 227 (Friburgi Brisgoviae, 1889); *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 1, *n.* 2.

2. **Studium.** — Hucusque, post annum pro Institutionibus Canonicis perdiscendis, in quo singulae lectiones singulis diebus responderent, alii duo cursus annui, habita in singulis duplici lectione diurna de Jure Decretalium, requirebantur. In posterum, hic ultimus duplex cursus Codicis Canonici expositioni attribuendus erit.

3. **Finis.** — *Institutiones canonicae* universi Juris canonici notitiam compendiosam subministrabunt, saltem circa partes ejus praecipuas, omissis prolixioribus discussionibus, longisque historicis excursibus, quae subsequentibus annis reservantur. Nonnullae item materiae, ut, ex. gr., quae ad matrimonium spectant et ad censuras, solent ad Theologiae Moralis scholam vel ad subsequentes juris canonici cursus remitti.

4. **Praesentium Institutionum ordo.** — Quia vero plures ex his qui Institutionibus student saepe Juri canonico ulterius vacare non solent, ideo in rebus potioribus aliquantulo amplius immorabimur, licet in aliis sobrietatem Institutionum propriam potius sectemur.

Propositum enim nobis est ut praesentes Institutiones introductio ad Codicis canonici notitiam et ejusdem simul Codicis interdum brevior, interdum longior sint commentarius, prout rerum gravitas aut utilitas requiret. Cum vero ad utrumque finem Codicis ordini insistere peropportunum sit, praedictum ordinem sequemur, qui quidem nostra sententia, sicut logicae apprime congruit, ita etiam magno cum fructu in docendo applicari potest (1).

Plurimae autem ex his rebus quae hic tradentur, vel a nobis jam expositae, vel in posterum, Deo favente, exponentur peculiaribus commentariis amplioribus, qui et lectoribus et insigniter studiosis alumnis ad pleniorem notitiam hauriendam usui esse possint.

---

(1) Cum sub data 19 martii 1904 Pius X opus Codicis redigendi decrevisset, scripsimus in periodico folio *Razón y Fe, vol.* 9, *pag.* 368, *n.* 69: «Valde optandum esset ut legalis ordo novi Codicis adeo logicus sit, ut in scholae praelectionibus et in libris didacticis adhiberi possit, idque non in studiis amplioribus tantum, sed etiam in ipsis Institutionibus: quod efficaciter ad perfectiorem juris cognitionem juvabit.» Accepto autem Codice, diximus, nostro judicio, id ita peractum esse (*Razón y Fe,* aug. 1917, *vol.* 48, *pag.* 505, *n.* 11).

Ordinem igitur Codicis in nostris Institutionibus amplecti statueramus: cum vero scripta juxta hunc ordinem jam longius processissent, magnopere gavisi sumus propositum nostrum optatis Summi Pontificis plane congruere, prout videre est in fasciculo *Actorum A. Sedis,* aug. 1917, in epistola Benedicti XV ad Cardinalem Patriarcham Venetum, ubi haec leguntur: «Qua in re volumus, ita juris canonici disciplinam in posterum tradatis, ut Codicem, prouti evolvitur, gradatim commentata oratione declaretis: neque enim Nobis probabitur quicumque, excurrendo, ingenio nimis indulserit suo, discipulosque, a via jam nunc expeditiore deflexos, in tricas vel in difficultates conjecerit.» *Acta A. Sedis, vol.* IX, *pag.* 382.

ARTICULUS II

DE JURE IN GENERE

5. **Juris notio.** — Vocabulum **jus** objective interdum sumitur, et significat *id quod justum est*, seu aequitati naturali conforme (1); atque haec est ejus fundamentalis et origini verbi accomodata significatio.

Sensu pariter objectivo *legem aut complexum legum* significat; et peculiariter *complexum legum quo societas integra regitur*, ut in loquutionibus, *jus romanum, jus hispanum, jus ecclesiasticum*, manifestum est (2).

Denique sensu subjectivo significat facultatem moralem inviolabilem aliquid possidendi aut exigendi, actionem faciendi aut omittendi, ut cum dicitur, *jus proprietatis, testandi jus* (3), itemque *jus cognationis*, seu facultas quae a lege ad hoc aut illud faciendum aut exigendum tribuitur ob cognationem cum aliqua persona (4).

In praesenti opere jus maxime secundo sensu adhibetur (scil. pro *jure praeceptivo*), hic est enim sensus in disciplina juris communiter usitatus.

6. **Jus quatenus scientiae objectum est.** — Jus, ut civilis aut canonicae scientiae objectum spectatum, ita definiri solet: *Complexus seu systema legum quibus societas aliqua regitur circa propriam constitutionem, conservationem et media quibus finem suum consequatur.*

7. **Aequitatis notio.** — *Aequitas*, si primaria et fundamentali acceptione consideretur, idem est ac jus, seu naturalis justitia,

---

(1) *Justum* in hac acceptione non sumitur sensu generico officii *moralis* hominis erga Deum, erga seipsum et erga ceteros homines; sed in speciali sensu *rectae ordinationis hominum ad invicem et ad societatem*, prout est objectum virtutis *strictae justitiae* (*commutativae, legalis et distributivae*), ideoque comprehenditur illo charactere virtutis justitiae a S. Thoma enuntiato, quod scil. sit virtus *ad alterum* (2-2, *q.* 57, *a.* 1; *q.* 58, *a.* 2; *q.* 80).

(2) Haec secunda acceptio a prima et originaria jam exposita derivatur: est enim de essentia legis ut sit *regula justi*, et ideo omnes intelligunt *jussum* seu praeceptum verae legis esse *justum*, quia lex vera solum praecipere potest ea quae sunt justitiae naturali conformia, vel saltem ei non repugnant, sed sunt indifferentia, ita ut, accedente praecepto legis ob rationalem causam, ad sphaeram justitiae introducantur. Nunquam enim injustum in se fieri potest justum, quamvis ab aliqua sic vocata lege praecipiatur. *S. Thom.*, 2-2, *q.* 57, *a.* 2, *ad* 2. — Juxta hanc acceptionem dicitur sententia judicis *facere jus inter partes* (*jus dicere, juris-dictio*): est namque sententia velut lex particularis, aut legis applicatio ad materiam aut casum particularem.

(3) Licet *jus* in hac acceptione potestatis moralis expressam dicat relationem subjecto cui tribuitur, est tamen simul realiter objectivum, ideoque intime connectitur cum objecto justitiae: hoc enim objectum etiam complectitur facultatem seu potestatem hominis ad quod refertur. Vid. *Meyer*, Institutiones juris naturalis, *vol.* I, *n.* 432 *seq.*

(4) «Non significat ipsam cognationem, sed moralem actionem seu facultatem quae ex ipsa nascitur.» *Suárez*, De legibus, *lib.* 1, *cap.* 2, *n.* 5.

id est, justitia juxta rationis naturalis judicium. Quo sensu aequitas est origo et regula juris scripti (1).

8. Alius sensus hinc derivatus ei tribui solet, quo epikejae quodammodo aequivalet, et significat benignam interpretationem seu moderationem juris scripti, contra litteram quidem legis, sed juxta mentem legislatoris, factam in iis extraordinariis casibus in quibus legis observatio aut applicatio ad litteram facta, aequitati naturali contraria evaderet.

Tunc dicitur judex procedere, non *juxta strictam vim juris*, sed *ex aequo et bono*, idque est jus ex intentione legislatoris custodire, ita ut contrarium facere esset jus ipsum violare, prout loquitur Justinianus (2). Quo sensu aequitas juri stricto (scripto nempe) opponitur, et jus ab ea corrigendum esse dicitur.

9. **Juris divisio.** — Pluribus modis jus dividitur. *a*) Ratione formae promulgationis potest esse *naturale* aut *positivum; b*) ex potestate unde oritur, *divinum* aut *humanum*, et hoc quidem *c*) *ecclesiasticum* aut *civile; d*) ex materia in qua versatur, *politicum*, *civile*, *poenale*, *processale*, etc.; *e*) ex amplitudine territorii in quo obligat, *generale*, *regionale*, etc.

ARTICULUS III

DE NATURA JURIS CANONICI

10. **Notio.** — Nomine *Juris canonici* significatur complexus legum quae ad Ecclesiae catholicae constitutionem, regimen aut disciplinam ordinandam, a Deo aut ab ecclesiastica potestate latae sunt.

11. **Nominis origo.** — Jus canonicum a vocabulo graeco κανών nomen accepit, quo leges ecclesiasticae designantur, ut appareat scopum Ecclesiae potius esse ut fideles spiritu amoris et persuasionis moveantur, quam timore poenarum, licet has etiam imponat.

Dicitur etiam *ecclesiasticum*, eo quod ab ecclesiastica potestate maxima ex parte procedat; *sacrum*, quia communem cum Ecclesia finem habet, videlicet, animarum sanctificationem. Vocatur etiam *pontificium*, quia a Summo Pontifice praesertim emanat, secundario autem ab Episcopis, qui et ipsi, ut tales, licet non summi, Pontifices tamen sunt.

---

(1) L. 91 ff. de Reg. juris: *In omnibus, maxime tamen in jure, aequitas spectanda est.*

(2) Cod. de Leg.: *Non dubium est in legem committere eum qui, verba legis complexus, contra legis nititur voluntatem.* Vid *Suárez*, De legib., *lib.* 1, *c.* 2, *nn.* 9 *et* 10; *lib.* 6, *c.* 6, *n.* 5. Atque ita Innocentius IV, *lib.* 2, *tit.* 14, *c.* 3, in 6.° ait: «Cum nonnulla pro utilitate communi contra juris asperitatem ex aequitatis mansuetudine tolerari noscantur.»

12. **Jus canonicum ut scientia**. — Hoc sensu definiri potest: *Scientia legum quae ad Ecclesiae catholicae constitutionem, regimen aut disciplinam ordinandam, a Deo aut ab ecclesiastica potestate latae sunt.*

Vox *scientia* significat in genere certam et evidentem veritatum cognitionem per demonstrationem deductam; adeoque, nostro casui applicata, erit *systema conclusionum e principiis canonicis per illationem demonstratarum.* Vocantur autem *principia canonica* eae veritates quae, cum juris canonici velut fundamenta sint, simul sunt per se evidentes, vel in Theologia conclusiones demonstratae.

13. **Juris canonici in publicum et privatum divisio.** — Duplicem in partem dispesci potest jus canonicum, quae *Ecclesiae catholicae jus publicum* seu *constituens*, ejusdemque *jus privatum, constitutum* aut *administrativum* dici possunt.

Jus publicum seu constituens includit complexum legum divinarum et ecclesiasticarum, quibus Ecclesia in se ipsa *quantum ad potestatem* et *ad subjectum* quo talis potestas exerceri potest *constituitur; jus* vero *constitutum* seu *administrativum* est complexus reliquarum legum, quibus Ecclesia per subjectum idoneum *regimen* exercet juxta triplicem societatis perfectae functionem, legiferam scilicet, judicialem et coërcitivam.

Ad primam partem maxime liber II Codicis; ad secundam vero tres ultimi libri ejusdem Codicis referuntur. Primus autem liber principia solummodo fundamentalia pro reliquis omnibus continet. Cfr. *Wernz, vol.* 1, *n.* 50, *d*); *Sanguineti, nn.* 44, 134.

Interdum nomine *juris publici* designantur tantum eae leges divinae quae Ecclesiae constitutionem sanciunt, quo sensu tota ea pars libri II excluditur quae ab ecclesiastica potestate statuta fuit. *Wernz, ibid.*

14. **Juris canonici objectum.** — Fidem, bonos mores et disciplinam habet Jus canonicum pro objecto. Quia vero haec omnia etiam objectum Theologiae dogmaticae et moralis constituunt, idcirco ita distinguendum est: *Dogmatica* Theologia de his agit quatenus cum regula fidei consonant circa veritatem; *moralis*, quatenus cum regula moralitatis conveniunt circa bonitatem vel malitiam moralem, praesertim in foro interno; *jus* vero *canonicum*, quatenus externum et socialem Ecclesiae ordinem respiciunt, consequenter autem et peculiariter, quatenus in foro externo jubentur aut prohibentur, simulque poena ecclesiastica transgressoribus decernitur. Cfr. *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 1, *n.* 57; *Sanguineti*, Instit., *n.* 45.

ARTICULUS IV

JURIS CANONICI PRAESTANTIA

15. — Jus canonicum disciplina est summi momenti inter facultates superiores, utpote quae leges doceat quibus regitur societas inter omnes, quae in decursu saeculorum apud homines fuerunt, augustissima: insignis quidem duratione, quoniam vitam jam undeviginti saeculorum exegit, et usque in finem mundi perseveratura est, dum reliquae societates, etiam robustissimae, pereunt et dissolvuntur, novisque aliis locum dant, quae fluxae pariter et fragiles sunt sicut priores; insignis territorii vasta extensione, quippe quae mundum universum comprehendit, cum ceterarum quaelibet, etiam ex grandioribus, brevem tantum illius partem occupet; insignis praesertim ob influxum ejus in emendandis judiciis omnium nationum, circa originem, dignitatem et aequalitatem inter omnes homines, itemque ob servitutem abolitam, et ob antiquam culturam inter barbaras nationes conservatam, dum interea mores hujusmodi populorum molliret, eosque lumine fidei illustraret; insignis denique quia immensam silvestrium gentium multitudinem ad vitam ordinatam attraxit, viam ipsis regenerationis aperiens, et legibus suis in doctrinas juridicas omnium societatum beneficum influxum exercens.

16. — Hinc apparet juris canonici notitiam praestantissimam et necessariam esse, non solum clericis, de quibus ita pronunciat Leo XIII, eos qui Juris canonici expertes sint, velut milites esse altero brachio orbatos; verum etiam judicibus, advocatis, deputatis, senatoribus, omnibusque iis qui potestatem publicam exercent; itemque historicis et omnibus fidelibus qui Ecclesiam defendere exoptant: passim namque, tum in communi vita, tum in publicis coetibus et in historicis investigationibus, materiae occurrunt cum jure canonico stricte connexae, quas ex aequo et justo nemo sine apta notitia hujus doctrinae solvere potest.

ARTICULUS V

JURIS CANONICI FONTES, SCRIPTA DE HAC MATERIA

17. **Fontes.** — *Fontes* juris canonici vocantur personae sive physicae sive morales unde leges ecclesiasticae originem ducunt (*fontes essendi*), vel etiam opera in quibus hujusmodi leges continentur (*fontes cognoscendi*). Primo sensu, fontes juris canonici sunt

Deus et Jesus Christus quatenus Deus-Homo, e quibus procedit jus naturale et divinum positivum, quae ut partes integrantes ad jus canonicum referuntur. Fontes praeterea sunt Apostoli, Papa, Episcopi; Oecumenica, nationalia, provincialia Concilia; Romanae Congregationes, etc., ea forma et extensione quae in tractatu de his personis humanis physicis aut moralibus unde oritur jus canonicum humanum exponetur.

18. — Secundo sensu fontes Juris canonici sunt Sacra Scriptura, in qua magna ex parte traditur jus naturale, divino-positivum et apostolicum; collectiones Conciliorum, opera Sanctorum Patrum quatenus traditiones divino-apostolicas continent; Synodi, maxime autem Tridentinum; antiquae compilationes, et praesertim eae quae vetus Corpus juris efformant; Bullaria, Collectiones Decretorum Sacrarum Congregationum, etc., Thesaurus resolutionum S. C. C., collectio *Acta Apostolicae Sedis;* et prae ceteris novus Codex Canonicus, qui nunc est fons praecipuus et fere unicus, simul cum decretis S. R. Congregationis ejusque libris liturgicis, quibus reliqua velut auxilia ad interpretationem subserviunt.

19. **Scripta canonica**. — Ea sunt quibus jus canonicum proponitur, explicatur et illustratur. Planum est haec scripta, utpote Codice antiquiora, de disciplina agere quae hucusque vigebat, quaeque partim per ipsum Codicem antiquatur. Sunt tamen hujusmodi opera magni momenti auxilium ad cognitionem ipsius juris novissimi, non solum quia disciplina antiqua magna ex parte a Codice conservatur, sed etiam quia antiquae notitia ad planiorem novae cognitionem vel in his in quibus dissimiles sunt, inservit.

20. — Inter hujusmodi scripta peculiariter notanda sunt opera illustrium veterum doctorum, *Reiffenstuel*, *Schmalzgrueber*, et ex recentioribus Jus Decretalium A. R. P. *Wernz*, quod integrae bibliothecae aequivalet, ejusque vicem supplere potest, cujus item soliditas doctrinae nunquam satis laudabitur. Magno etiam aestimanda sunt opera *Devoti*, Institutiones canonicae; *Bened. XIV*, De Syn. dioecesana; *Bouix*, *Santi-Leitner;* et pro Hispania, *Salazar*, *Salazar-La Fuente*, *Manjón*, *López Peláez*. Pro America latina, *Donoso*, Instituciones de Derecho canónico. — Peculiares item nonnulli tractatus *Cavagnis*, *Gasparri*, *Many*, *Beringer*, *Fine*, *Piat*, *Desmet*, *Vermeersch*, et *Card. Gennari* valde omnes sunt commendandi. Inspici etiam possunt varia *Ferreres* opuscula hispane conscripta.

N. B. Ut alumnis allegationes veteris Corporis juris quae passim occurrunt intelligibiles fiant, videri potest inferius *tit.* II, *cap.* 4, *art.* 9, *nn.* 89-93 hujus libri, ubi earum opportuna explicatio traditur.

ARTICULUS VI

SCIENTIAE JURIS CANONICI SUBSIDIARIAE

21. — Ex supradictis facile perspicietur, Jus canonicum cum Theologia dogmatica et morali intime connexum esse, adeo ut cum hac ultima praecipuam Theologiae practicae partem constituat (*Wernz*, l. c., *n.* 52, *nota*; *Lehmkuhl*, Theol. mor., *vol.* 1, proleg., § 1).

22. — Hinc sequitur studium Theologiae dogmaticae itemque Theologiae moralis prima et peropportuna fore auxilia Juri canonico discendo. Juvabunt etiam notitia exegeseos biblicae, historiae ecclesiasticae, historiae Conciliorum, ethicae seu philosophiae moralis, juris naturae, juris romani, et tandem juris recentiorum nationum, maxime vero patrii juris (1).

23. — Ad juris praeterea canonici vigentis cognitionem, haud parum confert notitia originis ipsius, vicissitudinum item et mutationum per quas ad praesentem statum perductum est: non enim per saltum procedendo leges ab Ecclesia statuuntur, sed praecedentibus legibus innixae, legibus ipsis veteribus juxta necessitatem immutatis, et ad nova advenientia adjuncta accommodatis. Hinc etiam patet, studium priscorum fontium et doctorum qui scite veterem disciplinam exposuerunt, ad novae intelligentiam utilissimum fore, id quod expresse notat Codex can. 6 de disciplina in ipso Codice statuta.

Sequitur nunc nonnullorum enumeratio operum inter praecipua quae studio hujusmodi scientiarum inservire possunt.

24. **Theologia Dogmatica.** — *Summa S. Thomae.* — *Perrone,* S. J., opus magnum aut Compendium. — *Thomas a Charmes.* — *Billuart.* — *Hurter.* — *Billot.* — *Tanquerey,* etc. *Casajoana,* S. J., Disquisitiones Scholastico-Dogmaticae, Barcinone, 1888-1895. — *Mendive,* S. J., Institutiones Dogmatico-Scholasticae, Vallisoleti, 1895. — *Pesch,* Praelectiones dogmaticae. — *Muncunill.* — *Franzelin.* *Mazzella.* — *Van Noort.* — *Wilmers.* — *Tepe.* — *Lahousse.* — *Sasse.* — *Piccirelli.* — *Palmieri,* peculiares tractatus. — *Vacant,* Dictionnaire de Théologie catholique (gallice nunc vulgatur). — *Denzinger-Bannwart,* Enchiridion Symbolorum. — *Perujo y Angulo,* Diccionario de Ciencias eclesiásticas.

25. **Moralis.** — *S. Ligorii,* opus majus aut Homo Apostolicus. — *Gury-*

---

(1) In nostro *Comp. Theol. mor.* videre est studium comparativum praeceptorum Codicis canonici cum praeceptis juris romani, juris hispani, lusitani et codicis omnium nationum quae in America codicem ediderunt, vid.: Argentina, Bolivia, Brasilia, Costa Rica, Colombia, Chile, Aequatoriana, Mexicana, Nicaragua, Peruvia, Sancti Salvatoris, Uruguay, Venezuela; quae omnes propriis et diversis codicibus reguntur: collatio item fit cum legibus apud Insulas Philippinas vigentibus, ubi magna ex parte codex hispanus asservatur. Quamvis autem opus latine editum est, speramus brevi ipsum hispane vulgatum iri.

Ferreres, Theologia moralis (editio 8.ª, prima post Codicem, 1917), ejusdem Casus conscientiae; aut Compendia *Scavini, Del Vecchio, Card. Vives, Lehmkuhl, Bucceroni, Génicot, Noldin, Busquet, Marc, Aertnys, Tanquerey, Pighi, Prümer,* etc. — *Bouquillon,* Theologia fundamentalis. *Ojetti,* Synopsis rerum moralium et juris pontificii (ed. 3.ª). — Valde etiam utilia sunt volumina P. V. sub titulo *Casus Conscientiae:* pars 1.ª De liberalismo; pars 2.ª De consectariis liberalismi; pars 3.ª Pastoralis.

26. **Concilia.** — Conc. Tridentinum. — Conc. Vaticanum. — Canones et decreta Concil. Trid. (Neapoli, 1859). — *Hefele-Leclercq,* Histoire des Conciles. — *Lucidi,* Collectio Conciliorum Generalium; speciatim vero collectiones *Mansi, Aguirre* et *Collectio Lacensis.* — Sacerdotibus praeterea Americae latinae, ut patet, Concilium Plenarium, sicut sacerdotibus in insulis Philippinis Conc. Prov. I Manilanum, deesse nequit.

27. **Historia ecclesiastica.** — *Ferreiroa,* Historia apologética de los Papas. — *Menéndez y Pelayo,* Heterodoxos. — *Henrion.* — *Hergenroether.* — *Rohrbacher.* — *Ribas.* — *La Fuente* (D. Vicente). — *Pastor.* — *Albers,* Enchiridion Hist. eccles. [ed. lat., utilissimum Compendium]. — *Kirch,* Enchiridion fontium Hist. Eccles. — *Marx,* Compendio de historia eclesiástica (versión española del P. Ruíz Amado).

28. **Philosophia.** — *Urráburu,* opus magnum aut Compendium. — *Mendive.* — *Zigliara.* — *Pesch.* — *Lahousse.* — *Van der Aa.* — *Ginebra.* — *Balmes.* — *Cathrein.* — *Costa Rosetti.* (Haec duo postrema tractatus continent Ethicae et Juris naturae).

CAPUT II

DE ECCLESIA CATHOLICA

29. **Ejus natura.** — Cum jus canonicum integrum in Ecclesiae constitutione et regimine versetur, et maximam partem ex ipsius potestate oriatur, natura ipsa et constitutio Ecclesiae, ante quam ulterius procedamus, exponenda est.

30. — Divinitatem Domini N. Jesu Christi, ejusque actionem in Ecclesia instituenda, Jus canonicum demonstrare non solet; assumptis enim his veritatibus, quae in Theologia dogmatica demonstrantur, ad Ecclesiae studium ulterius pergit, quatenus est societas perfecta et independens plenaque gaudens potestate legifera, judiciali et coactiva. — Aliquid tamen de ipsa Christi divinitate et Ecclesiae institutione breviter exponere opportunum videtur.

31. **Ecclesiae origo.** — Ecclesia originem habet a Deo: fundata enim fuit a Domino nostro Jesu Christo, Filio Dei, vero Deo et homine, generis autem humani Redemptore.

32. **Ecclesiae finis.** — Ejus finis, seu scopus in quem tendit, est supernaturalis hominum sanctificatio in hac vita, eorumque aeterna salus in vita futura.

33. **Ecclesiae potestas.** — Christus, eam instituens, plenam potestatem ei contulit ad praedictum finem obtinendum necessariam; talem autem potestatem quae ab omni alia humana potestate independens est.

34. **Definitio**. — Ecclesia est societas a Christo Domino nostro instituta ut in ipsa et exclusive per ipsam supernaturalis sanctificatio in hac vita et aeterna, beatitudo in altera, ab hominibus obtineri possit. *Card. Cavagnis, vol.* 1, *n.* 199; *Sanguineti, n.* 48.

35. **Jesu Christi divinitas**. — Potest divinitas Domini nostri Jesu Christi ex ipsis ejus verbis demonstrari, quibus saepius affirmavit se Deum esse: imo et propter hoc est in mortem damnatus; ex innumeris miraculis quibus hujusmodi affirmationes confirmavit, maxime autem ex ipsius resurrectione, quam ut praecipuum suae divinitatis argumentum praenuntiarat et promiserat. Quam prophetiam ejus inimici optime intellexerunt; et contra eam, fraudem aliquam suspicati, sigillo et custodibus sepulchrum munierunt, unde executionis et veritatis ipsius miraculosae resurrectionis testes evaserunt. Quod autem allegarunt, discipulos Christi, noctu, dum milites dormirent, accessisse et cadaver furatos esse, id ineptius excogitari non potuit: si enim Apostoli cadaver subtraxissent, ipsi ante omnes intellexissent se a Magistro suo deceptos fuisse, cum ipsis resurrectionem promisisset, quam tandem factam non fuisse viderent: quo supposito, quae vis humana id efficere poterat ut homines adeo ignavi dum adhuc Magistri resurrectionem sperarent, ut ipsum omnes desererent; postea, etiam fraude qua eis illuserat cognita, adeo strenuos effectos esse, ut ubique eum, propositis summis suppliciis, praedicarent et confiterentur Deum et resuscitatum; et vitam pro eo effuso sanguine traderent? Maxime cum perpetuo ipsi resurrectionem Christi pro fundamento fidei quam praedicabant statuerent.

Huic vero ineluctabili demonstrationi adjungenda sunt miracula nomine Christi facta magno numero, celeris mundi conversio per duodecim pauperes et ignaros piscatores inter violentas et cruentas persecutiones peracta; omnium aetatum, sexuum et conditionum innumeri martyres qui Christum confessi sunt et alacriter pro eo vitam inter horrenda tormenta profuderunt; mundi transmutatio qua reum ultimo supplicio affectum pro Deo suo agnovit, ejusque doctrinis obtemperavit; Ecclesiae ab ipso fundatae per tot jam saecula duratio, imo et perpetuitas juxta ipsius promissiones, licet indesinenter fuerit a persecutoribus impugnata: quae quidem perpetuitas eo praestantior est, quo frequentius circum Ecclesiam omnia decidunt et pereunt, fortissimis hominum imperiis non exceptis, etc., etc.

36. **Ecclesiae per Jesum Christum fundatio**. — Christum Ecclesiam instituisse factum historicum est evidens quod negari non potest, et opus ipsum novemdecim jam saeculis coram omnibus gentibus perstat. De Ecclesia a Christo fundata saepius loquitur Evangelium, praesertim cum Dominus Petro dixit: «Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae infe-

ri non praevalebunt adversus eam: et tibi dabo claves regni caelorum; et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in caelis; et quodcumque solveris super terram erit solutum et in caelis.» *Matth.*, XVI, 18, 19.

Exinde patet, 1.° potestatem Ecclesiae et Romani Pontificis, qui est ejus caput, amplissimam esse, nihil enim hic excipitur ex omnibus iis quae ad Ecclesiae finem conducere possint; 2.° hanc Ecclesiae potestatem alteri potestati non subordinari, siquidem inter ipsam et coelestem Dei potestatem nulla datur intermedia. Equidem, si potestas ecclesiastica a civili penderet, Ecclesia non supra Petrum, id est, supra Papam, sed supra Caesarem, id est supra reges aut reipublicae praesides fundaretur, et quodcumque Petrus ligaret, a Caesare solvi posset. Eamdem autem ligandi atque solvendi potestatem (Petro quidem subordinatam) dedit ceteris Apostolis, ut apud *S. Matth.*, XVIII, 18, videre est.

37. **Hierarchiae ecclesiasticae potestas propria est et exclusiva.** — Nemo praeter clericos potestatem habet in Ecclesia, licet rex sit aut imperator, quae sunt verba S. Joannis Damasceni (1). In iis quae ad Ecclesiae finem pertinent, ipsa etiam summa Statuum capita, si quidem christiani sunt, ei subjiciuntur. Ideo Joannes I ait (*can.* 11, *dist.* 96): «Si Imperator catholicus est, filius est, non Praesul Ecclesiae: quod ad religionem competit, discere ei convenit, non docere». Cfr. *Card. Tarquini, n.* 40 *seq.; Cavagnis, n.* 218 *seq.; Sanguineti, n.* 48 *seq.*

ARTICULUS II

ECCLESIA UT JURIDICA SOCIETAS PERFECTA

38. I. **Ecclesia est societas juridica**, — idest, societas cujus membra vinculis strictae obligationis ei astringuntur, ipsaque non solum potestate gaudet ad movendum *moraliter*, vi persuasionis aut juris imperfecti, sed etiam jurisdictione jure perfecto et vi *juridice* obligandi et justitiam in proprio ordine administrandi. — **Probatur:** Christus Dominus Ecclesiam ut societatem visibilem constituit, et insuper necessariam, in quam omnibus ingredi opus est, si finem ultimum, scil. salutem aeternam, consequi velint; insuper, ut ad hunc finem membra sua ducere posset, dedit ei jura constantia et perfecta, atque in ea tanquam fundamentum statuit potestatem supremam, quae centrum et primus motor visibilis est

(1) «Ne tentes, Imperator, Ecclesiasticum statum dissolvere. Ait enim Apostolus: *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores:* non autem dixit Reges.» Orat. 1 et 2, de Imag.

totius societatis (1). Ergo hujusmodi societatis membra inter se et cum illa astringuntur, non meris obligationibus *moralibus*, sed etiam vinculis *stricti juris*, siquidem in eo qui Ecclesiae potestatem exercet, adest jurisdictio ad ipsos obligandos et ad justitiam in proprio ordine, etiam in foro externo administrandam. Est itaque societas juridica.

39. **Recentiorum error.** — His nostris temporibus ab aliquibus sophistice distinctio quaedam inducta est inter *juridicum* et *religiosum* ordinem, ita ut nomine ordinis *religiosi* facta conscientiae vitaeque individualis propriae, nomine autem ordinis *juridici* justitiam socialem in rebus temporalibus designent: ita tamen ut postea conceptus rei *temporalis* ad omnia ea significanda protendatur quae ad cives et ad eorum actus quoscumque vitae socialis referuntur. Itaque, facile concedunt Ecclesiam in ordine suo potestate independenti gaudere, attamen statim adjungunt: hic Ecclesiae ordo est ordo *religiosus*, non vero ordo *juridicus*, qui totus quantus est ad Statum pertinet.

40. — Verum enimvero potestas suprema et independens quam Christus in Ecclesia velut christianae societatis centrum et primum motorem constituit, omnibusque juribus propriis potestatis socialis instruxit, minime intra conscientiae recessum coarctari potest, sed in actibus vitae socialis influxum suum exerceat necesse est: ideoque huic supremae atque independenti potestati juridicus etiam ordo externus ei subjectus respondere debet.

Extat igitur ordo quidam, juridicus *mere temporalis*, potestati Status supremae subditus, cujus limites fine ad quem societas civilis ordinatur definiuntur; alter vero est ordo juridicus *spiritualis*, vel si mavis, *religiosus*, cujus limites fine hujus societatis religiosae definiendi sunt atque ex natura hominum qui ad talem finem sunt dirigendi. Jam vero, necessitas plurium mediorum ordinis temporalis ad finem Ecclesiae per potestatem socialem consequendum, adeo est manifesta, ut demonstratione non egeat: omnia igitur haec media intra ordinem juridicum Ecclesiae potestati subjectum comprehenduntur.

41. II. **Ecclesia est societas juridice perfecta ex propria ipsius natura.** — 1.° Nomine *naturae* intelligimus in praesenti constitutionem essentialem quae Ecclesiae respondet, attento solummodo fine a divino suo Fundatore ei praestituto, qui quidem est ut obtineatur fidelium in hoc mundo sanctificatio et eorum salus aeterna in futura vita.

2.° Dicitur societas *juridice perfecta* ea quae completa est, seu in se habet omnia media necessaria ad consequutionem sui finis, sive media *realiter* et actu in se habeat, sive eadem habeat *virtua-*

(1) Vid. textus inferius propositos, *nn.* 43-45.

liter, quatenus habet jus eadem media pro potestate ab alia societate exigendi, quin huic adsit jus media illa denegandi aut de petitionis motivis judicandi.

PROBATUR JAM PROPOSITIO. Ecclesia nulli alteri societati subordinatur, imo omnes aliae, saltem indirecte, ipsi Ecclesiae subordinantur: finis enim ipsius, ex facto voluntatis divini ejus Fundatoris eam instituentis, est finis ultimus hominis, cui ceteri omnes humani et sociales fines subordinantur; et, sicut in philosophia notorium est, natura et subordinatio societatum inter se ex fine earum desumuntur. — Ergo ex nulla alia societate dependet in usu mediorum, si enim ab alia dependeret, jam ei subordinaretur. Habet itaque in se omnia media ad consequendum finem suum necessaria; ideoque est societas *juridice perfecta*, praedita potestate legifera, judiciali et coactiva, cujus exercitium ad obtinendum finem societatis est necessarium.

42. **Confirmatur.** — Societas quae ad aliam non ordinatur, ab ea in usu mediorum dependere non potest. Ergo media ipsa in se habere debet, ideoque debet esse perfecta. Reliquae enim societates, respectu societatis ad eas non ordinatae, vel ipsi subordinantur, vel cum ea connexionem nullam habent.

Atqui repugnat societatem in usu mediorum ab aliis sibi subordinatis aut cum ea minime connexis dependere. Ergo...

43. III. **Ecclesia non solum natura sua, sed etiam voluntate divini sui Fundatoris circa ejus media est societas perfecta.** — Dicimus non solum voluntate generica Christi Domini, qua Ecclesiae *finem*, unde fluit ejus natura, praestituit, sed etiam voluntate ipsius Fundatoris expressa et positiva circa *media*, factam esse ipsam Ecclesiam societatem *juridice perfectam*.

Id duplici modo probari potest.

Primo, ad absurdum. — Absurdum enim esset Christum in Ecclesia instituenda ei non sufficienter providisse. Atqui ita de facto accidiset, si potestatem talem ipsi non contulisset, ut omnia media ad obtinendum finem proprium in se comprehendat, adeoque societas perfecta sit. Ergo...

Non satis ei fuisse provisum in ea hypothesi, evidens est: nam si Ecclesia ab altera societate, v. gr. a civili, dependeret, 1.° Ecclesiae regimen esset fere precarium; 2.° ejus unitas periclitaretur, juxta varia civilium societatum designia; 3.° tribus primis saeculis, imo et nunc etiam in nationibus ethnicis haud paucis, etc., inimicorum suorum arbitrio tradita fuisset.

44. — Probatur secundo loco argumentis positivis.

1.° Ex verbis D. N. J. C. ad Petrum: *Quodcumque ligaveris*, etc.

2.° Ex constanti Ecclesiae traditione et Patrum testimonio, nam juxta eos: 1.° Integra principatus et potestatis plenitudo ad regendam Ecclesiam in Episcopis sita est, quae est doctrina S. Igna-

tii Martyris (1); 2.°, in Ecclesia adest verum imperium, non solum civili dignius, sed etiam perfectius, ut docet S. Gregorius Naziancenus (2); 3.°, hinc sequitur Ecclesiam perfectam esse ex voluntate sui Fundatoris etiam circa media quoniam independenter a quacumque altera humana potestate, eam plena potestate legifera, judiciali et coactiva instruxit, quae ad proprium finem obtinendum erat necessaria.

Id non solum ex ipsa ejus institutione jam narrata constat, sed etiam ex verbis Christi ad Apostolos apud Matthaeum, *cap.* XXVIII, 18-20: «Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti; docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.» Patet eum Apostolos suos hic mittere potestate plenissima et sine ulla dependentia: 1.° ad praedicandum in mundum universum; 2.° ad sacramenta ministranda, quorum primum est baptismus; 3.° ad disciplinam Ecclesiae instituendam, ipsi enim nationes omnes dirigere debent circa modum servandi omnia ea quae a Christo praecepta sunt; 4.° idque perpetuo, siquidem assistentia Christi in eo munere promittitur omnibus diebus usque ad consummationem saeculi, ideoque tam illis quam eorum successoribus.

45. — Huic doctrinae innititur damnatio sequentium propositionum, prout in Syllabo videre est:

«XIX. Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a suo divino Fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quae sint Ecclesiae jura ac limites intra quos eadem jura exercere queat.»

«XX. Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu.»

«LIV. Reges et principes non solum ab Ecclesiae jurisdictione eximuntur, verum etiam in quaestionibus dirimendis superiores sunt Ecclesia.»

ARTICULUS III

ECCLESIA ET SOCIETAS CIVILIS

46. **Ecclesia a civili societate distinguitur.** — Ecclesia natura sua est societas a civili societate distincta: 1.° ratione originis

(1) «Quid aliud est Episcopus, quam is, qui omnem principatum ac potestatem in Ecclesia obtinet?» (Epist. ad Trall.).

(2) «Te quoque, Imperator, imperio meo et throno lex Christiana subjicit. Imperium enim et nos quoque Episcopi gerimus: addo etiam, praestantius et perfectius» (Orat. 17 ad Theodos.).

divinae, positivae et supernaturalis, tum de jure tum de facto; contra vero, societas civilis vi originis est naturalis de jure, humana de facto; 2.° ratione finis, qui in Ecclesia est supernaturalis et aeterna felicitas, in societate vero civili finis est felicitas naturalis et temporalis; 3.°, ratione mediorum; media enim ab Ecclesia adhibita, alia sunt supernaturalia in se, ut sacramenta; alia vero supernaturalia ex origine, sicut doctrina revelata, quae simul modo infallibili proponitur: et omnia tandem ad finem supernaturalem ordinantur, scilicet, ad hominis sanctificationem et salutem aeternam. At societatis civilis media sunt omnia et quocumque aspectu naturalia.

47. **Societatis civilis intra propriam sphaeram independentia.** — Societas civilis intra suam propriam orbitam, seu in rebus quae ad felicitatem temporalem, proprium ejus finem, spectant, est pariter perfecta, independens et suprema; adeo ut Ecclesia nihil possit supra societatem in rebus temporalibus et respectu finis mere temporalis: hic enim extra finem versatur Ecclesiae, et quaevis societas potestate caret circa res quae extra finem suum versantur; idque tenet, licet societas civilis tantum civibus catholicis constet. Ita id agnoscit Ecclesia.

48. **Relatio inter utramque societatem.** — Si inter se comparentur, utraque haec societas est perfecta, independens et suprema in sua respectiva sphaera: quia tamen finis societatis civilis fini ecclesiasticae subordinatus est, inde nonnunquam societas civilis indirecte Ecclesiae subordinari necesse est.

49. — Considerata jam Ecclesia catholica cum civili societate catholica coëxistente, sequitur ex dictis:

1.° Ecclesiam, utpote perfectam, independentem et supremam societatem, omnibus suis juribus frui debere; et integram suam potestatem item in bonum fidelium eo modo quo id opportunum duxerit exercere; eique jus esse auxilium potestatis civilis, quatenus ad consequutionem finis proprii ei opus sit, exigendi. Societas vero civilis vicissim nihil in legibus aut in actibus suis admittere potest quod constitutioni et juribus Ecclesiae repugnet. Cfr. Leonis XIII Encycl. *Arcanum* (10 febr. 1880) et *Immortale Dei* (1 nov. 1885).

2.° Canonicas leges, saltem ut normam negativam, in leges civiles influere debere in iis omnibus quae ad finem Ecclesiae, idest, ad sanctificationem et aeternam fidelium salutem, ad fidem et mores spectant.

3.° Consequenter, non posse societatem civilem tales leges ferre quae fidei, bonis moribus, disciplinae ecclesiasticae, aut ecclesiasticis institutis contrariae sint. Nomine autem *institutorum ecclesiasticorum*, inter alia, significantur Ordines et Congregationes religiosae, quae natura sua tantum ex Ecclesia pendent, et veluti spontaneus et naturalis fructus spiritus Ecclesiae et doctri-

nae qua Christus fideles invitat ad publicam consiliorum Evangelii professionem enascuntur.

4.° Nihil posse potestatem civilem decernere quod de se sit sanctificationi et saluti aeternae fidelium periculosum, cujus generis sunt libertas praeli, libertas conscientiae, aut cultuum, scholae atheae, Status atheus, etc.

50. — Quid autem de casu censendum est quo civilis potestas, licet in populo catholico constituta, viribus tamen se destitutam agnoscat ad regimen Ecclesiae juribus omnino conformem exercendum?

Resp. Generale principium est neminem teneri ad faciendum id quod physice aut moraliter impossibile est; ideoque, ubi dissidentium, indifferentium aut pravorum christianorum numerus talis est, ut regimen juribus Ecclesiae omnino congruum impossibile evadat, satisfacit Status qui sincere id quod potuerit exsequatur, et quae corrigi non possunt, ea toleret. Attamen integra difficultas in eo est, an scilicet impossibile sit ea omnia praestare quae de jure praestanda erant. Hujus autem impossibilitatis ultimum judicium ad Ecclesiam spectat.

51. — *N. B.* 1.° Si Ecclesiae relatio ad ethnicam societatem consideretur, Ecclesiae in ea jura sunt sequentia: 1.° jus fidem Christi praedicandi, juxta praeceptum divini sui Fundatoris, qui societatum omnium Dominus est; 2.° jus ut christiani inibi catholicam religionem exerceant. Atque ut haec duo jura defendat, etiam usque ad proprium sanguinem effundendum, divinum suum Magistrum sequens, parata est.

2.° Spectata relatione ad haereticam societatem, jura Ecclesiae eadem substantialiter sunt ac jura in societate catholica, cum haeretici, ratione baptismi, subditi sint Ecclesiae; attamen in nonnullis rebus non vult Ecclesia interdum suis juribus uti, ideoque nonnullas leges ad haereticos non extendit.

ARTICULUS IV

DE REGALISMO

52. **Notio.** — Nomine *regalismi* error illorum significatur, qui civilis potestatis jura nimium extollentes, ipsi praerogativas quasdam tribuunt Ecclesiae auctoritati et independentiae repugnantes, veluti *placet regium*, *appellationem ab abusu*, *regium patronatum*, etc.

53. **Regium placet.** — *Regium placitum* seu *regium exsequatur* (*pase regio*) dicitur falsum jus potestati saeculari attributum impediendi scilicet ut ecclesiastica documenta, quamvis vel ab ipso

Romano Pontifice proveniant, intra nationem suam divulgari, aut subditos obligare queant, nisi approbationem aut permissionem potestatis saecularis obtinuerint, seu, ut dicitur, nisi eis *regium placitum concedatur* (Vid. ea quae inferius de ecclesiasticae legis promulgatione traduntur).

54. «**Regii placiti**» **origo**. — Videtur haec praxis ortum habuisse magni schismatis occidentalis tempore et occasione: tunc enim, ad vitandum ne subditis unius obedientiae documenta, Pontificis alterius obedientiae, cujus potestatem non agnoscebant, intimarentur, consueverant reges documenta Pontificis quem verum aestimabant propria subscriptione munire.

55. **Circa «placet regium» nota historica**. — Primus qui *placet* ut regiam praerogativam sibi arrogavit fuit Joannes II in Lusitania, saeculo XV; attamen ejus agendi ratio ab Innocentio VIII reprobata est (1), et Rex damnationem libere evulgari permisit eique se subjecit.

Neapoli *placet* induxit prorex dux Complutensis, atque is primus videtur evulgasse legem de hac materia. A S. Pio V excommunione perculsus, ejus auctoritati se submisit.

Per Hispaniam autem, Galliam, Lusitaniam, etc., maxime saeculo XVIII, abusus hujus *regii placet* late diffusi sunt.

56. **Ejus damnationes**. — Plurimae sunt hujus falsi juris damnationes (2). Inter quas solemnissima ea est quae a Vaticano Concilio, *sess.* IV, *cap.* III, his terminis promulgata fuit: «Damnamus ac reprobamus illorum sententias qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eamdem reddunt saeculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quae ab Apostolica Sede vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere nisi potestatis saecularis placito confirmentur.»

57. «**Regii placiti**» **illegitimitas et injustitia**. — Ut ex dictis constat, Ecclesia catholica natura sua et speciali voluntate divina est societas perfecta et independens. Atqui *regium placet* Ecclesiam ad summe ignominiosam dependentiam a potestate civili adduceret, ita ut solummodo id quod potestati saeculari placeret vim legis canonicae habere posset. Ergo...

---

(1) Brevi *Olim*, 3 febr. 1486.

(2) *Placitum regium* damnarunt Martinus V, 30 april. 1418, const. *Quod antidota;* Innocentius VIII, pluribus Constitutionibus, nempe: const. *Olim felicis recordationis*, 3 febr. 1486; const. *Dilectus filius*, 30 sept. 1486; const. *Officii nostri*, 31 jan. 1491; Leo X, const. *Regimini*, 1515, itemque const. *In supremo*, 22 febr. 1518; Clemens VII, const. *Romanus Pontifex*, 1533; Innocentius XI, const. *Decet Romanum Pontificem*, 28 jun. 1689; Clemens XI, saepius: const. *Alias ad apostolatus*, 17 oct. 1711; const. *Nova semper*, 29 nov. 1714; const. *Accepimus nuper*, 11 jan. 1715; const. *Ad apostolatus nostri*, 18 aug. 1719; Benedictus XIV, const. *Pastoralis regiminis*, 30 mart. 1742; Clemens XIII, saepius etiam: const. *Postquam Nobis*, 15 jan. 1763; const. *Ea est de tuo*, eodem die; const. *Pateretur*, 25 jun. 1766; const. *Quam graviter*, eodem die; const. *Alias ad apostolatus*, 10 jan. 1768, etc.

Obj. Potestas saecularis opus habet *regio placet,* ut contra excessus potestatis ecclesiasticae subditos suos defendat.

Resp. Contra hujusmodi excessus, si dentur, ad ipsam potestatem Ecclesiae recurrendum est, servato ordine et forma praestituta. Secus admittendum esset pariter in potestate ecclesiastica jus subditos suos a Status saecularis excessibus defendendi, qui tamen excessus utique frequentius quam praesumpti excessus Ecclesiae accidunt, cum facilius is qui externa vi potitur, eadem abuti soleat. Attamen Ecclesia nunquam sibi jus arrogavit subjiciendi «placito» suo potestatis civilis praescripta in rebus exclusive temporalibus.

N. B. De *appellatione ab abusu* agemus libro III, ubi de foro competenti; de *regio* autem *patronatu* ad *lib.* III, *tit.* 25, *cap.* 4.

TITULUS II

Historica introductio de veteribus collectionibus et de Codice recentiore

CAPUT I

DE NECESSITATE COLLECTIONUM LEGUM ECCLESIASTICARUM

58. — Apostolica Sedes, tam in Conciliis oecumenicis, quam extra Concilia, nunquam intermisit opus promovendi disciplinam ecclesiasticam, optimis adhibitis legibus, temporum adjunctis et necessitatibus hominum accommodatis. Hujusmodi tamen leges utcumque sapientes, optatum effectum sortiri nequeunt nisi cognoscantur; cognosci autem nequeunt si dispersae maneant.

59. — Inde necessitas compilationis seu codicis legum ecclesiasticarum circa disciplinam. Quae quidem necessitas jam inde a primis temporibus nota (1), collectionibus pluribus quae successive in Ecclesia factae sunt, ortum dedit.

60. — Notandum porro id est, quamquam catholicum dogma sit immutabile, disciplinam tamen ecclesiasticam, seu collectionem legum ad optimum Ecclesiae regimen et gubernationem, magna ex parte essentialiter mutabilem esse, propterea quod hae leges adjunctis temporum et personarum necessitati accommodandae

---

(1) Jam Chalcedonense Concilium (anno 451), sess. IV et XI sat clare de compilatione quadam tunc in usu, quae nunc *prima* dicitur, mentionem facit. Vid. *Mansi,* Collect. Max. Concil., *vol.* 7, *col.* 82, 83, 282, 283; *Sanguineti,* l. c., *n.* 14.

sunt; cum autem adjuncta et necessitates hujusmodi mutentur, pariter mutentur oportet leges ipsis accommodandae.

Hinc necessario novae leges conduntur, antiquae plures abrogantur vel desuetudine cessant, aliae vero mutandae sunt et novis rerum adjunctis vel difficultatibus prius non praevisis accommodandae, etc.

Ubi vero novae leges feruntur, unde veterum legum abrogatio aut mutatio consequitur, ad earum opportunam cognitionem collectiones novae formentur necesse est, quibus recentiores leges inserantur, eae quae jam non vigent inde expungantur, et quae mutatae sunt cum suis mutationibus adsint.

CAPUT II

DE DIVERSIS COLLECTIONUM GENERIBUS

61. — *Leges in* **collectionem**, *compilationem, recopilationem* **redigere**, est eas in unum opus reducere certo quodam ordine et unitate.

Codificare est leges ferre, omnibus aut nonnullis partibus juris in corpus systematicum ordinatis.

62. — Ipsae autem collectiones vel compilationes, ampliores vel minus amplae, majoris vel minoris auctoritatis, perfectiores vel minus perfectae esse possunt.

a) Ratione *amplitudinis*, erunt *speciales*, si unam tantum materiam certam, v. g. censuram et prohibitionem librorum, comprehendant; *generales*, si materias omnes juris; — *particulares*, si jus tantum peculiare certae regionis, v. gr. unius dioeceseos vel unius provinciae ecclesiasticae; *universales*, si jus Ecclesiae universalis contineant.

b) Ratione *auctoritatis* dicuntur *privatae*, si a privatis personis factae sunt, et neque expresse neque tacite auctoritatis competentis sanctionem obtinuerunt; *publicae* autem, si auctoritate publica factae aut promulgatae sunt, vel saltem, postquam a privatis personis factae fuerant, expresse aut tacite competentis auctoritatis sanctionem obtinuerunt.

63. — *c*) Collectio tunc dicitur **authentica**, cum leges omnes quas continet, antequam in collectionem inserantur, vim obligandi obtinent in territorio integro superioris eam approbantis vel publicantis, licet tales leges privatae antea fuissent, vel fortasse illegitimam originem haberent, aut in desuetudinem abiissent. Si vero collectio authentica non est, leges in ea inclusae majorem vim non habent quam haberent si in ea collectione non essent.

d) Erunt insuper collectiones *perfectiores* vel *minus perfectae*, prout constitutiones in eis mero ordine chronologico inserantur, vel logica methodo et connexione disponantur, quo facilius in scholis tradi et in tribunalibus applicari possint. Collectio primi generis dicitur *chronologica;* collectio secundi generis vocatur *systematica*, *methodica* vel *scientifica.*

e) Jam *litterales* eae collectiones vocantur in quibus textus legales integri apparent, v. gr. si continent bullas, constitutiones, decreta, etc.; *concisae*, si tantum partim textuum afferunt, omissis iis quae ad intelligendam partem dispositivam superflua videntur; *compendiosae*, *abbreviatae* seu *breviaria*, si verba textus legalis mutent, ut brevius earum sensum proferant. — Ita, *Bullaria* collectiones litterales et chronologicae communiter sunt; *Decretales Gregorii IX* collectionem systematicam et concisam efformant; «*Memento juris ecclesiastici*» a *Deshayes* editum, collectionis compendiosae seu abbreviatae exemplum praebet.

f) Alia item ratione plus vel minus perfectae evadunt, prout sine distinctione leges omnes, tum vigentes tum abrogatas, proferant (quod in *Bullariis* fieri solet), vel tantum vigentes retineant (ex. c. *Decreta authentica S. R. C.*), aut saltem separatim tum vigentes, tum abrogatas enumerent, ut melius eruditioni consulatur.

64. **Perfectissima collectio aut codex** ea erit quae publica, authentica, scientifica, stricto ordine logico concatenata, in qua leges velut brevia quaedam capita aut articuli proponantur; quae insuper absolute *exclusiva* fuerit, ita ut cujuscumque legis universalis praecedentis quae inibi non contineatur, derogatoria sit: *exclusiva* enim dicitur collectio, quatenus reliquas collectiones vel juridica praecepta in ea non contenta excludit eisque derogat. Exclusio autem haec amplior aut minus ampla esse potest, ut suo loco inferius explicabitur.

CAPUT III

VETERES COLLECTIONES QUAE ANTE GRATIANI DECRETUM EDITAE SUNT

65. — Plures collectiones Decretum Gratiani, tam in Oriente, quam in Occidente praecesserant, quarum aliae chronologicae fuerunt, aliae systematicae, omnes vero privatae. Cfr. etiam *Phillips*, Du droit ecclésiastique.

66. — Inter veteres graecorum collectiones quinque praecipuae numerantur: *prima*, antiquissima, 166 canonibus constans, quam postea in latinum transtulit Dionysius Exiguus; posterior *secunda*

dicta, cujus canones numerum 207 aequabant; *tertia*, eaque systematica, a Joanne Scholastico facta circa annum 550; *quarta* vero, edita sub finem saeculi VIII. *Quinta*, quae *Photiana* vocatur, ad saeculum IX refertur (1).

67. — Inter plures Occidentales collectiones, speciali mentione dignae sunt collectio *Dionysii Exigui* (2), alia dicta *Hispana* aut *Isidoriana*, quia sancto Isidoro Hispalensi communiter tribuitur (3); alia dicta *Adriana*, eo quod Adrianus Papa illius exemplar Carolo Magno dederat anno 747 (4); et tandem *Falsae Decretales*, ut nominantur, Isidori *Mercatoris* vel *Peccatoris* (5).

Circa falsas Decretales, cfr., praeter *Wernz*, l. c., *n.* 216 *seq.*, *Hinschium*, Decretales Pseudo-Isidorianae et capitula Agilramni (Lipsiae, 1863).

CAPUT IV

DE OPERE «CORPUS JURIS CANONICI»

68. — Collectiones quae usque ad novum praesentem Codicem praecipue constituebant id quod dicitur *Corpus Juris Canonici*, sunt, ut notum est, Decretum Gratiani, Decretales Gregorii IX, Sextus Decretalium et Clementinae. Quibus addendae sunt Extravagantes Joannis XXII, et Extravagantes Communes.

ARTICULUS I

DECRETUM

69. — *Decretum* a monacho italico Gratiano collectum est. Ipsa collectio facta est Bononiae, in monasterio sanctorum Naboris et Felicis, tempore intermedio inter annos 1139 ad 1150. Decreti finis, ut Pius X innuit, non fuit unice colligere, sed praecipue ca-

---

(1) De his collectionibus vid. *Disquisitiones* fratrum Petri et Hieronymi Ballerini (Edit. *Migne*, P. L., *vol.* 56, *col.* 11 *seq.*).

(2) *Migne*, P. L., *vol.* 76.

(3) Adest apud *Migne*, P. L., *vol.* 84, *col.* 14 *seq.* Inter copiosiores et puriores ea collectio numeratur.

(4) Apud *Migne*, P. L., *vol.* 37, *col.* 135 *seq.*

(5) Apud *Migne*, P. L., *vol.* 130. Adsunt etiam apud *Migne* ceterae collectiones, v. gr. «Breviarium canonum» *Fulgentii Ferrando* (P. L., *vol.* 67, *col.* 949 *seq.*); «Concordia canonum» *Cresconii* (*vol.* 88, *col.* 829 *seq.*); «Collectarium canonum» *Burcardi* (*vol.* 140, *col.* 491 *seq.*); «Decretum» et «Panormia» sancti *Ibonis* a Chartres (*vol.* 161), etc.

Vid. *Ballerini*, l. c. (*col.* 64 *seq.*); *Sanguineti*, Juris ecclesiast. institut., *n.* 16 *seq.*; *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 1, *n.* 209 *seq.*; *Manjón*, Derecho ecles., *vol.* 1, *n.* 388 *seq.*

nones eos qui sibi contradicere videbantur, in concordiam et harmoniam redigere. Inde ejus nomen «Concordia discordantium canonum» quo Decretum ipsius auctor designavit, prout ab illius temporis auctoribus traditur.

Ita Ruffinus, qui in *Summa,* quam a 1160 ad 1170 scripsit, sic ait: «Universo operi titulum praescribit (Gratianus) discordantium canonum concordiam.» Vid. *Friedberg,* in editione quam Juris canonici vulgavit, prolegomena, *pag.* 1, *n.* 1 (Lipsiae, 1879). Attamen *Rolandus* et *Paucapalea,* Gratiani discipuli, perpetuo illius opus designant nomine Decreti, quod ubi citant ajunt *in decretis*. *Laurin,* Introductio in corpus juris canonici (Friburgi Brisgoviae, 1889), § 15; *Wernz,* Jus Decretalium, *n.* 231 *seq.; Manjón,* l. c., *n.* 398. A pluribus jam saeculis, communiter vocatur, forte brevitatis gratia, Decretum Gratiani.

70. — Tres sunt ejus partes: prima, subdivisa in distinctiones et canones, agit tum de fontibus juris, tum de personis et officiis ecclesiasticis; secunda, subdivisa in causas, quaestiones et canones, agit de judiciis; tertia denique de rebus sacris agit, et prouti prima, in distinctiones et canones subdividitur.

Circa naturam Decreti, fontes e quibus canones desumpsit Gratianus, collectiones ab ipso adhibitas, etc., vid. *Friedberg,* l. c.; *Laurin,* l. c.

ARTICULUS II

COLLECTIONES DECRETO POSTERIORES, QUIBUS DECRETALIUM CODEX PRAEPARATUS EST

71. — Haud multo post editum Gratiani Decretum, necessarium visum jam est illud novis collectionibus complendum esse, tum quia a Gratiano haud paucae Decretales aliaque monumenta canonica omissa fuerant, tum quia duo nova Concilia supervenerant, Lateranense III (1179) et Lateranense IV (1215); tum denique quia a Summis Pontificibus, speciatim vero ab Alexandro III (1159-1181) et Innocentio III (1198-1218), novae leges editae fuerant.

Quinque autem inter omnes compilationes eo tempore factas enumerantur, quae prae ceteris celebres fuerunt, eaeque vocantur Compilatio *prima*, *secunda*, *tertia*, *quarta* et *quinta*.

72. — Priorum quatuor ex his collectionibus editionem prae oculis habemus fortasse omnium correctissimam, quam celebris *Antonius Agustin,* Ilerdensis tunc Episcopus, vulgavit (Ilerdae, 1576). Manuscripta pro tribus prioribus ex archivis Cathedralium Tarraconensis et Barcinonensis ipse desumpsit; pro quarta autem transcriptionibus manuscriptorum Bibliothecae Panormitanae usus est, collatis tamen cum Tarraconensibus et Barcino-

nensibus. Vid. idem Agustin, in utroque Prolegomeno, quorum prius ad Papam Gregorium XIII inscribitur.

Et *prima* quidem *collectio* auctorem habet Bernardum Papiensem; *secunda* vero Joannem Gallensem.

Tertia vocata *collectio*, quae tamen reipsa secunda est ordine chronologico, ab Innocentio III, Romano Pontifice, facta est, qui auxilio usus est Petri Collivacini, tunc Diaconi et Notarii pontificii, postea vero Cardinalis Ecclesiae Romanae. Ab Innocentio III per Constitutionem *Devotioni vestrae* (apud *Antonium Agustin,* l. c., *fol.* 124 verso) haec tertia collectio approbata est, et ad professores et scholares Bononienses transmissa, ut ea, tum in tribunalibus tum in scholis uterentur. *Wernz,* l. c., *n.* 238; *Laurin,* § 65. Atque hoc primum fuit exemplum collectionis canonicae authenticae.

Eidem Innocentio tribuitur item *quarta collectio,* prout id asserit Joannes Andrea saeculo XIII, in Commentario Decretalium Gregorii IX: «Ipse Innocentius... compilationem fieri fecit quae *tertia* dicebatur. Et fuit de decretalibus per ipsum editis usque ad duodecimum annum sui pontificatus. Post quam adhuc fecit quasdam alias decretales, et in Concilio generali quasdam constitutiones, scilicet 71, de quarum ordine dicam infra *de accusat., cap. Sicut,* de quibus fecit *quartam compilationem.*» *Novella in Decretales Gregorii IX,* Proleg., *fol.* a III, *col.* 1 (edit. incunabilis Venetiis, 1489). Idem significat Benedictus XIV in constit. *Jam fere sextus,* quam initio Bullarii ipsius videre est (Romae, 1760). — Exstat hujusmodi collectio apud Agustin, atque ab eo post collectionem tertiam exhibetur, nova paginarum numeratione.

Ab Honorio III (1216-1227) vulgata est *compilatio quinta* vocata, quam ipse Papa ad Tancredum, Bononiensem Archidiaconum misit constitutione *Novae causarum* (1), qua jubet ut solemniter hujusmodi Decretales promulget, easque admittere faciat, tam in tribunalibus quam in aulis. Est itaque ea collectio authentica, non autem mere privata. Ipsa constit. *Novae causarum* habetur apud *Laurin,* l. c., § 68, et in *Bull. Rom. Taurin., vol.* 3, *pag.* 374 *seq.*

ARTICULUS III

DECRETALES

73. — Honorio successit Gregorius IX (1227-1241), et brevi post ejus exaltationem ad pontificium thronum, rumor sparsus est eum novam collectionem meditari faciendam: unde Honorii III collectio exiguum numerum commentatorum nacta est.

74. — De facto, nova Gregoriana collectio paulo post in lucem prolata est. — Eam ordinandi munus dederat Gregorius IX illustri viro hispano, sancto scilicet Raymundo a Peñafort, barcinonensi, Ordinis Praedicatorum, cappellano et poenitentiario ipsius Papae; isque, materia quinque compilationibus antiquis comprehensa usus, spatio minori quatuor annorum, celeberrimam omnium col-

---

(1) Juxta *Potthast,* Regesta Pontificum Romanorum (Berolini, 1873), *vol.* I, *pag.* 661, *n.* 7684, constitutio haec data caret. Probabilius, juxta *Laurin,* l. c., § 68, anno 1226 vel 1227 edita est.

lectionum quae ad hoc usque tempus vulgatae sunt, ad finem perduxit.

75. — Ea in collectione, juxta Pontificis desiderata, complexus est sanctus Raymundus omnes leges conciliares et pontificias Decreto Gratiani anteriores et in eo non comprehensas, omnesque eas quae post Decretum editae fuerant, usque ad annum ipsum quo sanctus Raymundus scribebat, omissis tamen ex utraque specie iis quae amplius valiturae non erant.

76. — Ut autem veteres Decretales necessitatibus praesentis temporis accommodarentur, eas mutavit prout convenire visum fuit, resecto ex eis quidquid judicio suo superfluum erat. Rogatu item ipsius, novae aliquae Decretales a Pontifice editae sunt, quibus puncta obscura et dubia elucidarentur et definirentur. Hoc pacto potuit Raymundus compilationem temporibus suis plane accommodatam exhibere. Compilatio Gregorii IX promulgata fuit constitutione *Rex pacificus*, data Spoleti, 5 septembris 1234, quae collectioni ipsi praefigitur. Quo facto, quinque praecedentes compilationes praedictae antiquatae sunt.

77. — Ex eo quod collectio haec maximam partem ex decretalibus epistolis constet (1), designari solet hoc ipso nomine *Decretalium;* ex eo autem quod jussu et auctoritate Gregorii IX facta et promulgata sit, denominatur proprie *Decretales Gregorii IX.*

Appellabatur item communiter «Collectio extra», eo quod Decretales extra Decretum Gratiani positas contineret; unde interdum breviandi causa per solam litteram X majus designatur. «Sicut iste liber (Decretalium) olim dicebatur Extravagantium, quia Decretales vagabantur (nimirum, extra Decretum)... sic etiam hodie dici debet allegantium (sic, pro allegando) *extra* quasi volumen Decretorum» *Joan. Andrea,* l. c., *fol.* a. III, *col.* 2.

78. — Dividitur vero haec, sicut ceterae quinque compilationes, in quinque libros, qui iterum in titulos et capitulos subdividuntur. Primus liber agit de *personis*, secundus de *judiciis* in materia non criminali, tertius de *rebus ecclesiasticis*, quartus de *matrimonio*, et quintus de *poenis* et processu poenali (2). Quae divisio notissimo illo versu comprehenditur:

Judex, judicium, clerus, sponsalia, crimen.

---

(1) *Epistolae decretales* eae dicuntur quae decreta disciplinaria; epistolae vero *dogmaticae* vel *synodicae,* quae decisiones in materia fidei continent. Decretalis epistola communiter est responsio ad consultationem factam. Si vero nulla praecesserat consultatio, decretalis vocatur *motu proprio,* vel nomine generico *constitutio.* Cf. *Laurin,* Introductio in Corpus juris canonici, *cap.* 2, § 1, *pag.* 15 (ann. 1889); *Migne,* P. L., *vol.* 105, *col.* 62.

(2) De fontibus legalibus a sancto Raymundo adhibitis, de compilationibus quibus usus est, etc., vid. *Friedberg,* l. c., *vol.* 2, proleg., *pag.* 1, *nn.* 3 et 4; *Laurin,* l. c.

ARTICULUS IV

SEXTUS DECRETALIUM

79. — Post evulgatas Decretales, novae leges ecclesiasticae item universales conditae sunt, prout id et bono Ecclesiae et temporum adjunctis congruum erat. Haud paucas etiam tulit ipse Gregorius IX a 1234, quo Decretales promulgaverat, usque ad 22 augusti 1241, quo mortuus est; aliae pariter ab ejus successoribus latae sunt.

Hinc necessitas novarum collectionum, quae Decretum et Decretales complerent; quarum aliae *publicae* sunt, ab Innocencio IV, Gregorio X et Nicolao III fieri jussae, aliae vero sunt *privatae*. Cfr. *Laurin*, l. c., § 97 *seq.*

80. — Ut autem damno multitudinis et imperfectionis harum collectionum occurreret, voluit Bonifacius VIII novam edere compilationem, qua Decretales Gregorii IX complerentur; quem in finem, per bullam *Sacrosanctae*, datam 3 martii 1297, eam compilationem promulgavit, quam nomine *Libri Sexti* designavit, eo quod liber quodammodo annexus sit quinque libris Decretalium Gregorii IX (1).

81. – Dividitur Sextus Decretalium in quinque libros, sicut Codex Gregorii IX, et subdividitur, sicut Decretales ipsae, in titulos, quibus subjiciuntur novae constitutiones praecedentium materiam complentes.

Bulla autem *Sacrosanctae* Universitatibus Bononiensi, Parisiensi et Salmanticensi inscripta erat (*Fita*, l. c., *pag.* 201). Die 23 septembris ejusdem anni altera bulla *Cum nuper* priori similis, edita est a Bonifacio VIII, inscripta item Universitati Salmanticensi. Vid. *Potthast.*, l. c., *vol.* 2, *pag.* 1978, *n.* 24726. Reperietur haec ultima bulla in Hist. eccl. Hispaniae d. *Vincentii de la Fuente*, *t.* IV, appendice *n.* 24, *pag.* 572 (Matriti, 1873), et apud *Friedberg*, l. c., *pag.* 934, *nota*, ubi documentum ex ipso La Fuente desumitur. Uterque tamen textus mendosus videtur (2). Juxta *Friedberg* ipsum, bulla *Sacrosanctae* inscribebatur pariter Universitatibus Tolosanae, Aurelianensi et Paduanae.

ARTICULUS V

CLEMENTINAE

82. — Propter editionem novarum Decretalium, novorumque Conciliorum celebrationem, iterum necesse fuit veteres collectio-

(1) «Quem librum quinque libris aliis dicti voluminis annectendum censuimus, et Sextum nuncupari», ait Bonifacius ipse in memorata constitutione, quae sexto libro praefigitur. Cfr. *Potthast*, Regesta Pontificum Romanorum, *vol.* 2, *pag.* 1971, *n.* 24632. — *Laurin*, l. c., § 117, et *Friedberg*, l. c., *vol.* 2, *pag.* 935, legunt «annectendum, Sextum censuimus nuncupari.»

(2) Verus textus is videtur esse quem P. Fita, S. J., in opere «Actas inéditas de siete Concilios españoles» evulgavit, *pag.* 200 (Matriti, 1882).

nes complere; quem in finem Clemens V collectionem suam edidit sub data 21 martii 1314; in qua, cum postea graves defectus irrepsisse animadverteret, eam supprimere jussit, collectis omnibus exemplaribus; ipsamque corrigendam et perficiendam aliquibus commisit. Attamen morte praeoccupatus, 29 aprilis 1314, collectionem explere non potuit. *Laurin*, l. c., § 129.

83. — Eam collectionem postea vulgavit successor ipsius, Joannes XXII, per bullam *Quoniam nulla*, datam 25 octobris 1317. A nonnullis dicta fuit talis collectio *Liber septimus;* ab aliis *Constitutiones Clementis V*, vel simpliciter *Clementinae;* atque hoc tandem nomen invaluit.

ARTICULUS VI

EXTRAVAGANTES

84. — Juxta Breve Gregorii XIII datum 1 julii 1580, *Quum pro munere pastorali* (quod in editionibus correctis initio primi voluminis Corporis juris reperiri solet), etiam ad Corpus juris pertinent eae quae vocantur *Extravagantes* (vagantes extra Corpus juris) *Joannis XXII* et *Extravagantes communes*.

85. — Viginti *Extravagantes Joannis XXII* fuerunt quondam veluti Clementinarum appendices, ordine chronologico dispositae; et anno 1500 forma systematica qua nunc gaudent ab advocato Claudio Chappuis donatae sunt. Ipse etiam est qui *systematicam* et *litteralem* collectionem Extravagantium communium fecit. Prior collectio in 14 titulos, secunda in libros, titulos et capita distributa fuit.

ARTICULUS VII

JURIDICUS VALOR PECULIARIS SINGULARUM COMPILATIONUM CORPORIS JURIS

86. — Si collectiones omnes Corporis juris inter se comparentur, diversitas magna inter ipsas patebit, quae prae oculis habenda est, ut ex sequentibus animadversioribus videre est:

1.° *Decretum Gratiani* non est collectio authentica, quare textus in ea compilati majorem vim non habent quam quae eis competeret si inibi inserti non essent (1).

---

(1) *Benedictus XIV*, De synodo, *l.* 7, *c.* 15, *n.* 6, Const. *Singulari nobis*, 9 februarii 1749 (Bull. cit. Bened. XIV, *vol.* 2, *p.* 4, *n.* 9); *Pons*, Jus canonicum, *p.* 1, c. 2 (Fulginae, 1749); *Wernz*, l. c., *n.* 235; *Laurin*, l. c., § 47 *seq.*

Quum autem in dicta collectione congerantur textus spurii, itemque alii emanati a personis nulla legislativa auctoritate in Ecclesia praeditis, alii ab iis qui jurisdictione pro una tantum dioecesi vel una provincia praediti erant; alii item qui tantum pro casibus particularibus praescripti sunt; sequitur inde, ut opportune notat insignis canonista *P. Josephus Pons, S. J.*, ad dignoscendam vim juridicam cujusvis citationis, non sufficere eam desumi ex Decreto, sed necessarium esse exprimere a qua persona datum fuerit illud praeceptum. Qui aliter allegant, quasi praescripta Decreti, ex eo quod inibi contineantur, eadem omnia auctoritate gauderent, similes sunt, ait idem ipse auctor, ei qui aureas, argenteas, cupreas aut plumbeas monetas ejusdem esse valoris contenderet, ea tantum ratione ductus, quod de eodem acervo sumptae sint. *Pons*, l. c., *p.* 2, *c.* 2, *pag.* 104 (1).

Contrarium vero accidit in Decretalibus Gregorii IX, ex. gr.; in hac enim collectione, utpote in monumento authentico, omnia praescripta legalia, undecumque originem ducant, vim et auctoritatem ab ipso Gregorio IX hauriunt, ideoque sufficit dicere textum desumptum esse ex Decretalibus.

2.° *Decretales Gregorii IX* sunt collectio *universalis*, *authentica* sensu stricto, et *exclusiva*, quatenus omnes veteres collectiones Decreto posteriores, itemque leges reliquae universales Decretalibus contrariae, abrogantur. Leges autem non contrariae, si in Decreto Gratiani includuntur, vim quam illic habuerint, retinent. Constat ex bulla promulgationis *Rex pacificus*, ex fine a Papa intento et ex auctoritate interpretum. Cfr. *Laurin*, l. c., § 78 *seq*;. *Wernz*, l. c., *n.* 242.

3.° *Universalis* item et *authentica* collectio est *Sextus Decretalium;* est etiam *exclusiva*, siquidem ea abrogantur non solum omnia vetera praescripta legalia indolis universalis quae ipsi sint contraria, quamvis in Decretalibus Gregorii IX contineantur, sed insuper omnes Decretales praedecessorum Bonifacii VIII quae post Gregorium IX editae sint, nec insertae in Sexto, nisi expresse exceptae sint. Vid. bullam promulgationis *Sacrosanctae*, item *Laurin*, l. c., § 119.

4.° Quoad *Clementinas*, *authenticam* quidem collectionem indolis *universalis* constituunt; non tamen *exclusivam*, nam vigentes

---

(1) Fuit P. Pons, barcinonensis, unus e Patribus Societatis Jesu inique a Carolo III ex Hispania pulsis. Insignis ille canonista, philosophus, theologus, historicus et criticus, fere omnes disciplinas ecclesiasticas exul in Italia docuit in pluribus Collegiis et Seminariis, suique ingenii et eruditionis gloriosa monumenta in variis operibus suis nobis reliquit. De quo ita *P. Wernz*, l. c., *vol.* I, *n.* 318: «Ponsius illis canonistis catholicis adnumerandus est, qui jam ultimo saeculo (scil. saeculo XVIII) necessitatem promovendi studia historica in excolendo jure canonico magis perspectam habuerunt, et proprio labore operi exequendo haud sine successu manum admoverunt.»

agnoscit constitutiones a Romanis Pontificibus editas a tempore Pontificis Bonifacii VIII, quae in Clementinis non inserantur, nec ipsis contrariae sint. Ita bulla evulgationis *Quoniam nulla*. Cfr. *Laurin*, l. c., § 135.

87. — *Extravagantes*, quatenus *collectiones*, *publicae* non sunt, multoque minus authenticae; sed plane *privatae* sunt. Attamen constitutiones in eis contentae genuinae sunt; ideoque, eo quod sint constitutiones pontificiae, eadem auctoritate gaudent, quam haberent, si in praedictis collectionibus insertae non essent. *Laurin*, l. c., § 145 *seq.*, § 152 *seq.*; *Wernz*, l. c., *n.* 251.

Extravagantium autem *communium* compilatio, meritum ejus scientificum si spectetur, inferior est ceteris omnibus collectionibus in Corpore juris contentis. *Laurin*, l. c., § 150.

ARTICULUS VIII

APPENDICES AD CORPUS JURIS

88. — Solet in quibusdam editionibus Corporis Juris tanquam Appendix adjici quidam vocatus *Liber Septimus Decretalium*, ab advocato *Petro Matthieu* compositus. Dividitur in quinque libros, qui et ipsi in titulos et capita subdividuntur; et comprehendit Decretales a Sixto IV (1471-1484) usque ad Sixtum V (1584-1590), cum nonnullis ante Sixti IV tempus editis. Hujusmodi collectio plane privata est, nec ad Corpus Juris pertinet.

Solent item ut appendix adjici Institutiones Lancelotti (1590), ad modum Institutionum Justiniani dispositae; attamen vi legali carent, nunquam enim ut tales Institutiones a Pontificibus probatae sunt, quamvis id valde obtinere conatus sit earum auctor.

Alias appendices editores varii addere solent, quae tamen hic brevitatis causa omittuntur.

ARTICULUS IX

DE ALLEGATIONIBUS TEXTUS CORPORIS JURIS

89. — Quoniam in omnibus operibus Juris canonici quae usque ad promulgationem Codicis scripta sunt frequentissimae sunt allegationes Corporis Juris, necessarium est studioso Juris canonici modum nosse quo allegationes fiunt, ut eas comprobare valeat.

90. — Ipsae Juris collectiones, initio aut in fine, alphabeticis indicibus instruuntur, in quibus tituli et capita, aut distinctiones, causae et canones praesto sunt; ut ex illis statim allegatio inveniri possit, etiamsi numerus titulo aut capiti respondens in allegando omissum sit.

91. **Decreti allegationes.** — Quoties allegatio fit per *causas*, ea ad secundam partem Decreti Gratiani pertinet. Si vero per *distinctiones* fiat allegatio, ea pariter ad Decretum pertinet, nondum tamen constat cui ex tribus Decreti partibus assignanda erit. Itaque, si ea numerum septenum excedit, tantum ad primam partem pertinere potest; si non excedit, nec aliud verbum additur, etiam ad primam spectabit: si vero addatur *de poenit.*, erit secundae partis; si denique addatur *de consecr.*, erit tertiae partis.

Modus autem ipse allegandi diversus a diversis auctoribus adhibetur.

Alii enim primum verbum canonis enuntiant, adduntque distinctionem aut causam ad quam canon spectat, designato etiam aut non designato numero ordinali; alii vero solummodo numerum exprimunt, quod nostro hodierno agendi modo aptius congruere videtur.

Itaque, prima pars Decreti aliquo ex his modis citari potest:

Can. Miramur, dist. 61; aut *can.* 5, *dist.* 61; aut *can. Miramur* 5, *dist.* 61; aut *dist.* 61, *Miramur.*

Secunda pars, in causas et canones divisa, sic allegatur:

Can. Quia juxta 59, *cau.* 16, *q.* 1; aut *can.* 59, *cau.* 16, *q.* 1.

Tractatus de poenitentia, in eadem secunda parte, divisus in distinctiones, sic allegabitur:

Can. Lacrimae 4, *dist.* 1, *de poenit.*

Tertia pars allegatur enuntiato canone et distinctione, et addita voce *De Consecr.*, hoc modo:

Can. 12 *Missarum, dist.* 1 *de Consecr.*

Quoties allegatio fit per titulos et capita, ea ad Decretales refertur, ad Sextum, ad Clementinas aut ad Extravagantes.

92. **Allegationes Decretalium.** — Fiunt per primum verbum capitis et titulum proprium, addito aut omisso numero ordinali.

Ex. gr.: *Cap. Odoardus, de Solutionibus.*

Ad hanc allegationem inveniendam, quaeritur Index capitum, atque in eo verbum *Odoardus*, cui in Indice adnectitur designatio capitis, tituli et libri. — Vel etiam consuli potest Index alius, scil. titulorum, indeque regredi ad textum, et percursis ordinate capitibus, reperietur illud quod verbo proposito incipit.

Nonnulli in allegando, solummodo capitis numerum exprimunt, non autem numerum tituli: v. gr., *Cap.* 3 *de Electione.* Tunc ad Indicem titulorum recurrendum est, ibique simul cum verbis tituli, ejus etiam libri et ipsius tituli numerus reperietur. — Alias caput duplici nota citatur, ut, ex. gr., *Sicut Romana* 7 *de Rescriptis.*

Verba autem allegationis quae praepositione *de* inchoantur, ea sunt quae titulum designant: v. gr., *de* Rescriptis, *de* Electione, *de* Sponsalibus, etc.

Si vero in Indice plura capita eodem verbo incipiant, illud eligendum est quod titulo allegationis respondet.

93. — In allegandis libro Sexto, Clementinis et Extravagantibus, eadem forma servari solet ac in Decretalibus Gregorii IX, nisi quod allegationi additur respective *in VI*, *in Clem.* aut *Extravag.* Idcirco, in iis allegationibus quaerendis, eadem jam explicata methodo agendum erit.

CAPUT V

TENTAMINA NOVAS COLLECTIONES AUTHENTICAS CONFICIENDI

ARTICULUS I

SEPTIMUS DECRETALIUM

94. — Post absolutum Concilium Tridentinum, exactis item fere tribus saeculis ab ultima collectione authentica, flagrabant omnes desiderio novae compilationis quae praescripta omnia legalia post Clementinas edita complecteretur (1).

95. — Hujus operis edendi consilium coepit Gregorius XIII Papa, ejusque executionem Cardinalibus Ursino, Alciato et Carafa demandavit, postquam ipse Gregorius XIII per se in eodem laboraverat; attamen anno 1585 mortuus est, et opus inceptum reliquit.

96. — Ejus successor Sixtus V coeptum opus continuari voluit, eique praefecit Cardinalem Dominicum Pinellum die 28 junii 1587, quem in id ministerium incumbere jussit «ita impense, ita vehementer, ut excusare, vel magnitudine muneris, vel [ob] ceteras meas occupationes et alia quaedam impedimenta, nulla ratione licuerit», quae verba sunt ipsius Cardinalis Pinelli, l. c.

Rogatu ipsius collectoris, facultatem ei dedit Pontifex ut suo labori illustres viros comites assumeret, inter quos Cardinalis erat Aldobrandinus, qui postea Papa fuit sub nomine Clementis VIII. Strenue haec commissio allaboravit, atque anno 1592 materiam selectam jam habebat, titulis et libris respectivis ordinatam; libri autem singuli separatim excussi erant.

Ad revisionem subinde ventum est; et die veneris 22 augusti ejusdem anni, celebrata fuit sessio prima, quam secutae sunt sine intermissione aliae sessiones singulis diebus veneris usque ad finem anni sequentis 1593. In revisione primi libri consumptae sunt 21 sessiones.

Revisione peracta, ipsi Cardinali Pinello commissa est cura collectionem emendandi juxta observationes a commissione factas, et opus totum eo stylo et forma exhibendi quam ejus indoles juridica postulabat. Quo in opere usque in diem 1.m augusti 1598 laboravit, eoque die (20 scilicet annis postquam Gregorius XIII ei manum imposuerat) rem plane confectam declaravit. Mortui erant interim Summi Pontifices Gregorius XIII († 1585), Six-

---

(1) «Opus necessarium — eam vocabat Cardinalis Pinellus, — efflagitatum omnium Praesulum et gymnasiorum, totius Ecclesiae vocibus.» Clementis VIII Decretales, edic. *Sentis*, prolegomena, *pag.* XXVII (Friburgi-Brisgoviae, 1870).

tus V († 1590), Urbanus VII († 1590), Gregorius XIV († 1591), et Innocentius IX († 1591). Ubi Pinellus compilationem Papae obtulit, 1.[a] augusti 1598, sexto jam anno cathedram sancti Petri Clemens VIII occupabat.

97. — Ob gravia occurrentia incommoda, opus statim approbari non potuit, et Clemens ipse VIII obiit 1605, quin approbatio adhuc data fuisset (1). Sub Paulo V, annis 1607, 1608, iterum collectio examinata et correcta fuit; attamen nec tunc nec unquam postea ea fuit approbata (2).

98. — En titulum hujusmodi compilationis: «Sanctissimi Domini Nostri D. Clementis Papae VIII Decretales». Attamen ipse Pinellus in quadam nota ipsam vocavit «*Librum Septimum Decretalium*», et hoc nomine designari solet. Vid. *Fagnano*, l. c.; *Ben. XIV*, De synodo, *l.* 13, *c.* 24, *n.* 2, etc.; *Sentis*, l. c., proleg., *pag.* 1 *seq.*; *Wernz*, l. c., *n.* 26 *seq.*; *Laurin*, l. c., § 157, *not.* 3.

99. — Nuper, anno 1870, Franciscus *Sentis*, professor universitatis Friburgensis in Brisgovia (Germaniae), non tantum hujusmodi Librum Septimum evulgavit, sed eum usque ad eundem annum 1870 extendit, recentiora documenta et praescripta canonica suis locis addens et distribuens. Initio autem operis praemittit *Sentis* introductionem historico-criticam summi et inaestimabilis pretii. Librum edidit *Herder*.

ARTICULUS II

BULLARIUM BENEDICTI XIV

100. — A tempore Pauli V nullum opus compilationis coeptum est auctoritate pontificia, si tomum *primum* Bullarii Benedicti XIV excipias: ille enim jussu ipsius Papae vulgatus est, et collectionem constituit publicam, *chronologicam*, litteralem, non tamen authenticam stricto sensu, neque exclusivam. — Comprehendit tantum constitutiones ipsius Benedicti XIV *sex* primis annis ejus pontificatus editas. Vid. const. *Jam fere sextus*, quae ei tomo praefigitur. Cfr. *Brabandère*, Juris canon. institut., *vol.* 1, *pag.* XLI (Brugis, 1882).

CAPUT VI

NOVI CODICIS NECESSITAS

101. — Vehementius quotidie urgebat necessitas novae compilationis. Post sex saecula quibus nulla totius Juris canonici compilatio facta fuerat, consequens erat ut fontes juridici innumeris

---

(1) Auctores nonnulli, perperam forte verba quaedam Fagnani interpretantes (*lib.* 2, *tit.* 1, *c.* 12, *n.* 61 *seq.*) supponunt collectionem approbatam fuisse et promulgatam a Clemente VIII, at paulo post, ipsam approbationem ab eo revocatam esse, et librum jussu ipsius suppressum. At vero collectio, ut *Sentis* demonstrat, l. c., *pag.* 11 *seq.*, nunquam approbata est, licet pluribus exemplaribus ea, ut commodius censurae subjici posset, edita fuerit.

(2) Quibus de causis approbatio impedita fuerit, ignotum est; suspicio tamen adest, eaque haud fundamento destituta, non minimam causam fuisse (praeter alias quasdam ordinis interioris) regalismum effrenatum in quibusdam Curiis europaeis praevalentem, de quibus timor erat ut difficultates opponerent. *Sentis*, l. c., *p.* XI *seq.*

voluminibus sparsi essent, leges plures in desuetudinem abiissent, aliae aliis repugnarent, et haud paucae revocatione indigerent et accommodatione, ut nostrorum temporum necessitatibus satisfacere possent.

102. — Usque ad evulgationem Codicis, si quis omnes fontes juridicos habere vellet, necesse erat ut acquireret *Corpus Juris*, Concilium Tridentinum, Bullaria, quae pluribus tomis in folio constant, et incompleta adhuc sunt, et emptu difficilia; collectiones authenticas SS. CC. Rituum (5 tomis), Indulgentiarum (1 tomo), Thesaurum Resolutionum S. C. C. (160 et pluribus voluminibus, quorum multa in folio edita sunt), etc., hisque addere plures alias collectiones privatas. Adeo ut merito diceretur Jus canonicum esse *onus multorum camelorum*. Quo patet quam difficile fieret studium fontium juris, quamque ardua eorum applicatio in tribunalibus, adeo ut sive in favorem unius sententiae, sive contra eamdem allegari possent praescripta legalia vigentia (1).

CAPUT VII

QUANTUM FUERIT COMMUNE CODICIS DESIDERIUM

103. — Haud mirum est adeo propagatum fuisse novi Codicis desiderium. In Concilio Vaticano plura oblata sunt postulata quibus codicis promulgatio exposcebatur (2).

---

(1) En verba 27 Episcoporum ex regno Neapolitano in postulato quodam ad Concilium Vaticanum: «Quantum expediat novum Juris Ecclesiastici corpus conficere, quod *ingens camelorum onus evasit*, ratione Juris novi et novissimi, neminem praeterire arbitramur. Hinc dimanat quod pro compluribus Juris dispositionibus est cur pro et contra disputationes habeantur et textus citandi et textus objiciendi, decisiones et sententiae in quolibet sensu: adeo ut aegerrime definiri possint quaestiones, et acerrime disputatae nunquam dijudicentur.»

In eadem sententia sunt 11 Episcopi ex Gallia: «Evidentissimum est, ajunt, ab omnibus jamdiu agnitum, et ubique conclamatum, juris canonici aliquam revisionem et reformationem necessariam esse, valdeque urgentem. Siquidem ob tam multiplices gravesque rerum et societatis humanae mutationes, leges permultae, quaedam inutiles, aliae observatu impossibiles aut difficillimae, evaserunt. De innumeris quoque canonibus ambigitur utrum hactenus vigeant necne. Demum, per tot saeculorum decursum ita excrevit legum ecclesiasticarum numerus, et leges illae in ingentibus juris collectionibus adeo cumulatae sunt, ut aliquo sensu dicere possimus: *obruimur legibus*. Hinc fit ut studium juris canonici infinitis prope et inextricabilibus difficultatibus implicetur; controversiis ac processibus latissimus locus pateat; et conscientiae mille anxietatibus angantur, et in contemptum legum impellantur.» *Martin*, Omnium Concilii Vaticani documentorum collectio (Paderbonae, 1873), *pags.* 158, 159.

(2) Unum ex iis, ut dictum est in praecedenti nota, ab Episcopis Neapolitanis oblatum est (Collectio Lacensis, *vol.* 7, *col.* 825); aliud, de quo etiam verba fecimus, a pluribus Episcopis Galliae (*Ibid.*, *col.* 840); aliud a pluribus Episcopis Germaniae (*Ibid.*, *col.* 874); aliud a pluribus Episcopis Italiae centralis (*col.* 882); aliud a 13 Praelatis provinciarum ecclesiasticarum Quebec et Halifax in Statibus Foederatis Americanis (*col.* 879); aliud subscribitur a 33 Patribus Concilii (*col.* 889), etc. Vid. item *col.* 1020. Eadem postulata videre est apud *Martin*, l. c., *pags.* 158 *seq.*, 178, 185 *seq.*, 190, 202 *seq.*

104. — Hoc idem desiderium a canonistis, sive nostratibus sive extraneis, saepius significatum fuit.

«Quotquot scriptores hanc materiam attingunt, ait *Manjón* (Derecho eclesiást., *vol.* 1, *n.* 431), necessitatem novae Collectionis authenticae unanimiter confirmant; eam etiam plures Patres in Concilio Vaticano postularunt; et quidem christianus quilibet scriptor, cujus in votis est Juris ecclesiastici notitiam magis et magis ubique diffundi, quo ipsum Jus ab omnibus hominibus rectae voluntatis perfectius observetur, vehementiusque diligatur, non potest quin ardentissime desideret ut nobis Deus saltem aliquem Raymundum de Peñafort, Gregorio altero IX suffultum, concedat.»

«De Jure enim ecclesiastico dici potest id quod olim graphice de Jure Romano dictum est: *Est onus multorum camelorum.*»

«Praesules omnes, litterarum Universitates, eruditi juris cultores... novam canonum collectionem... efflagitare dicuntur», scribebat *Sentis*, l. c., *p.* IV. — Et in eadem sententia plures alii auctores sunt, velut *Pillet* in opere Jus canonicum, *pag.* V *seq.*, et in memoria «De la codification du droit canonique», Congressui Internationali Friburgensi in Helvetia oblata anno 1897 (Compte rendu, quatrième section, *pag.* 319 *seq.*) (1).

CAPUT VIII

DE CODICE JURIS CANONICI REDIGENDO DECRETUM PII X

105. — Universi juris canonici codificationem fieri jussit Pius X Motu proprio *Arduum sane* 19 martii 1904. Vid. *Razón y Fe*, *vol.* IX, *pag.* 224 *seq.*

Ut hoc suum magnificum consilium in exsequutionem deduceret, creavit Summus Pontifex consilium seu Commissionem Pontificiam Cardinalium nomine proprio ab ipso designatorum, cujus ipse esset praeses, vel si ipse abesset, antiquior e praesentibus Cardinalibus in ea praesideret (2).

---

(1) En quid scribat etiam *Lega,* De judiciis, *vol.* 1, Prooem., *pag.* 9: «Omnium animos, etiam Ecclesiae Antistitum, pervasit opinio, veterem canonum collectionem admodum immutatae Ecclesiae disciplinae non amplius respondere, jamque codicem comparandum esse quo aptiore ordine inserantur leges hodiernis moribus accommodatae, claris et expressis verbis conceptae, ad instar codicum passim a civili auctoritate editorum. In Concilio Vaticano Patres unanimes expostularunt canonum reformationem, et plures hujusce generis codicis ordinationem se exoptare significarunt.»

(2) Cardinales designati fuere sequentes: Vannutelli (Seraphinus), Agliardi, Vannutelli (Vincentius), Satolli, Rampolla, Gotti, Ferrata, Casetta, Mathieu, Gennari, Cavicchioni, Merry del Val, Steinhuber, Segna, Vives et Cavagnis. Ex his, in promulgatione novi Codicis tantum in vivis erant Cardinales Vannutelli (Vincentius), Casetta et Merry del Val.

106. — Jussit itidem Pius X adesse numerum sufficientem consultorum a Cardinalibus electorum, approbante Papa, inter doctissimos canonistas et theologos. Die autem 25 ejusdem mensis martii, 17 consultores designati jam erant: inter quos numerabantur hodierni Cardinales De Lai et Van Rossum.

107. — Jussit praeterea per circulares litteras 25 martii 1904 (1), ut ad Codicis elucubrationem omnes orbis Praelati concurrerent; quod ut fieret, Archiepiscopi votum exquirerent suorum suffraganeorum et aliorum Praelatorum (si quidem adessent) qui ad Concilium provinciale assistere tenentur; eoque audito, ad Sanctam Sedem referrent quaenam mutationes vel correctiones in Jure canonico tunc vigente faciendas censerent.

Ad procedendi modum quod attinet, consultores materiam praeparare, et suam de illa sententiam exponere jussi sunt, praeside Secretario Cardinalitiae Commissionis, qui fuit hodiernus Cardinalis Gasparri; ipseque item ab initio ad finem praecipuus motor et veluti anima fuit ad Codicem elaborandum. Post absolutum laborem consultationis, ejus conclusiones examini et deliberationi Emmorum. Cardinalium subjiciebantur, quorum decisiones Papae communicandae erant ad earum definitivam approbationem.

108. — Ubi prima Codicis adumbratio perfecta est, missa fuit per partes ad Episcopos universi orbis sub datis 20 martii 1912, 1 aprilis 1913, 1 julii ejusdem anni 1913, et 15 novembris 1914, ut cum proprio Archiepiscopo congregati, de re tota quas opportunas censerent observationes exponerent, easque ad Sanctam Sedem mitterent. Impositum fuit ipsis secretum pontificium, et concessum ut unum aut duos canonistas cleri saecularis vel regularis de re consulerent, sub eodem secreto (2).

---

(1) Vid. *Razón y Fe*, *vol.* IX, *pag.* 370, 371.

(2) En verba encyclicae qua Codicis adumbratio mittebatur:

COMMISSIO PONTIFICIA LEGIBUS CANONICIS IN UNUM REDIGENDIS.

Normae de mandato Summi Pontificis ob oculos habendae ab Episcopis quorum examini subjiciuntur canones Codicis Canonici.

«I. Antistites suas animadversiones in canones libere patefaciant.

II. Animadversiones paucis concinnentur verbis.

III. Lingua latina exarentur.

IV. Antistibus permittitur adhibere in hoc examine unum duosve ad summum peritos juris canonici viros, e clero sive saeculari, sive regulari, sibi bene visos.

V. Maxime optandum est ut Antistites, postquam canones hos examinaverint suasque animadversiones paraverint, in unum conveniant apud proprium Metropolitam, ibique, de proposita re, consilia inter se conferant; subinde vero Metropolita ad Sanctam Sedem omnium animadversiones *per modum unius* mittat, curans ne eadem animadversio pluries repetita appareat.

VI. Si quis neque se ipsum ad Metropolitam conferre neque quemquam, qui sua vice fungatur, apud eumdem delegare facile possit, ad eum animadversiones mittat per litteras; si id quoque difficultatem prae se ferat, illas directo ad Sanctam Sedem mittat.

VII. Metropolita curet quamprimum ad unumquemque e suis Suffraganeis mittere exemplar quod ipsi destinatum est.

VIII. Antistes quisque exemplaria quae accipiet, diligenter apud se custodiat.

IX. Omnes prohibentur ne praescripta canonum in hoc volumine contentorum aliis

109. — Hucusque labor Codicis redigendi processerat, cum Pius X, 20 augusti 1914, sancte decessit. Benedictus autem XV, ejus successor, opus, jam a duodecim integris annis inchoatum, in omnes suas partes recognovit, probavit, et per const. *Providentissima Mater Ecclesia*, die festo Pentecostes, 27 maji 1917 data, Codicem ipsum canonici juris solemniter promulgavit.

---

quoquo modo communicent, sive scripto sive viva voce, praeter viros juris canonici peritos de quibus supra.

X. Animadversiones debent ad Sanctam Sedem mitti intra spatium quinque mensium et non ultra ex quo exemplaria recepta sint.

Romae, 15 novembris 1914. — Petrus Cardinalis Gasparri.»

Num. VIII in omnibus aliis encyclicis omissum est, et consequenter numeratio correcta.

LIBER I

Normae generales

110. — Libro primo, qui omnium novi Codicis brevissimus est, septem primum canones de efficacia juridica ipsius Codicis proponuntur. Secundo loco veniunt sex tituli quibus generalia et fundamentalia principia statuuntur. Titulus I de legibus ecclesiasticis est; II, de consuetudine; III, de temporis supputatione; IV, de rescriptis; V, de privilegiis; VI, denique de dispensationibus.

TITULUS PRAEVIUS

De natura et efficacia Codicis canonici

111. — Sicut in limine expositionis totius Codicis liber praevius ad quamdam materiae introductionem necessarius fuit, ita ante expositionem sex titulorum libri I titulus praevius nunc apponitur, ut de natura Codicis et de septem canonibus quae in Codice librum ipsum I praecedunt, ea quae scire opportunum est exponantur.

CAPUT I

DE NATURA CODICIS CANONICI

ARTICULUS I

CODICIS CANONICI PRAESTANTIA

112. — Per duos immortales Pontifices, Pium X et Benedictum XV, nuper Ecclesia Codice canonico ditata est, inter cetera videlicet legislationis canonicae omnium saeculorum opera, monumentum praestantissimum.

Praestat quidem primo, quia, id quod praecedentes legislationes

non fecerant, leges omnes canonicas servandas in se uno integre comprehendit. At Decretales contra, quidquid in Decreto Gratiani ante ipsam vim obligandi habebat, intactum reliquerunt. Pariter, Sextus et Clementinae, non solum ea quae in Gratiano vigebant, sed cunctas insuper Decretales in suo vigore conservarunt. Hinc leges canonicae in pluribus libris erant dispersae, et earum notitia ex pluribus authenticis fontibus haurienda erat.

Igitur, Codice nostro antiquum *Corpus Juris* integrum, omnesque fontes ipsum Codicem praecedentes, Tridentino Concilio, quod ad disciplinam attinet, incluso, abrogantur. Tantummodo ea quae liturgiam respiciunt, conservantur; quam partem Codex solum in quibusdam fundamentis attingit. Etenim maxima pars disciplinae liturgicae, practicis illis instructionibus (*reglamentos*) adnumeranda est, quae in legum Codicibus locum habere non solent.

113. — Praestat secundo loco novus Codex, quia post *sex saecula* collectus et digestus est, in quibus, propter ingentes rei difficultates, quae conantes ab incepto retrahebant, nullum tale opus indolis universalis editum fuerat.

114. — Praestat tertio propter formam in eo adhibitam, qua ab omnibus veteribus collectionibus magnopere differt.

Omnes enim illae, Codicem Justinianeum et priscas Juris Civilis recopilationes imitatae (v. gr., *Las Partidas*, la *Antigua*, *Nueva* y *Novísima Recopilación*), ex serie pontificiarum constitutionum aut earum fragmentorum coalescebant, in quibus pars praeceptiva et vere utilis, eaque in qua unice vis legis erat, pluribus adjunctis innecessariis obvolvebatur, quae non solum inopportune et moleste textum legalem protrahebant, aucto immodice compilationis volumine, sed sensum ipsum legis obscurum reddebant, adeo ut summariis opus esset, haud semper omnino fidelibus.

Novus Codex canonicus per articula brevia procedit, clara et simplicia, recentiores codices civiles europaeos et americanos imitatus, idque summa utilitate, ratione brevitatis et claritatis (1).

Licet enim recentiores codices haud semper circa *doctrinam* cum sanis principiis catholicis concordent; eorum tamen forma singulari laude digna est, quia magnopere juris notitiam facilem reddit, ejusque applicationem simpliciorem et securiorem in tribunalibus reddit. Cui utilitati tribuendum est quod spatio temporis centum annis breviore, nationes fere omnes, tum Europae tum Americae, leges suas in codicem redegerint, admissa eadem forma in codicis elaboratione. Ad Hispaniam quod attinet, juris-

---

(1) Codicem canonicum hac forma ordinandum innuerat jam Pius X in encyclica ad Universitates catholicas missa «ut universum Jus in canones seu articulos, ad formam recentiorum Codicum, apte distribuatur.» Cfr. *Razón y Fe, vol.* 10, *pag.* 387, ubi proponitur epistola ad Universitatem Insulanam missa.

consulti asserunt, post promulgationem Codicis civilis, insigniter decrevisse numerum litium, abs dubio propter faciliorem et certiorem juris cognitionem.

Itaque Ecclesia in externa forma sui Codicis Status civiles imitata est, et simul divinae doctrinae suae influxu spiritum civilium legum pervasit, ipsis suavitatem instillans, deleto etiam id quod in eis enorme et vitiosum ab ethnicis superstitionibus derivatum erat.

Haec eadem forma ab Ecclesia in quibusdam legibus partialibus post dimidiatum saeculum XIX adhibita fuerat (1).

115. — Quamvis autem in hac forma reliqui civiles Codices nostrum tempore praecesserint, noster tamen omnibus eis praestat, ob difficultates in ejus elucubratione superatas: ceteri enim, ut summum, unam nationem complectuntur, Codex vero canonicus ad omnes nationes et regiones mundi protendi debet.

ARTICULUS II

CODICIS PROMULGATIO EJUSQUE DIVISIO

116. — *Codex juris canonici* per constitutionem *Providentissima Mater Ecclesia*, die festo Pentecostes anni 1917 editam, promulgatus est. In eadem constitutione edicitur Codicem nonnisi a die festo Pentecostes anni proxime venturi, scilicet, a 19 maji 1918, vim obligandi primo habiturum.

117. — Dividitur, sicut Decretales, in quinque *libros*, licet diverso ordine, qui potius classicae veteri divisioni qua Institutiones communiter tradebantur, respondet: *De personis*, *De rebus*, *De judiciis et poenis*.

Liber I nonnisi *Normas generales* continet, Gratiani Decretum in hoc quodammodo imitatus (*n.* 69 *seq.*), ubi per viginti distinctiones principia generalia traduntur; imo et Decretales sequutus, in quarum quatuor prioribus titulis principia generalia etiam proponuntur. Neutra tamen ex his veteribus compilationibus librum separatum principiis destinavit, id quod noster Codex facit.

Liber II *De personis* agit, et libro I Decretalium proprie respondet; liber III, *De rebus*, respondet libris III et IV Decretalium; liber IV, *De processibus*, assimilatur libro II Decretalium; et liber V, *De poenis*, congruit libro V Decretalium (2). Vid. *n.* 78.

---

(1) V. gr., in Const. Pii IX *Apostolicae Sedis*, in qua materia de censuris latae sententiae ordinata fuit (1868), et in Const. Leonis XIII *Officiorum ac munerum* (1900), qua materia de censura et prohibitione librorum in formam legis redacta est.

(2) Prima Codicis editio, et velut typica, in commentario officiali *Acta Apostolicae Sedis* edita est juxta const. *Promulgandi* (vide inferius, *n.* 145 *seq.*). Ea integrum

118. — Canones continuam seriem efformant, ut in Codicibus modernis fieri solet, et numerum 2414 complent. *Libri* in *Partes* dividuntur, et partes in *Titulos*, ita ut tituli in singulis libris seriem unicam et separatam constituant; omnium eorum summa est 107 (1). Tituli in *capita;* capita in *articulos;* articuli in *canones;* canones in *paragraphos*, hac nota § designatas, subdividuntur.

CAPUT II

CODICIS JURIS CANONICI EFFICACIA JURIDICA

119. — Codex a Summo Pontifice suam efficaciam mutuatur. Pontificis vero potestas *a*) ad integram Ecclesiam catholicam; *b*) et ad omnes leges extenditur, ita ut quamlibet praecedentem legem, quae mere ecclesiastica sit, possit revocare.

Operae itaque pretium erat nosse an mens Pontificis fuerit potestate sua uti cum omni plenitudine efficaciae propriae, an potestate certis limitibus coarctata, sive quod ad personas Codici obnoxias, sive quod ad legum praecedentium revocationem pertinet.

120. — Principia autem in hac materia communiter admissa haec enumerabantur: 1.° circa personas, leges disciplinares ad orientalem Ecclesiam extendi non solere; 2.° circa leges, legem generalem posteriorem leges praecedentes sibi contrarias derogare; itemque compilationem absolute *exclusivam* derogare omnes leges generales praecedentes, licet sibi non contrarias, si eas non reservet seu excipiat; 3.° circa Concordata, non posse illis derogari nec generaliter abrogari nisi de utriusque partis consensu; 4.° circa jura acquisita, privilegia et indulta, ea majori difficultate quam leges generales aut particulares derogari, conveniens enim est beneficia a Pontifice concessa diu durare (2); cui normae regula 18 Cancellariae apostolicae respondebat *de jure quaesito non*

---

volumen constituit, ejusdem magnitudinis ac numeri consueti ipsius commentarii *Acta,* 521 paginis constans. Prioribus 456 Codex; reliquis, octo documenta et Index continentur. — Ex his autem 8 documentis 4 priora de electione Pontificis et de paroeciarum provisione per concursum agunt; quintum est celebris Constitutio Ben. XIV *Sacramentum Poenitentiae*, et reliqua tria ad privilegium Paulinum pertinent in matrimoniis infidelium conversorum.

(1) En titulorum et canonum enumerationem in singulis libris, assignatis paginis cuivis libro respondentibus. — *Liber I,* 6 titulis constat, et continet canones ab 1 ad 86, *pag.* 11-23. — Notandum hic est canones 1-7 ante titulum I proponi. — *Liber II,* 10 titulis constat, et canones continet ab 87 ad 725, *pag.* 24-154, ita ut canones 87-107 titulum I praecedant. — *Liber III,* 30 titulis constat, et continet canones a 726 ad 1551; *pag.* 155-300; ita ut canones 726-730 titulum I praecedant. — *Liber IV,* 33 titulis constat, et canones continet a 1552 ad 2194, *pag.* 301-411; ita ut canones 1552-1555 titulum I praecedant. — *Liber V,* 19 titulis constat, et canones continet a 2195 ad 2414, *pag.* 412-456.

(2) Decet concessum a principe beneficium esse mansurum. *Reg. juris* 16 in sexto.

tollendo; 5.°, circa particulares consuetudines, leges et statuta, haec omnia legibus generalibus non derogari, nisi aliud expresse caveatur (1).

In praesenti considerandum est quo pacto hujusmodi principia in Codice applicentur.

121. — Regulae quae fundamentum interpretationi Codicis praebent, septem primis canonibus, ante titulum libri primi positis, continentur. Ipsae vim Codicis sive obligatoriam sive derogatoriam exponunt *a*) circa Ecclesiam orientalem; *b*) circa leges liturgicas; *c*) circa concordata, jura quaesita, privilegia et indulta; *d*) circa consuetudines; *e*) circa disciplinam vigentem tempore quo Codex promulgatus est. — Quinque priores canones ea respiciunt quae Codex *reservat* seu non abrogat; sextus vero *indolem* Codicis *exclusivam* ostendit. Vid. *n.* 64.

ARTICULUS I

PROFESSIO FIDEI ET JURAMENTUM CONTRA MODERNISMUM

122. — Ante ingressum libri I adest professio Fidei catholicae, juxta formulam omnibus notam. Quoniam vero nec ibi, nec alibi in toto Codice, mentio ulla fit de juramento contra modernismum, quod a Pio X praescriptum erat, videtur ex jure communi obligationem illius juramenti faciendi ulterius non adesse. Cfr. *can.* 6, 6.°

ARTICULUS II

CODEX ET ECCLESIA ORIENTALIS

De Ecclesia orientali et de orientalibus ritibus, inferius dicetur, initio libri II, ad canonem 98.

123. — Codex Latinam tantum Ecclesiam respicit, nec Orientalem obligat, nisi de iis agatur, quae ex ipsa rei natura etiam Orientalem afficiunt (*can.* 1).

Ratio autem, ut jam innuimus, est quia uti generale principium habetur Constitutiones et decreta pontificia ad catholicos ritus orientalis non extendi nisi in hoc triplici casu: 1.° si dogmatica sint; 2.° si Pontifex expresse catholicos orientales nominat, eisque aliquid praescribit; 3.° si *implicite* seu *tacite* aliquid ipsis etiam in iisdem Constitutionibus praescribit, eo quod praecepta illa in jure naturali aut divino positivo innituntur, ut, v. gr., causae appellandi ad futurum Concilium (2).

---

(1) Cap. 1 de Const. in sexto.

(2) «Cum die 4 julii an. 1631 doctorum virorum Congregatio in palatio Cardinalis Pamphilii, qui postea ad Summum evectus Pontificatum Innocentii X nomen assumpsit,

Idem, et ob eamdem causam, a Sacra Congregatione Concilii declaratum fuerat 25 jan. et 1.° febr. 1908, circa decretum *Ne temere* de forma Sponsalium et Matrimonii. Cfr. *Ferreres*, Los Esponsales, *n*, 516, ed. 6.ª

124. — Igitur, cum Codex fere totus disciplinaris, non dogmaticus sit, communiter Ecclesiam Orientalem non respicit, exceptis paucis nonnullis quibus Orientalibus expressa indicitur obligatio, v. gr. can. 98, qui de personis agit in ordine ad diversos ritus; aut de ipsis implicite disponit, ut canonibus 222-227 de Concilio oecumenico et de his qui Concilio interesse debent, etc., et canone 228, § 2, omnem appellationem a sententia Romani Pontificis ad Concilium excludente, aliisque similibus.

ARTICULUS III

CODEX ET LEGES LITURGICAE

125.—Non solet Codex quidquam praescribere de ritibus et caeremoniis quas liturgici libri servare jubent in celebratione sacrosancti Missae sacrificii, in administratione Sacramentorum et Sacramentalium, et in aliis actibus sacris; neque enim mens fuit liturgicas leges, sed disciplinares in unum redigere; ideoque omnes liturgicae leges vim suam retinent, nisi aliqua eorum expresse in Codice corrigatur (*can.* 2). Unde auctoritatem suam retinent, ut fontes juris liturgici, Missale, Breviarium, Pontificale, Caeremoniale Episcoporum, Rituale Romanum, et Collectio Decretorum Sacrae Rituum Congregationis.

126. — Quoniam autem in Codice nulla ulterius alia lex generalis excipitur aut reservatur, sequitur nonnisi Codicem ipsum et leges liturgicas tanquam fontes juris generalis remanere. Cfr. praedicta *n.* 112, et declarationem can. 6.

ARTICULUS IV

CODEX ET CONCORDATA

127. — Circa Concordata, ea Codex vigentia in omnibus relinquit, veluti si Codex ipse promulgatus non esset (*can.* 3).

---

habita fuisset, sequenti modo conclusum et pronuntiatum est: Subditi quatuor Patriarcharum Orientis non ligantur novis Pontificis Constitutionibus nisi in tribus casibus: 1.° in materia dogmatum fidei; 2.° si Papa explicite in suis Constitutionibus faciat mentionem et disponat de praedictis; 3.° si implicite in iisdem Constitutionibus de iis disponat, ut in casibus appellationum ad futurum Concilium.» Benedicti XIV, De Ritibus, *cap.* VIII, 35 (Benedicti XIV Papae, Opera inedita, Friburgi Brisgoviae, 1904, *pag.* 54); De Canonizatione Sanctorum, *lib.* I, *cap.* 38, *n.* 15. Idem legere est in Encyclicis Litteris S. C. de Propaganda Fide, 8 novembris 1882 (*Collectanea, n.* 1578, *ed.* 2.ª). Cfr. etiam Decret. S. C. de Prop. Fide, 4 jul. 1631 sub Urbano VIII, apud *Colomiatti*, Codex juris Pontificii, Addenda, *pag.* 777; *Papp.-Szilagyi*, Enchiridion juris Ecclesiae orientalis catholicae, § 55, *pag.* 68 (Magno-Varadini, 1880); *Wernz*, l. c., *vol.* 1, *n.* 104; *Lega*, De judiciis, 2.°, *n.* 125, *nota (pag.* 144).

Ratio autem duplex est: prima, ea generica jam enuntiata, leges nempe generales non abrogare particulares, nisi id expresse dicant; altera, quae velut fundamentum in hac materia haberi debet, scilicet hujusmodi leges particulares legis simul ecclesiasticae et civilis rationem habere, et ortas fuisse ex pacto inter utramque potestatem (1).

128. **Notio**. — *Concordatum* definiri potest: lex pontificia simul et civilis, pro speciali natione lata, ad relationes inter Ecclesiam et Statum illum ordinandas in rebus quae utrique potestati aliqua ratione communes sunt; ita ut vim habeat publici pacti seu tractatus inter Apostolicam Sedem et talem Statum, et utramque partem vere obliget.

129. **Concordati** natura. — De natura Concordatorum late disputatum est: vera autem, ut videtur, doctrina, paucis ita exponi potest.

Externa Concordatorum forma ea est quae pacto bilaterali respondet (2). Ergo in omni Concordato et in singulis ejus articulis, vis haec admittenda est, nisi specialis exceptio demonstretur. Exceptio autem, vel in natura ipsa rerum quas articulus respicit, vel in forma qua articulus proponitur, fundamentum habere debet.

Ita, ex. g., cum Concordatum principi jus praesentandi ad episcopatum concedit, ex ipsa rei natura evidens est non posse unquam Pontificem obligationem exuere providendi Ecclesiae de bonis pastoribus: quare, si princeps, facultate abutens sibi a Papa concessa, lupos loco Pastorum praesentaret, nec personas dignas praesentare vellet, Pontifex jus et officium quod sibi incumbit Ecclesiae bono prospiciendi, recuperaret.

---

(1) Textus latinus omnium fere Concordatorum quae a diversis nationibus cum Papa celebrata sunt, sequentibus operibus exhibetur:

Nussi (Vincentius), *Conventiones de rebus ecclesiasticis inter S. Sedem,* etc. (1869).

Nussi-Brueck, *Conventiones de rebus ecclesiasticis inter S. Sedem et civilem potestatem variis formis initae* (1870).

Conventiones de rebus ecclesiasticis inter S. Sedem et civilem potestatem initae sub Pontificatu SSmi. D. N. Leonis PP. XIII (1893).

Ex his tribus operibus duo priora eosdem textus referunt, nisi quod primum textus disjectos exhibet, fragmentis ordine materiarum systematice dispositis; alterum ordine continuo chronologico singula Concordata textu integro proponit, et in fine, opportunis indicibus notat quae de variis materiis in variis Concordatis habentur: usui et praxi methodus sane aptior.

Tertium opus duorum priorum est veluti complementum, et tantum ea continet Concordata quae ratione temporis posterioris in illis libris includi non potuerunt.

Pius item X Concordatum cum regno Congi celebravit, quod apud *Acta S. Sedis* videre est, *vol.* 39, *pag.* 535. Pontifices qui frequentius Concordata celebrarunt sunt Benedictus XIV, Pius VII, Pius IX et Leo XIII.

(2) De Concordato gallico scripsit Leo XIII ad Episcopos Galliae, illud esse «pactum solemne et *bilaterale*, perpetuo ex parte S. Sedis fideliter servatum», «un pacte solennel et *bitatéral,* toujours fidèlement observé de la part du Saint-Siège.» (Epistola 16 feb. 1892).

130. — Pariter, ubi articulus expresse meminit privilegii aut indulti a Papa principi concessi (ut videre est in art. 8. Concordati Guatemalensis, art. 19 Concordati Austriaci, etc.), hoc ipso asseritur talem concessionem ratione stricti pacti bilateralis ex justitia obligantis carere, ideoque ex justa causa revocari posse.

Ubi vero nec ratione materiae, nec ratione formae exceptio demonstratur, obligatio justitiae commutativae agnoscenda est. Id accidit, v. gr., in Concordato hispano circa bona ecclesiastica quibus Ecclesia in favorem Status cessit, promittens non inquietandam esse eorum conscientiam qui ex ipso Statu usurpatore bona emissent; Status autem, compensationis loco, ad Ecclesiam ea forma dotandam, quae inibi stipulatur, se obligavit. Dum utraque pars promissis stabit, firmum est pactum, et utramque ligat; si vero altera, v. gr., Status, id quod hujusmodi pacto bilaterali promisit non impleverit, Apostolica Sedes ad id requirendum quod suum est libera evaderet, possetque a possessoribus talium bonorum ecclesiasticorum exigere ut ea restituerent; ita ut possessoribus ipsis actio in Statum praesto esset, qui ea ipsis vendiderat quae sua non erant. Quodlibet enim pactum bilaterale rumpitur ita ut libera maneat altera ex partibus, cum altera officio suo non satisfacit.

131. — Vitium autem debiti non implendi nunquam ex parte Sanctae Sedis provenit, quae communiter ea adhuc facere pergit quae ad ipsam spectant, etiam ubi Status in officio suo explendo valde defecit.

132. **Consueta Concordatorum materia.** — Quibus de rebus Concordata pacisci solent, hae fere sunt:

a) *Negotia temporalia:* v. gr., Ecclesia bonis cedit quibus forte jam vi spoliata est; et vicissim Status, compensationis loco, ad restitutionem partis ipsorum bonorum in modum dotis pro dioecesibus, paroeciis, etc., se obligat.

b) *Negotia mixta:* stricto sensu ea sunt quae propter diversos aspectus, spiritualem alterum, alterum temporalem, quibus considerari possunt, aliquo modo utramque potestatem respiciunt, ut, v. gr., scholae municipales, universitates Status, matrimonium simul cum effectibus suis civilibus. — Lato vero sensu, ea etiam dicuntur *mixta* quae ad unam tantum harum potestatum spectant, sed *a*) aut propter difficultates ipsis annexas, alterius cooperationem requirunt, ut in haeresi; *b*) aut ab altera potestate in alteram translata sunt, ut jus ad munus senatorium, quod in Hispania Archiepiscopis collatum est; jus Episcopos praesentandi, Regi a Pontifice concessum; *c*) aut in utriusque potestatis utilitatem cedunt, adeoque facilius earum occasione dissidia inter eas oriuntur.

c) *Negotia spiritualia:* ea scil. quae de se tantum Ecclesiae competunt, ut est liturgia. Sic in nonnullis Concordatis concedi-

tur ut in publicis precibus dici possit: *Domine, salvum fac Regem;* vel *Domine, salvam fac rempublicam* (Concordatum Colombianum, *art.* 23).

133. — Generatim in Concordatis exstant: 1.° gubernii promissa solemnia, quibus sese obligat ad Ecclesiae jura specialia quae inibi notantur defendenda, ad damna pensionibus solutis resarcienda, prout jam prius ex propria conditione gubernii catholici vel ex usu bonorum Ecclesiae facere tenebatur; 2.° gratiae, concessiones, privilegia et bonorum cessio ex parte Apostolicae Sedis.

Raro admodum gubernia quidquam concedunt, ad quod agendum jam prius non tenerentur (1).

ARTICULUS V

JURA QUAESITA, PRIVILEGIA ET SANCTAE SEDIS INDULTA. CONSUETUDINES

134. **Jura quaesita, privilegia, indulta.** — Ex canone, *jura aliis quaesita, privilegia et indulta ab Apostolica Sede concessa* personis, sive physicis, sive moralibus, integra manent, nisi hujus Codicis canonibus expresse revocentur. Ratio superius allata est, *n.* 120, 4.°

Ad revocationem non sufficit in Codice adesse praescripta contraria, sed clausula adjiciatur oportet «quibusvis juribus acquisitis, privilegiis aut indultis Sedis Apostolicae non obstantibus». Cf. *Suárez,* De legib., *lib.* 8, *cap.* 38; *Schmalzgr.*, De rescriptis, *n.* 52, et De privileg., *n.* 381; *Reiffenstuel*, De rescr., *n.* 272; *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 1, *n.* 162.

135. **Consuetudines.** — Circa consuetudines declaratur (*can.* 5) eas, sive generales sint, sive particulares, si quidem ipsis canonibus expresse *reprobentur*, etiamsi immemorabiles fuerint, penitus abrogari, et abusus et corruptelas declaranri, atque adeo in posterum nunquam praevalere poterunt. Ratio hujus infra, *n.* 170 hujus

---

(1) Praecipua puncta in Concordato hispano 1851 contenta haec sunt:
Agnitio unitatis catholicae, et jurium magisterii, jurisdictionis et potestatis ordinis in Ecclesia. Art. 1-4.
Dioecesium et exemptarum jurisdictionum designatio, 5-11.
Spoliorum collectio, 12.
Capitula cathedralia eorumque cum Episcopis relatio, 13-20.
Collegiatae, 21-23.
Nova parochiarum distributio, 24-27.
Seminaria, 28.
Religiosi, 29-30.
Cleri reditus et bonorum restitutio, 31-39.
Agnitio juris possidendi in Ecclesia, 40-41.
Bonorum ecclesiasticorum possessores, 42.
Clausulae generales, 43-46.

libri, exponetur. Exempla hujusmodi consuetudinum quae a Codice reprobantur, videri possunt, v. gr., *can.* 455, § 1; *can.* 1041, 1056, 1525, etc.

Reliquae consuetudines Codici contrariae abrogantur, nisi Codex aliud expresse caveat, aut sint centenariae et immemorabiles talibus praeditae adjunctis, ut Ordinarius existimet eas prudenter tolli non posse, quo in casu tolerari poterunt. De consuetudine infra dicetur, ad tit. II, hujus libri.

ARTICULUS VI

CODEX ET DISCIPLINA VIGENS TEMPORE QUO IPSE PROMULGATUS EST

136. — Ut principium generale canone 6 statuitur Codicem plerumque **disciplinam** *tempore quo ipse promulgatus est* **vigentem retinere**, licet opportunas **immutationes** afferat, ut ex sequentibus declarationibus specialibus patebit:

1.° Leges quaelibet, sive universales sive particulares, praescriptis hujus Codicis **oppositae**, abrogantur, nisi de aliqua lege particulari aliud expresse caveatur (*can.* 6, 1.°). Codex igitur rationem habet compilationis posterioris, quae leges ipsam praecedentes oppositas omnes abrogat; nec solum *generales* omnes abrogat quae in prioribus quinque canonibus non sint exceptae, sed etiam *particulares* quae vel in ipsis quinque vel in alio aliquo canone ex sequentibus expresse non excipiantur.

2.° Canones qui omnino cum disciplina veteri conveniunt, juxta antiquos fontes et juxta auctoritatem doctorum qui recte de illis monumentis disseruerunt, interpretandi sunt (*can.* 6, 2.°). Quare fontes illi veteres jam authentici non sunt, sed normae interpretationis evadunt.

Hinc etiam constat quanta utilitas, ex veteribus fontibus et ex antiquis doctoribus qui fontes eximie illustrarunt, pro recta Codicis nostri interpretatione, referri possit; quod jam superius, *n.* 19, notatum est.

3.° Canones qui ex parte tantum cum veteri disciplina conveniunt, juxta eam interpretandi sunt in his in quibus conveniunt; at in his quibus discrepant, ex proprio et peculiari sensu suo sunt interpretandi (*can.* 6, 3.°).

4.° Si dubium sit num canon ab antiqua disciplina discrepet necne, antiqua interpretatio retinenda est (*can.* 6, 4.°).

5.° **Poenae**, quarum in Codice nulla fit mentio, sive spirituales sive corporales eae sint, medicinales aut vindicativae, *latae* aut *ferendae sententiae*, omnes abrogantur (*can.* 6, 5.°) (1).

---

(1) Latae sententiae poena dicitur ea quae ipso facto violandi legem incurritur; *ferendae* vero *sententiae*, quae non incurritur, donec a competenti judice ea imponatur. Cf. *lib.* V, *tit.* VI (*can.* 2217, § 1, 2.°).

Quamobrem, materia poenarum est ea in qua distinctius et amplius, imo funditus indolem **exclusivam** Codex ostendit. Vid. supra, *nn.* 64, 86.

6.° Reliquae omnes leges disciplinares quae hucusque adhuc viguerunt, nec explicite nec implicite in Codice contineantur, pariter abrogantur, nisi eae sint leges juris divini positivi aut naturalis, aut in libris liturgicis scriptae sint. Etiam hic *exclusiva* Codicis indoles apparet, licet haud ea vi qua in praecedente numero.

Leges juris divini, sive id naturale jus sit, sive divino-positivum, nec a Pontifice abrogari possunt, nec eas in Codicem redigere mens ipsi fuit: quare propria sua vi intactae manent, tum eae quae in Codice, tum quae extra Codicem sunt.

ARTICULUS VII

SIGNIFICATIO VOCIS «SEDES APOSTOLICA» SEU «SANCTA SEDES»

137. — Tandem, canone 7 declaratur quid nomine *Sedis Apostolicae* aut *Sanctae Sedis* designetur. Quoties haec vox adhibetur, non solum Romanus Pontifex, sed etiam (nisi ex contextu vel ex natura rei aliud appareat) Congregationes, Tribunalia, Officia per quae idem Romanus Pontifex negotia Ecclesiae universae expedire solet, designantur.

Quaenam sint hujusmodi Congregationes, Tribunalia et Officia, late inferius ad *lib.* II, *tit.* 7, *cap.* 4, *art.* 1-3, *can.* 242 *seq.* dicetur. Cfr. *n.* 480 *seq.*

Summi momenti est praesens declaratio, quoniam ea vox per totum Codicem frequentissime recurrit.

TITULUS I

De legibus ecclesiasticis

CAPUT I

DE NATURA ET PROPRIETATIBUS LEGIS (1)

138. **Definitio.** — Lex est ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata (*S. Thom.*,

(1) Quae hic dicuntur *nn.* 138-141 omitti possunt in schola Institutionum, si jam explicata sint in schola Theologiae Moralis ea quae in *Comp.* habentur *nn.* 148, 149, 207, 208.

1, 2, *q.* 90, *art.* 4). Hinc differt a praecepto. Lex enim essentialiter fertur communitati a persona publica et pro bono communi, dum praeceptum proprie dictum etiam a persona privata emanare potest, et subditos privatos respicere in privatum eorum bonum. Tale est imperium patris in filium, aut principis in aliquem subditum. Saepe tamen etiam leges praecepta dicuntur. Sic leges divinae, Moysi in monte traditae, praecepta Decalogi nuncupantur.

Multiplex discrimen est inter legem et praeceptum, scilicet: 1.° *Ratione jubentis*, quia legislator est persona publica, praecipiens vero potest esse persona privata. 2.° *Ratione subjecti*, quia lex *per se* fertur in communitatem, praeceptum potius in personam privatam. 3.° *Ratione finis*, quia finis legis immediatus est bonum commune, finis autem immediatus praecepti bonum privatum. 4.° *Ratione loci*, quia lex *per se* afficit territorium, praeceptum vero personam, atque, ut ajunt, *ossibus haeret;* unde in *can.* 8, § 2: «Lex non praesumitur personalis, sed territorialis, nisi aliud constet». 5.° *Ratione durationis*, quia praeceptum generatim cessat resoluto jure praecipientis sive per mortem, sive per translationem, etc.; lex vero non exstinguitur simul cum legislatore.

139. **Divisio**. — Lex multiplici modo distinguitur:

1.° *Divina*, vel *humana*, prout Deum, aut hominem auctorem immediatum habet.

2.° *Naturalis*, vel *positiva*, prout natura ipsa rationali, vel actu positivo legislatoris intimatur.

3.° *Ecclesiastica*, vel *civilis*, prout a potestate ecclesiastiva vel civili fertur.

4.° *Moralis*, aut *poenalis*, vel *mixta*, prout sub sola culpa, vel sub sola poena, vel sub utraque simul obligat.

5.° *Affirmativa*, vel *negativa*, prout praecipit actus positionem, vel illam prohibet. Hinc dicitur etiam *praeceptiva*, vel *prohibitiva*.

6.° *Prohibens* simpliciter, vel *irritans*, aut *permittens*, prout actum illicitum tantum, aut invalidum reddit, vel agentem prohibet inquietari.

7.° *Favorabilis*, vel *odiosa*, prout ampliat vel restringit libertatem.

8.° *Scripta*, vel *usu servata*, prout mandata scripto fertur, vel sola consuetudine introducitur et servatur.

140. **Proprietates seu conditiones legis humanae.** — Sunt sequentes, quae in ipsa legis definitione includuntur, scilicet, debet esse *possibilis*, *honesta*, *utilis*, *justa*, *permanens* seu *stabilis*, et *promulgata*.

1.° *Possibilis*, id est, accommodata moribus et circumstantiis personarum, etc.

2.° *Honesta*, id est, nihil statuens quod inhonestum sit, ac bonis moribus seu rectae rationi aut divinae legi positivae, repu-

gnans; neque enim ad actus malos et ultimo hominis fini adversos obstringere lex potest.

3.° *Utilis* bono communi, 1.° quia bonum communitatis est finis essentialis et primarius legis; 2.° quia lex est actus publicae potestatis, quae in solum bonum commune instituta est.

4.° *Justa*, id est, secundum normam justitiae distributivae, adeo ut alii non magis quam ceteri graventur, sed subditis cum aequalitate proportionis, spectatis eorum viribus et facultatibus, imponatur; secus in conscientia non obligat.

5.° *Permanens* seu *stabilis*, id est, statuta sine tempore definito, ita ut semel lata, nisi abrogetur, vel noxia evadat aut inutilis, tamdiu duret quamdiu stat communitas cui imponitur, vel quamdiu perseverant circumstantiae pro quibus lata est.

6.° *Promulgata*, ut jam statim dicemus.

N. B. Leges respiciunt futura, non praeterita, nisi nominatim in eis de praeteritis caveatur (*can.* 10).

141. QUAER. 1.° *Quid speciatim de lege irritante notandum est?*

Resp. 1.° *Lex irritans*, ut patet ex dictis, ea est, quae statuit aliquem actum a principio invalidum esse, vel judicis sententia invalidandum. Hinc dantur leges ipso facto irritantes, aliae vero post sententiam tantum. Aliae sunt irritantes *absolute*, et aliae *conditionate*, si nimirum deficiant requisitae conditiones. Insuper aliae immediate irritant actum ipsum, ut impedimentum matrimonii ob clandestinitatem, et aliae mediate, personas ipsas inhabiles reddendo, ut impedimentum consanguinitatis.

Resp. 2.° *a*) Omnis legislator leges irritantes condere potest. — Ratio, quia hoc ad bonum commune requiritur; secus enim fraudes et pericula societatis humanae propulsari satis nequirent. *Suárez.*

b) Leges, quae statuunt, actus rescindi posse, eos ante judicis sententiam non irritant, ut ex terminis patet, et proinde ante ejusdem sententiam vim non sortiuntur.

c) Sententiae autem judicis irritantis standum est in iis omnibus, quae intrinsece ex irritatione nascuntur. — Quia auctoritati praecipienti obtemperandum est. *Suárez.*

QUAER. 2.° *Quaenam leges ecclesiasticae habendae sint ut irritantes et inhabilitantes?*

Resp. Eae tantum quibus *expresse* vel *aequivalenter* statuitur aut *actum* esse *nullum* aut *inhabilem personam* (*can.* 11).

QUAER. 3.° *An lex irritans obliget in conscientia ad actum vitandum?*

Resp. Affirm., si sit simul irritans et prohibens, ut sunt leges impedimenta matrimonii statuentes; secus, si sit irritans tantum, quia tunc finis legis sola actus irritatione sufficienter obtinetur, ut in pluribus civilibus. *Reuter*, *n.* 232.

QUAER. 4.° *An ignorantia invincibilis effectum irritationis impediat?*

Resp. Neg., per se; unde novus Codex: «Nulla ignorantia legum ecclesiasticarum irritantium et inhabilitantium ab eisdem excusat, nisi aliud expresse dicatur» (*can.* 16, § 1). Ratio est, quia ignorantia non supplet defectum rei essentialiter requisitae, nec tollit gravia incommoda, quae sequerentur, si lex in omni casu non irritaret.

QUAER. 5.° *An lex irritans, non obstante incommodo valde gravi, irritet?*

Resp. Affirm., nisi agatur de damno communi; ratio, quia lex irritans actum potius quam personam afficit, nec agitur de obligatione conscientiae, sed de bono communi; secus enim homines facilius sibi fingerent incommoda, et lex totum robur suum amitteret.

CAPUT II

DE PROMULGATIONE LEGUM ECCLESIASTICARUM

ARTICULUS I

DE PROMULGATIONIS NECESSITATE

142. — Leges, tum ecclesiasticae, tum civiles, ut vere leges sint et vim obligandi habeant, necessario et essentialiter promulgandae sunt. *S. Thom.*, 1-2, *q.* 90, *a.* 4.

Ut lex communitatem obliget, ab ipsa communitate cognoscatur oportet, leges enim non aliter obligant, nisi interveniente earum cognitione, ut docet S. Thomas (1); ut autem communitas eas cognoscere possit, necesse est ut a *legislatore* promulgentur seu intimentur. Quare Gratiani dictum quoddam est leges tunc institui cum promulgantur (2), atque id etiam statuit Codex noster (*can.* 8, § 1).

Dum lex nondum est promulgata, non est proprie lex, quare neminem obligat, etiamsi ipsi nota sit.

143. — Promulgatio talis esse debet, ut, vi ipsius, lex in cognitionem omnium subditorum quorum interest pervenire possit;

---

(1) «Nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti», ut ait *S. Thom.* (Quaest. disp. *De Veritate, q.* 17, *a.* 3).

(2) Leges instituuntur dum promulgantur (ad *c.* 3, *d.* 4).

quin tamen ad hoc opus sit ut cuivis eorum singillatim et speciali mandato verbo aut scripto intimetur.

Quoniam autem id pluribus modis obtineri potest, inde plures etiam promulgationis formae in diversis societatibus, imo et in una eadem societate, diversis temporibus, adhibitae sunt.

144. — **Modum** vero **promulgationis** seligere inter plures qui apti et sufficientes esse possunt, ad legislatorem pertinet, qui, ubi id opportunum duxerit, alium promulgationis modum a priore, quem antea elegerat, diversum, statuere poterit. Cfr. *Suárez*, De legib., *l.* 3, *c.* 16.

ARTICULUS II

REGALISTARUM THEORIAE CIRCA PROMULGATIONEM LEGUM ECCLESIASTICARUM

145. — Magna consideratione dignum est Ecclesiam, ante constitutionem Pii X *Promulgandi*, 29 sept. 1908, nullam habuisse scriptam legem, qua modus ecclesiasticas leges promulgandi statueretur: id quod jamdudum inter ipsos canonistas controversiae occasio fuit.

Id ipsum regalistis ansam dedit proprias theorias ad opprimendam Ecclesiam excogitatas proponendi.

146. — Quum enim jure romano statueretur leges in singulis provinciis promulgandas esse (1), et aliunde principium communiter inter canonistas admissum doceret jus romanum, saltem in nonnullis rebus, juris canonici suppletorium esse, ita ut negotia sacris canonibus haud determinata secundum jus romanum decidenda essent (2); hinc regalistae *pro aris et focis* defendere coeperunt, leges ecclesiasticas, ut vere leges constituerentur, necessario in singulis nationibus (quoniam nationes loco provinciarum Imperii Romani successerant) promulgandas esse, adeo ut ubi promulgatio non fieret, vis obligandi legibus deesset.

147. — Huic falsae theoriae alteram adjungebant, qua Ecclesiam in extremam servitutem redigere conati sunt, scil. leges pontificias nulla in natione promulgari posse, nisi prius obtento principis beneplacito (*placitum regium*, vel *regium exsequatur*, ut vocant). Vide supra, *nn.* 53-57.

Quocirca, legifera Summi Pontificis potestas ad manus princi-

---

(1) Authent. *Ut factae novae, coll.* 5, *tit.* 21, *novell.* 66; in edit. Coloniae Munac., 1805, *vol.* 2, *pag.* 562, 563.

(2) Sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuvantur. *Decretal., l.* 5, *tit.* 32, *c.* 1.

pum devolvebatur; leges enim, juxta pronuntiata hujusmodi, obligare non poterant in natione ulla, si *inibi* non promulgarentur, inibi autem promulgari sine principis licentia nequibant; unde pronum erat inferre Papam tantummodo ea jubere posse, quae Regi placerent.

148. — Haec theoria, licet magno eruditionis apparatu proposita et defensa, non solum ex parte *placiti regii* nutat (1), ut superius ostensum est, sed etiam ex parte formae promulgationis, id quod nunc demonstrabitur.

ARTICULUS III

JUS CONSUETUDINARIUM ECCLESIAE IN LEGIBUS PROMULGANDIS

149. — Rationem eligere legis promulgandae, ut supra dictum est (*n.* 144), munus est proprium legislatoris, nulli alteri conditioni obnoxium praeter hanc unam, ut scil. talis ratio et forma sit sufficiens medium ad ingerendam notitiam legis.

Hoc jure usa est Ecclesia, adhibitis de facto pluribus promulgationis formis in diversis casibus, quin formam romani juris propriam sibi sequendam esse censuerit; hoc vero ipso *jus consuetudinarium* et stylum curiae proprium et peculiare, qui canonice vim legis habet, sibi constituit.

Communiter Ecclesia, sex ultimis saeculis, leges suas in urbe totius mundi capite, Roma, promulgabat, affixo textu ipso legis scripto ad valvas basilicae sancti Joannis in Laterano, ad Vaticani, ad Cancellariae, in campo Florae, etc.; atque haec promulgatio ut sufficiens censebatur, quoniam Romae perpetuo adsunt personae ex universo orbe christiano, itemque communicatio urbis cum omnibus mundi dioecesibus frequentissima est, exempla facile per typographos multiplicantur et in omnes regiones per tabellarios sparguntur, etc. (2).

Alias clausula adjiciebatur exprimens constitutionem apographo descriptam vel praelo exaratam, ubique valituram, si ea notarii publici subscriptione et sigillo alicujus personae quae dignitatem ecclesiasticam obtineat munita esset (3).

---

(1) Cfr. *Müller,* De placito regio; *Tarquini,* Instit. juris publ. eccles., *pag.* 133; *Cavagnis,* Instit. juris publ. eccles., *vol.* 2, *pag.* 47; *Manjón,* Derecho ecles., *vol.* 1, *n.* 761.

(2) Frequenter in antiquis constitutionibus pontificiis legitur sequens clausula: «Volumus... ad valvas ecclesiae Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum, necnon Cancellariae apostolicae, Curiaeque generalis in Monte Citorio, ac acie Campiflorae de urbe, ut moris est, affigi et publicari; sicque publicatas et affixas omnes et singulos perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuerint.» Innocent. XII, Const. *Ecclesiae,* 22 sept. 1695 (*Bull. Rom. Taurin., vol.* 20, *pag.* 721). Cfr. item *vol.* 7, *pag.* 501; *vol.* 14, *pag.* 460, 462; *vol.* 15, *pag.* 692, 696, 700; *vol.* 20, *pag.* 872; *Bull. Benedict. XIV, vol.* 2, *pag.* 63.

(3) «Volumus autem, ut praesentium Litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus tam in judicio quam extra illud, ubique adhibeatur ob-

Pro capite *Tametsi*, jussit Tridentinum ut illud vim legis tantum in paroeciis in quibus promulgaretur, haberet; quod quidem ex voluntate haereticos excusandi ortum duxit, quoniam, non promulgato decreto in eorum paroeciis, impedimento clandestinitatis obnoxii non erant. Cfr. *Ferreres*, El impedimento de clandestinidad, *n.* 97.

Post fundatas saeculo XVI Congregationes, in earum decretis promulgandis, sufficienter provisum iri judicatum est, si decreta ipsa jussu Secretarii respectivae Congregationis vulgarentur.

Ad decretum *Ne temere* quod attinet, Pius X jussit ipsum tanquam promulgatum haberi ipso facto quod ad singulos Ordinarios missum fuit.

150. — Profecto frustra regalistae fatigabantur: et plagae ipsae retis quo Pontificem obvolvere contendebant, fragili araneae telae similes erant: cum enim in carentia legis quae formam promulgandi leges in Ecclesia decerneret, tota eorum machina inniteretur, in manibus ipsius Pontificis erat talem legem ferre, eorumque tricas disjicere, indeque evadere.

Id quidem, ut dictum est, usque ad annum 1908, non fecit lege universali scripta; habebat, tamen, suum jus consuetudinarium; et insuper Pontifices saepissime, ut item notavimus, formam promulgationis constitutionis cujusque propriam assignabant (1).

Itaque, constitutione allegata Pii X, cujus disciplinam iterum Codex imponit, vetus admodum controversia dirempta, et hac parte regalistis pariter janua occlusa est.

151. — Juxta Codicem (*can.* 9), Sedes Apostolica suas leges per earum editionem in commentario officiali *Acta Apostolicae Sedis* promulgat, nisi in casibus particularibus alius promulgandi modus fuerit praescriptus.

Attamen leges vigere tantum incipient expletis tribus mensibus a die qui *Actorum* numero in quo promulgantur appositus est, nisi ex natura rei statim obligent, aut in ipsa lege brevior vel longior vacatio specialiter et expresse fuerit statuta.

152. — Evidenter haec praescripta valent pro legibus praeceptivis et prohibitivis, id est, pro his quae aliquam obligationem imponunt. Attamen, valent item pro legibus permissivis, seu pro his quae obligationem tollunt, v. gr., pro canone 859, quo obliga-

---

servantia, ac si unicuique forent exhibitae vel ostensae.» Cfr. *Bull., vol.* 7, *pag.* 23, 458, 742, 753, 958, etc.; *vol.* 15, *pag.* 692, 700; *vol.* 20, *pag.* 872.

(1) Pro dignoscendo vario Ecclesiae usu in hac parte a remotissimis temporibus usque ad praesens, cfr. *Bouix*, De principiis juris canon., *p.* 2, *sect.* 2, *c.* VI, § 3, (*pag.* 248 *seq.* Parisiis, ed. 2.ª).

De tota hac quaestione cfr. *Suárez*, De legib., *lib.* 4, *c.* 15; *Reiffenst., l.* 1, *t.* 2, § V; *S. Alphonsum M.ª de Ligorio, l.* 1, *n.* 96 (*vol.* 1, *pag.* 72 ed. *Gaudé*); *Bouix*, l. c., *pag.* 130 *seq.*; *Ballerini-Palmieri*, Opus Theol. mor., App. II, *pag.* 707 *seq.* (ed. 2.ª); *Sanguineti*, Instit. juris canon., a *n.* 64; *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* I, *n.* 100.

tio communicandi in propria paroecia supprimitur; pro canone 1250, quo quibuslibet diebus ova, lacticinia et condimenta ex adipe permittuntur; pro canone 1251, quo tollitur lex de non permiscendis epulis, et pro aliis similibus?

153. — In Hispania, licet per Codicem civilem (a. 1) viginti dierum vacatio legibus concedatur, tamen, juxta juridicam Sententiam Supremi Tribunalis, 18 maji 1907 pronuntiatam, leges *permissivae* valere incipiunt a momento ipso promulgationis; quare idem Supremum Tribunal validum declaravit testamentum holographum charta communi exaratum die 24 julii 1904, videlicet die ipso quo in commentario officiali *Gaceta* evulgata fuit lex 21 julii ejusdem anni, qua articuli 688 et et 732 Codicis civilis, scriptionem testamenti holographi in charta sigillo officiali proprii anni ad validitatem requirentes, correcti et mutati sunt (1).

Verum est Codicem canonicum inter leges praeceptivas et leges permissivas nullo modo distinguere; id tamen censemus, Sanctam Sedem, si ad ipsam recurratur, vel hanc novam exceptionem in favorem legis cujusque permissivae declaraturam, vel ut gratiam concessuram, saltem pro legibus in Codice contentis (2).

154. **Leges episcopales**. — Rationem episcopales leges promulgandi statuere, ad Episcopum ipsum pertinet: eaeque statim a promulgatione obligare incipiunt, nisi aliud in ipsis caveatur (*can.* 335, § 2).

CAPUT III

DE AUCTORE LEGIS SEU DE LEGISLATORE (3)

155. — Legislator dicitur Superior, cui sive independens ac suprema, sive subordinata potestas inest leges ferendi pro communitate, in quam habet jurisdictionem.

---

(1) Fundamentum Tribunalis Supremi tale fuit: «Perpenso quod, ex terminis quibus conceptus est articulus 1.us Codicis civilis, quo praescribitur ut leges post viginti dies a promulgatione obligare incipiant, nisi aliud in ipsis caveatur, et quoniam promulgatio nihil aliud est nisi notitia legis ideo tradita ut ii, pro quibus fertur, actus suos ad praescripta ipsius legis aptare possint; necesse est intelligere praescriptum illud solummodo agere de legibus praeceptivis aut prohibitivis, seu iis quae obligationem aut prohibitionem continent quae violari nequeunt; non vero de legibus quae jus aut facultatem statuunt cujus usus liber sit, siquidem vox «obligare incipiant» institutionem praecepti, non autem concessionem facultatis, continet; ad quam facultatem, quoties damnum contra jus prius quaesitum non adsit, opus est tantummodo ut lex facultatem jam concesserit eo tempore quo ipsa facultas exercetur, etc.» Cfr. *Alcubilla,* App. anni 1908, *pag.* 534.

(2) Dum haec adversaria corrigimus jam apud *Acta A. Sedis* concessio Pontificis legitur vi cujus plures canones *permissivi* vigere caeperunt a die 20 aug. 1917, nempe 859, § 2; 1108, § 3; 1247, § 1, necnon canones 1250-1254. Item alii in favorem Cardinalium: 239, § 1; 240, 600, *n.* 3; 1189 et 1401 (*Acta,* IX, *pag.* 475).

(3) Quae hic *n.* 155 dicuntur, omitti possunt, si, jam in schola Theol. mor. explicata sunt quae habentur in *Comp.*, *nn.* 150, 151. Idem intelligas de his quae dicuntur *nn.* 156-168, si jam in alia schola explicata sunt quae in *Comp.* habentur *nn.* 155-191.

Principia. — I. Deus solus est legislator supremus et universalis, a quo necessario ceteri legislatores, quicumque sint, omnem suam potestatem accipiunt, sive *immediate*, sive *mediate*. — Deus enim est regula summa et essentialis cujuslibet ordinis, et ipse solus gaudet supremo dominio in creaturas rationales, quarum est principium et finis ultimus. Constat etiam ex Scriptura: *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt; per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam* (*Prov.*, VIII, 15-16). *Non est... potestas nisi a Deo* (*Rom.*, XIII, 1).

II. Ecclesia potestatem habet condendi leges, quae ad finem ipsi propositum assequendum conducunt.

Constat 1.° *ex Scriptura sacra*. Sic enim Christus Petro (Matth., XVI, 19): *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis*, etc. — Et Luc., X, 16: *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui misit me*. — Item Act., XV, 28-29: *Visum est... Spiritui Sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine et suffocato*. Porro verba: *Quodcumque ligaveris... qui vos audit, me audit... imponere vobis...* significant collatam Ecclesiae potestatem ligandi seu leges statuendi.

Constat 2.° *ex ratione*. Ecclesia enim est societas perfecta in suo genere. Ergo gaudere debet potestate expedita ad proprium regimen necessaria. Atqui Ecclesia suo regimini providere non posset, nisi facultatem condendi leges haberet; multi enim sunt abusus reprimendi inter fideles, multaque ad Dei cultum promovendum aut servandum, et ad animarum salutem procurandam constituenda sunt. Ergo...

Constat 3.° *ex traditione* et constanti Ecclesiae praxi, seu ex variis constitutionibus apostolicis et conciliis, quibus statuta disciplinaria condita sunt.

III. Principes saeculares condere possunt leges, quae ad finem temporalis felicitatis conducant.

Constat 1.° *ex Scriptura sacra*, Prov., VIII, 15: *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt...* ut supra *in* I *princ.* Et I Petr., II, 13-14: *Subjecti... estote... sive regi quasi praecellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis.*

Constat 2.° *ex ratione;* etenim principes a Deo habent potestatem regendi subditos, ut supra dictum est: atqui hanc potestatem exercere non valerent, nisi facultate leges statuendi gauderent. Ergo...

In Ecclesia leges condendi facultate pollent:

Papa, Concilium generale, Episcopi, Concilia particularia, etc., juxta modum explicandum postea suis in locis.

CAPUT IV

DE OBJECTO ET SUBJECTO LEGIS

ARTICULUS I

DE OBJECTO LEGIS (1)

156. — Objectum legis generatim est quidquid lex praecipere vel prohibere potest.

Principia. — I. Objectum legis sunt omnes et soli actus, quorum positio vel omissio ad bonum commune conferre potest. — Ex dictis sequitur.

II. Omnes actus indifferentes *distributive* sumpti objectum legis esse possunt. — Nam cum actus ejusmodi conferre ad bonum commune possint, eo ipso possunt praecipi aut vetari.

157. — Generatim sub legem *humanam*, etsi ecclesiasticam, cadere non videntur actus **heroici**, quia vires humanas excedere moraliter censentur, atque adeo ejusmodi lex careret ea dote, qua posset dici *possibilis*. - Attamen aliquando, exigente bono communi, praecipi possunt. Sic milites vigiles non possunt stationem deserere, etiam imminente periculo vitae, si detrimentum inde respublica captura sit. — Sub *divinam* legem sive naturalem sive positivam cadere possunt, ut patet in martyribus.

158. — Lex *civilis* certo *non potest* praecipere actus **mere internos**, quia sine his actibus legislator finem suum obtinet. — Praeterea de internis judicare nequit.

Ecclesia id potest *indirecte*, v. gr. dum fidei articulum definit, indirectam imponit obligationem credendi illum; dum gratias spirituales largitur sub conditione meditationis peragendae, vel quando subditi sponte se submittunt etiam quoad actus internos, ut patet in constitutionibus regularium.

An *directe* et *absolute* possit, disputant auctores. *Negant S. Thom.*, 1-2, *q.* 91, *art.* 4, et *q.* 100, *art.* 7; *Suárez*, De legibus, *l.* 4, *c.* 12; *Bened. XIV; S. Alph.*, *l.* 1, *n.* 100, cum sententia, quam *Suárez*, l. c., *n.* 4, et *Bouquillon* (Th. mor. fundam., *n.* 101) vocant *communem:* tum *a*) quia Ecclesia hos actus punire nequit, et consequenter repugnat de hujusmodi actibus leges ferre (*S. Thom.*, l. c.); tum etiam *b*) quia, quum Ecclesia sit corpus visibile, ejus legifera potestas ad

(1) Vide notam *n.* 155.

externam tantum gubernationem se extendere debet (*Suárez*, l. c., *n.* 7 *seq.*); tum *c*) quia nullibi constat hanc potestatem fuisse Ecclesiae collatam (*Suárez*, l. c.). — *Affirmant* vero alii, inter quos *Lacroix*, *lib.* 1, *nn.* 648-655; *Ballerini-P.*, *vol.* 1, *n.* 308 *seq.*; *Bouquillon*, l. c., qui rationibus adversae partis ita respondet: ad *a*) posse Ecclesiam hos actus punire per censuram latae sententiae, vel relinquere judicio Dei; ad *b*) hanc potestatem esse valde consonam indoli et fini Ecclesiae ad salutem animarum institutae; ad *c*) hanc potestatem contineri in generali legifera potestate, in qua limitatio admittenda non est nisi probetur. Cfr. *Génicot*, *vol.* 1, *n.* 92; *Deshayes*, Memento jur. eccles., 328.

ARTICULUS II

DE SUBJECTO LEGIS (1)

159. **Principia.** — I. Omnis homo nascitur et remanet subjectus legi naturali. — Cum enim lex naturalis sit ipsamet divina voluntas praescribens quae sunt rectae rationi consentanea, in mente cujusvis hominis indelebili charactere imprimitur. Igitur per accidens fit ut, obvoluta ratione, non statim agnoscatur, vel aliquando cognosci desinat.

II. *Legibus ecclesiasticis a*) subduntur soli baptizati, qui septennium jam expleverunt, et sufficienti rationis usu gaudent, nisi aliud expresse in jure caveatur (*can.* 12); *b*) legibus *generalibus* tenentur ubique terrarum *omnes* pro quibus latae sunt; *c*) legibus conditis *pro peculiari territorio* tantum ii subjiciuntur pro quibus latae sunt, quique ibidem *domicilium* vel *quasi-domicilium habent* et simul *actu commorantur* (*can.* 13). Excipe leges quibus etiam peregrini adstringuntur (*can.* 14).

Ratio *primi* est, quia lex ferri nequit nisi in subditos. Ratio *secundi* est, quia homines habitualiter usu rationis carentes, legibus dirigi non possunt.

160. — QUAER. 1.° *An peregrini teneantur legibus particularibus sui territorii, a quo absunt?*

Resp. Neg., nisi earum transgressio in patria noceat, aut leges sint personales (*can.* 14, § 1, 1.°); lex autem praesumitur territorialis, nisi aliud constet (*can.* 8, § 2). In patria nocet transgressio v. gr. legis residentiae, quando parochus illegitime abest a proprio territorio.

QUAER. 2.° *An peregrini teneantur legibus loci, in quo versantur?*

Resp. Neg., iis exceptis quae vel ordini publico consulunt, vel

(1) Vide notam *n.* 155.

determinant solemnitates actuum (*can.* 14, § 1, 2.°). Unde omnes peregrini tenentur ad leges speciales loci in quo versantur: 1.° quoad contractus; 2.° quoad necessaria ad bonum commune; 3.° quoad delicta, tunc enim fiunt subditi ratione delicti.

Quaer. 3.° *An et quatenus peregrini teneantur legibus generalibus?*

Resp. 1.° Tenentur ad eas observandas, si vigeant in loco in quo versantur; quamvis in suo territorio non vigeant (*Ibid.*, 3.°).

Resp. 2.° Non tenentur eas observare, quando peregrini ibi sunt ubi haec non vigent, etsi forte vigeant in suo territorio (*Ibid.*).

Quaer. 4.° *Quibus legibus* **vagi** *teneantur?*

Resp. Tenentur legibus tam generalibus quam particularibus quae vigent in loco in quo versantur (*can.* 14, § 2).

161. — Ut ea quae de peregrinis ac de domicilio dicta sunt clarius intelligantur, haec addimus: 1.° Persona dicitur *incola* in loco ubi domicilium habet, *advena* in loco quasi-domicilii, *peregrinus*, si versetur extra territorium ubi habet domicilium vel quasi-domicilium quod adhuc retinet, *vagus*, si nullibi domicilium habeat vel quasi-domicilium (*can.* 91).

2.° Ad acquirendum *verum domicilium*, jure ecclesiastico requiruntur et sufficiunt: *a*) *factum* actualis habitationis in aliqua *paroecia* aut quasi-paroecia, aut saltem in dioecesi, vicariatu apostolico, praefectura apostolica; et *b*) *intentio perpetuo* ibidem manendi, si nihil inde avocet, vel habitatio protracta ad *decennium completum*.

Quasi-domicilium acquiritur hoc duplici elemento: *a*) facto actualis habitationis in aliqua paroecia (aut quasi-paroecia, etc.), et *b*) intentione ibidem commorandi per majorem anni partem, si nihil inde avocet, **aut** commoratione quae de facto protracta sit ad majorem anni partem. — Quae acquisitio domicilii vel quasi-domicilii locum respective habet statim ac duae illae conditiones copulative verificantur (*can.* 92).

Domicilium vel quasi-domicilium in paroecia vel quasi-paroecia dicitur *paroeciale;* in dioecesi, vicariatu, praefectura, non autem in paroecia vel quasi-paroecia, *dioecesanum* (*can.* 92, § 3).

3.° Domicilium et quasi-domicilium amittitur si haec duo copulative concurrant: *a*) discessus actualis a paroecia, *cum b*) animo non redeundi (*can.* 95).

4.° Hoc domicilium vocatur *voluntarium*, sed praeterea est aliud quod dicitur *legale*, sive necessarium. Hoc habent minores (filii vel filiae) in domo paterna vel materna aut tutorum, eorum scilicet cujus potestati subjiciuntur, illudque derelinquere non possunt nisi postquam emancipati fuerint, vel ad majorem pervenerint aetatem. Etiam carceri damnati ultra semestre, postquam

in illum detruduntur, ibi quasi domicilium acquirunt, vel domicilium, si in perpetuum illic includantur. Pariter uxor a viro legitime non separata domicilium habet ubi maritus. (S. C. C. *in* c. *Parisien.*, 23 apr. 1902, 28 febr. 1903). Qui omnes (etiam pueri postquam infantiam egressi sunt) possunt etiam alibi quasi domicilium acquirere: v. gr. pueri vel puellae in collegio vel conservatorio ubi educationis gratia per majorem anni partem, vel forte per plures annos, a parentibus collocantur. Idem potest uxor legitime non separata; quod si legitime separata fuerit, etiam domicilium acquirere potest (*can.* 93). Cfr. *Ferreres*, in opusc. El impedimento de clandestinidad, *nn.* 34-52, vel in Ephem. *Razón y Fe*, *vol.* 5 et 6, *pag.* 512 *seq.*, 107 *seq.*; item *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 4, *n.* 177 *seq.*; Instr. austriaca Card. *Rauscher*, § 39 (*Coll. Lacensis*, *vol.* 5, *col.* 1292); *Gasparri*, De matrim., *n.* 916 *seq.*; *Génicot*, *vol.* 1, *n.* 99 *seq.*; *Acta S. Sedis*, *vol.* 32, *pag.* 376 *seq.*

162. — 5.° Sive per domicilium sive per quasi-domicilium, nisi aliter in jure cautum fuerit, suum quisque parochum et Ordinarium sortitur. — Proprius **vagorum** parochus vel Ordinarius est parochus vel Ordinarius loci in quo vagus actu commoratur (*can.* 94, § 1 et 2).

Illorum quoque qui non habent nisi dioecesanum domicilium vel quasi-domicilium parochus proprius est parochus loci in quo actu commorantur (*can.* 94, § 3).

163. — 6.° Territorium cujuslibet dioecesis (ac praelaturae *nullius*) debet esse in distinctas partes divisum cum ecclesia ac determinato populo; unicuique autem parti suus peculiaris rector est praeficiendus. Hujusmodi partes dioeceseos (vel praelaturae *nullius*) sunt *paroeciae* (*can.* 216, § 1, 3).

Pari modo vicariatus apostolicus, praefectura apostolica, ubi commode fieri possit, dividi debent (*Ibid.*, § 2). Hujusmodi partes vicariatus apostolici, praefecturae apostolicae, si peculiaris rector eisdem fuerit assignatus, appellantur *quasi*-paroeciae (*Ibid.*, § 3).

164. — 7.° Igitur *paroecia* est pars dioeceseos (1), cum ecclesia ac determinato populo, et cui peculiaris rector praefici debet. Quasi paroecia est pars vicariatus apostolici, praefecturae apostolicae vel missionis, cum ecclesia ac determinato populo, cui peculiaris rector praefectus est.

8.° Sine speciali apostolico indulto non possunt constitui paroeciae pro diversitate sermonis seu nationis aut ritus fidelium in eadem civitate vel territorio degentium, nec paroeciae mere familiares aut personales; quoad constitutas nihil innovari debet inconsulta Apostolica Sede (*Ibid.*, § 4).

---

(1) Nomine dioecesis in jure venit etiam abbatia vel praelatura *nullius* (*can.* 215), i. e. territorium separatum *nulli* Episcopo residentiali subjectum, ut postea explicabitur, *lib.* II, *tit.* 7, *c.* 10.

CAPUT V

DE INTERPRETATIONE LEGIS (1)

165. **Definitio**. — *Interpretatio* legis est genuina ejus explicatio juxta mentem legislatoris.

Divisio. — Est 1.° *authentica*, vel *directiva:* authentica ea est, quae *jus facit*. Directiva *jus non facit*, sed ordinatur ad illud rite constituendum; et potest esse vel *usualis*, si fiat *moribus populi* consuetudinem perfectam nondum constituentibus, vel *doctrinalis*, si fiat scientia peritorum. Vide *Sanguineti*, Jur. eccles. inst., *n.* 88.

2.° *Stricta*, vel *lata*, prout fit stricte juxta naturalem verborum proprietatem, aut large juxta sensum benigniorem.

3.° *Simplex* seu *comprehensiva*, vel *extensiva*. *Comprehensiva* habetur cum sensus declaratus a verborum propria et usu recepta significatione non recedit; *extensiva* vero, cum ultra id quod verba, proprie et secundum sensum communem accepta, denotant, aliquid concedit, prohibet, dispensat, coarctat, etc.

Principia. — I. Leges ecclesiasticas authentice interpretatur legislator ejusve successor, et is cui potestas interpretandi fuerit ab eodem commissa (*can.* 17, § 1).

II. Interpretatio authentica fieri potest *per modum legis*, et tunc eamdem vim habet ac ipsa lex; aut *per modum sententiae* judicialis *aut rescripti* in re particulari, et tunc vim legis non habet, et ligat tantum personas et afficit res pro quibus data est (*Ibid.*, § 2 et 3).

QUAER. 1.° *An interpretatio authentica per modum legis egeat promulgatione?*

Resp. 1.° *Neg.*, si sit *comprehensiva*, i. e. si verba tantum legis *in se certa* declaret, et tunc *retrotrahitur*, quasi data esset cum ipsa lege.

Resp. 2.° *Affirm.*, si sit *extensiva*, i. e. si legem dubiam explicet; *nec* tunc *retrotrahitur* (*Ibid.*, § 2), sed vim habet tantum transactis tribus mensibus a promulgatione ipsius interpretationis.

QUAER. 2.° *An obligent leges ecclesiasticae dubiae, saltem si irritantes et inhabilitantes sint?*

Resp. 1.° *Neg.*, si dubiae sint *dubio juris*.

Resp. 2.° Si vero *dubio facti*, potest Ordinarius in eis dispensare, dummodo agatur de legibus in quibus Romanus Pontifex dispensare solet (*can* 15).

---

(1) Vide notam ad *n.* 155.

166. **Regulae interpretationis**. — I. Leges ecclesiasticae intelligendae sunt secundum *propriam* verborum significationem *in textu* et *contextu* consideratam (*can.* 18).

II. Si tamen dubiae et obscurae manserint, ad locos Codicis parallelos, si qui sint, ad legis *finem* et *circumstantias* et ad *mentem legislatoris* est recurrendum (*Ibid.*).

III. Leges *poenales* et *odiosae*, i. e. leges quae poenam statuant aut liberum exercitium limitent aut exceptionem a lege contineant, *stricte* sunt interpretandae (*can.* 19); lex vero *favorabilis* ampliam interpretationem poscit. Hinc axioma: *Favores sunt ampliandi, et odia restringenda. S. Alph., n.* 200, *et alii omnes.*

IV. Si certa de re desit expressa dispositio legis sive generalis sive particularis, norma sumenda est, nisi agatur de poenis applicandis, a legibus latis in *similibus casibus;* a *generalibus juris principiis* cum aequitate canonica servatis; a *stylo et praxi Curiae Romanae;* a *communi* constantique *sententia doctorum* (*can.* 20).

Quaer. 3.° *An lex extendi debeat a casu ad casum ob identitatem rationis?*

Resp. 1.° *Neg.*, quoad leges poenales. Nam «non licet poenam de persona ad personam vel de casu ad casum producere, quamvis par adsit ratio, imo gravior» (*can.* 2219, § 3).

Resp. 2.° *Affirm.*, in aliis, quoties alias accusari posset legislator injustitiae vel imprudentiae.

CAPUT VI

DE CESSATIONE LEGIS ET PRAECEPTI (1)

167. — Lex variis modis cessare potest.

1.° Per legitimam *abrogationem*, *derogationem*, *obrogationem*, prout omnino aut tantum ex parte aboletur; quemadmodum enim superior legem ferre, sic eamdem vel tollere vel coarctare potest.

Abrogatur legi cum ea omnino tollitur; derogatur, cum pars ei detrahitur; subrogatur, cum aliquid ei additur; obrogatur, cum alia lex fertur illi contraria. *Sanguineti, n.* 66.

2.° Per *cessationem causae motivae adaequatae*, seu finis totalis, ob quem lata est respectu totius communitatis; cessante enim causa legis, eam urgere legislator rationabiliter nequit.

3.° Per *desuetudinem*, seu per *consuetudinem contrariam*, debitis vestitam conditionibus; tunc enim superioris consensus saltem legalis accedit. — *Ita communissime.*

---

(1) Vide notam ad *n.* 155.

168. Quaer. 1.° *An cesset lex cessante causa finali in casu particulari tantum, id est respectu aliquot personarum?*

Resp. Neg., nisi cesset *contrarie*, i. e. nisi servari sine gravi incommodo non possit; ratio, quia finis legis adaequatus respicit ea, quae communiter contingunt, non vero casus particulares; non ergo hi obstant, quominus finis legis atque adeo lex ipsa perseveret. Unde novus Codex: «Leges latae ad praecavendum *periculum generale* urgent etiamsi in casu peculiari periculum non adsit» (*can.* 21). Hinc a bannorum proclamatione non eximuntur sponsi, etsi certo sciant nullum subesse matrimonio impedimentum. *Suárez, Laymann, et S. Alph., n.* 199.

Quaer. 2.° *An et quatenus lex posterior abroget priori?*

Resp. Affirm., *a*) si expresse id dicat, aut *b*) sit illi directe contraria, aut *c*) ordinet de novo totam materiam prioris legis.

Sed lex generalis pontificia nullatenus derogat locorum specialium et personarum singularum statutis, nisi aliter in ipsa caveatur expresse (*can.* 22).

Quaer. 3.° *Quid in dubio an lex fuerit revocata?*

Resp. In dubio cessatio legis praeexsistentis *non praesumitur;* sed leges posteriores ad priores trahendae sunt, et his conciliandae quantum fieri possit (*can.* 23).

Quaer. 4.° *Quandonam cessat* **praeceptum particulare?**

Resp. Per se cessat resoluto jure praecipientis.

Excipe si impositum fuerit per *legitimum documentum* aut coram *duobus testibus;* tunc enim judicialiter urgere potest et pergit urgere etiam resoluto jure superioris (*can.* 24).

TITULUS II

De lege non scripta seu de consuetudine (1)

169. **Definitio.** — Consuetudo definiri solet: «Jus legale *non scriptum* diuturnis *moribus* populi christiani, *cum aliquo consensu* competentis legislatoris ecclesiastici, introductum.» *Wernz*, Jus Decretal., I, *n.* 187, I.

Divisio. — Consuetudo *a*) alia est *secundum legem*, quae scilicet legem scriptam vel traditam usu et moribus *firmat* vel *interpretatur; b*) alia *praeter legem*, quae, deficiente lege, aliquem modum agendi tanquam obligatorium communitati imponit; *c*) alia *con-*

(1) Quae in hoc titulo et quatuor subsequentibus *nn.* 169-188 habentur, eadem omnino sunt quae in *Comp.*, *nn.* 209-223, ideoque in alterutra schola omitti poterunt.

tra legem, quae legem jam constitutam abrogat vel ei saltem derogat.

Consuetudo dicitur *praescripta*, si duravit tempus requisitum ad vim legis obtinendam; secus, dicitur *non praescripta*.

Principia. — I. Consuetudo in Ecclesia vim legis a consensu competentis superioris ecclesiastici unice obtinet (*can.* 25).

II. Communitas, quae legis ecclesiasticae saltem recipiendae capax est, potest consuetudinem inducere, quae vim legis obtineat (*can.* 26).

III. Consuetudo est optima legum interpres (*can.* 29).

Ergo *a*) consuetudo est lex, et *b*) vim legis obtinet unice a consensu competentis legislatoris.

170. **Consectaria.** — Inde plurima inferuntur consectaria. Etenim si consuetudo est lex, ergo 1.° debet esse *ordinatio rationis*, ideoque consuetudo debet esse *rationabilis*, ideoque vim legis obtinere nequit «consuetudo quae in jure reprobatur», talis enim consuetudo «non est rationabilis» (*can.* 28).

2.° Si est lex, debet repetere suam vim *ab eo qui curam communitatis habet*, ideoque a *consensu* competentis *legislatoris*. Non opus est ut adsit consensus expressus, quia jus supponit posse existere consuetudines legitime praescriptas, quas ignoret legislator. Ergo requiritur et sufficit *consensus legalis*, in eo situs quod legislator lege generali antecedenter decernat ut consuetudines habentes determinata requisita obtineant vim legis. Cfr. *Wernz*, l. c., *n.* 188.

3.° Si consuetudo suam vim repetit *a consensu legislatoris*, *a*) inde est quod possit derogare legibus ipsius legislatoris et inferiorum ejus, et hinc repetendum est quod consuetudo possit derogare legibus Papalibus et Conciliorum oecumenicorum, quod non possunt facere Episcopi nec Concilia provincialia, nec nationalia, nec plenaria.

b) Inde est etiam quod non possit, plus quam potest ipse legislator, ideoque nulla consuetudo potest aliquatenus derogare juri divino sive naturali sive positivo (*can.* 27).

c) Ergo ubi desit hic consensus, consuetudo nullam vim habet: deest vero consensus legislatoris, *a*) cum legislator eam reprobat, aut declarat irrationabilem; *b*) si non fuerit legitime praescripta per tempus statutum a legislatore.

4.° Si consuetudo habet vim legis, ergo consuetudini praeter legem aut contra legem derogari potest per aliam consuetudinem sibi contrariam, vel etiam per aliam legem competentis legislatoris.

171. — IV. Consuetudo *facti*, quae est veluti materia legis, induci debet a populo, i. e. a communitate vel a majore parte illius. Communitas debet esse capax recipiendi legem ecclesiasticam

specialem, uti est provincia ecclesiastica, dioecesis, ordo religiosus. Si enim communitas non est capax ut regatur legibus specialibus, nec poterit habere legem specialem inductam per consuetudinem.

Induci debet per actus repetitos qui sint frequentes, uniformes, liberi, i. e. non positi ex ignorantia aut metu.

172. — Quaer. 1.° *Per quantum tempus durare debet consuetudo ad praescribendum* **contra leges** *ecclesiasticas?*

Resp. Generatim requiruntur et sufficiunt *quadraginta anni.*

Sed contra legem ecclesiasticam quae *clausulam* contineat *futuras consuetudines prohibentem*, sola praescribere potest consuetudo *centenaria* aut immemorabilis (*can.* 27).

Quaer. 2.° *Quid requiritur ut inducatur consuetudo* **praeter legem** *quae vim legis habeat.*

Resp. Requiruntur *tres* conditiones: 1.ª ut *scienter* a communitate *cum animo se obligandi* servata sit; 2.ª ut sit *rationabilis;* 3.ª ut legitime per *annos quadraginta* sit *praescripta* (*can.* 28).

Ex defectu prioris conditionis non inducitur consuetudo vim legis habens quando communitas ideo actus ponit quia per errorem putat se obligari ad eos ponendos. Sic in Hispania erat consuetudo non miscendi epulas diebus solius abstinentiae in quibus ex Cruciata licebat edere carnes, sed inducta erat ex errore quo putabatur a lege esse talem permixtionem interdictam, cum non esset. Ita etiam ex errore inducta fuit consuetudo non utendi privilegio circa condimenta ex adipe in dioecesi Auriensi nisi ab habentibus Cruciatam, cum et aliis etiam liceret. Cfr. *Ferreres*, apud *Razón y Fe, vol.* 31, *pag.* 227 *seq.*

Quaer. 3.° *Quandonam consuetudo censeatur inducta cum animo se obligandi?*

Resp. 1.° Si doctores in id consentiant; 2.° si consuetudo sit de re gravi et difficili, et tamen dici possit constanter et communiter servata; 3.° si superiores graviter reprehendant consuetudinum violatores. *S. Alph., n.* 107.

Quaer. 4.° *Quid in dubio an consuetudo vim legis habeat?*

Resp. In dubio, facta inquisitione, valet principium: *Lex dubia non obligat.* Haec autem inquisitio consistit in sensu hominum proborum indagando.

Quaer. 5.° *An lex revocet contrarias consuetudines centenarias aut immemorabiles?*

Resp. Neg., absque expressa earum mentione. Nec lex pontificia revocat consuetudines particulares absque expressa earum mentione (*can.* 30).

Quaer. 6.° *Quid de clausula «nulla obstante consuetudine»?*

Resp. 1.° Haec clausula abrogat consuetudines contrarias jam exsistentes quae non sint *immemorabiles* aut centenariae, quia aliquid debet operari. Cfr. *Wernz*, Jus Decretal., III, *n.* 304.

Resp. 2.° Non tollit *immemorabilem* consuetudinem contrariam, nisi reprobetur ut irrationalis.

Resp. 3.° Quoad futuras; eas non irritat nisi reprobentur ut irrationales. Imo nec clausula «exclusa qualibet consuetudine in futurum» alium finem habet nisi excitare vigilantiam superiorum, ne consuetudo contraria invalescat. Vide *De Luca*, l. c., *n.* 92.

QUAER. 7.° *An et quomodo Codex abroget consuetudines vigentes tempore suae promulgationis?*

Resp. 1.° Si expresse eas reprobet, habendae sunt uti corruptelae, ideoque abrogantur etsi fuerint immemorabiles, nec in posterum umquam praevalere poterunt (*can.* 5).

Resp. 2.° Reliquae, quae sint contrariae canonibus, suppressae haberi debent, nisi expresse Codex aliud caveat. Centenariae tamen et immemorabiles tolerari poterunt, si Ordinarii pro locorum ac personarum adjunctis existiment eas prudenter submoveri non posse (*can.* 5).

173. — *N. B.* Cum juxta Codices recentiores consuetudo nullam vim habeat *legibus derogandi* (**hisp.-ph.**, 5, 6; **lusit.**, 9; **aeq.**, 2; **arg.**, 17; **chil.**, 2; **col.**, 8; **cost.**, 12; **guat.**, 6, 11; **mex.**, 8; **nic.**, 2; **per.**, 6; **Salv.**, 2; **ur.**, 9; **ven.**, 5), quae circa hoc hic dicta sunt valent in re canonica, non autem in materia civili, nisi forte in *Cathal.*, ubi viget jus *rom.* Si tamen maxima pars populi legem non observaret per longum tempus, posset quis prudenter censeri excusatus ab illius observatione; ratio enim et aequitas permittere non videntur, ut solus vel cum paucis legem communiter non observatam observare debeas. *Laymann*, De leg., *c.* 3, *n.* 3; *Ball.-P.*, I, *n.* 292; *Valenzuela*, *n.* 21. Deficiente tamen lege, consuetudo constituit jus suppletorium (**hisp.-ph.**, 6. Cfr. etiam **hisp.**, 12, 485, 570, etc.).

TITULUS III

De temporis supputatione

174. — Tempus computari debet juxta sequentes canones, nisi aliud expresse dicatur et salvis legibus liturgicis (*can.* 31).

I. *Dies* constat 24 horis continuo supputandis a media nocte, hebdomada 7 diebus. In jure nomine *mensis* venit spatium 30, *anni* vero spatium 365 dierum, nisi mensis et annus dicantur sumendi prout sunt in calendario (*can.* 32, § 1, 2).

In supputandis *horis diei* standum est communi loci usui, v. gr. in publica horarum canonicarum recitatione. Attamen:

1.° in *privata* Missae celebratione, in *privata* horarum canonicarum recitatione, in sacra communione recipienda et in jejunii (etiam eucharistici) vel abstinentiae lege servanda, licet alia sit usualis loci supputatio, potest quis sequi loci tempus aut locale sive verum sive medium, aut legale sive regionale (v. gr. meridianum de Greenwich pro Hispania), sive aliud extraordinarium (*can.* 33, § 1).

II. Quoad tempus urgendi contractuum obligationes, servari debet praescriptum juris civilis in territorio vigentis, nisi aliter *expresse* in pactione conventum sit (*Ibid.*, § 2).

175. QUAER. 1.° *Quandonam menses et anni sumi debent prout sunt in calendario?*

Resp. 1.° Si mensis et annus designentur proprio nomine vel aequivalenter, ex. gr. *mense februario, anno proxime futuro*, sumantur prout sunt in calendario (*can.* 34, § 1).

Resp. 2.° Si terminus *a quo* nec explicite nec implicite assignetur, ex. gr. *suspensio a Missae celebratione per mensem aut duos annos, tres in anno vacationum menses*, etc., tempus supputetur de momento ad momentum; et si tempus *sit continuum*, ut in allato primo exemplo, mensis et anni sumantur prout sunt in calendario; si intermissum, hebdomada intelligatur 7 dierum, mensis 30, annus 365 (*Ibid.*, § 2). Unde qui suspensus sit per mensem a Missae celebratione, si eam celebravit 14 februarii hora 7 matutina, poterit iterum jam celebrare Missam die 14 martii hora 8.

Resp. 3.° Si tempus constet uno vel pluribus mensibus aut annis, una vel pluribus hebdomadis, aut tandem pluribus diebus, et terminus *a quo* explicite vel implicite assignetur: 1.° mensis et anni sumantur prout sunt in calendario; 2.° si terminus *a quo* coincidat cum initio diei, ex. gr. *duo vacationum menses a die* 15 *augusti*, primus dies ad explendam numerationem computetur, et tempus finiatur incipiente ultimo die ejusdem numeri.

Unde in casu si duo vacationum menses incipiunt die 15 augusti, finem habebunt expleto die 14 octobris, seu incipiente die 15, ita ut hic dies 15 jam non sit dies vacationis sed servitii.

III. Si terminus *a quo* non coincidat cum initio diei, ex. gr. *decimus quartus aetatis annus, annus novitiatus, octiduum a vacatione sedis episcopalis, docendium ad appellandum*, etc., primus dies ne computetur, et tempus finiatur expleto ultimo die ejusdem numeri.

Unde si annus novitiatus incipiat die 14 junii, quacumque hora id fiat, anni 1918, finem non habebit nisi *expleto* eodem die 14 junii anni 1919, ideoque professio fieri non potest nisi die 15 jam incepto.

IV. Quod si mensis die ejusdem numeri careat, ex. gr. *unus mensis a die* 30 *januarii*, tunc pro diverso casu tempus finiatur

incipiente vel expleto ultimo die mensis; nempe finem habebit *incipiente* die 28 februarii (vel 29 in anno bisextili), si terminus *a quo* coincidat cum initio diei; *finito eodem* die, si terminus a quo non coincidat cum initio diei.

Unde si quis in anno bisextili novitiatum incipiat die 29 februarii, anno sequenti, professionem facere poterit expleto die 28 februarii, seu, quod idem est, incepto 1 martii.

V. Si agatur de actibus ejusdem generis statis temporibus renovandis, ex. gr. *triennium ad professionem perpetuam post temporariam, triennium aliudve temporis spatium ad electionem renovandum*, etc., tempus finitur eodem recurrente die quo incepit, sed novus actus per integrum eumdem diem poni potest (*Ibid.*, § 3).

Unde qui ingressus est novitiatum 14 junii, primam professionem fecit die 15, v. gr. hora 8, renovatio annualis vel triennalis *per se* fieri potest anno vel triennio sequenti, eodem die 15 junii quacumque hora, i. e. ante horam 8, vel hora 8, vel post horam 8.

Quaer. 2.° *Quid sit tempus continuum, quid vero tempus utile?*

Resp. 1.° Quod nullam patitur interruptionem.

Resp. 2.° Quod pro exercitio aut prosecutione sui juris ita alicui competit ut ignoranti aut agere non valenti non currat (*can.* 35).

Unde si pro dicenda una Missa tempus *utile* assignetur unus mensis, et intra id tempus occurrat triduum hebdomadae majoris, hi tres dies non computantur.

TITULUS IV

De rescriptis

176. **Definitio.** — Rescriptum est responsum Principis, i. e. Romani Pontificis aut aliorum Ordinariorum, scripto datum ad alicujus preces vel consultationem aut relationem. *Wernz*, I, *n.* 149; *Sanguineti*, *n.* 102.

Divisio. — Rescripta dividuntur: 1.° in *rescripta gratiae*, quae favorem continent non connexum cum contentione judiciali, v. gr. indulgentias; et *rescripta justitiae*, quae favorem continent ordinatum ad contentionem judicialem, v. gr. delegationem judicis; 2.° in rescripta *secundum jus*, in quibus urgetur exsequutio juris, ut ordinarie fit in rescriptis justitiae; et rescripta *praeter jus* aut *contra jus*, in quibus aut aliquid conceditur a jure non definitum, v. gr. indulgentiae, aut conceditur id quod est contra jus, v. gr. dispensationes matrimoniales, ut solet accidere in rescriptis gratiae.

177. Quaer. 1.° *Quinam et pro quibus possint obtinere rescripta?*

Resp. 1.° Quicumque expresse non prohibetur (*can.* 36, § 1).

Resp. 2.° Impetrare potest non modo pro se sed etiam pro alio etiam *praeter ejus assensum*, et licet hic possit concessa gratia non uti; rescriptum tamen valet ante ejusdem acceptationem, nisi aliud ex appositis clausulis appareat (*can.* 37).

Resp. 3.° Excommunicati, suspensi et interdicti, post sententiam declaratoriam aut condemnatoriam nequeunt gratiam ullam pontificiam valide consequi, nisi in pontificio rescripto mentio fiat respective de excommunicatione, suspensione aut interdicto (*can.* 36, § 2; 2265, § 2; 2275, *n.* 3; 2283).

Quaer. 2.° *An adimpletio conditionis appositae in rescripto sit essentialis pro hujus validitate?*

Resp. Affirm., si exprimatur *per* particulas *si*, *dummodo* vel aliam ejusdem significationis (*can.* 39); secus, *negative.*

In omnibus rescriptis subintelligenda est, etsi non expressa, conditio: *Si preces veritate nitantur* (*can.* 40).

Quaer. 3.° *Quando rescripta suum sortiantur effectum?*

Resp. A momento quo datae sunt litterae, si exsecutorem non exigant; *secus*, a momento exsecutionis (*can.* 38). Preces veritate niti debent respective tempore quo suum sortiri debent effectum (*can.* 41).

178. — Quaer. 4.° *An* **reticentia veri** *seu subreptio*, **expositio falsi** *seu obreptio obstent validitati rescripti?*

Resp. 1.° *Neg.*, dummodo expressa fuerint, quae de stylo Curiae sunt ad validitatem exprimenda (*can.* 42, § 1).

Resp. 2.° Etiam *neg.*, dummodo saltem *unica causa* proposita, vel ex pluribus propositis *una saltem motiva* (1), vera sit (*Ibid.*, § 2).

Imo si in rescripto apponitur clausula: *Motu proprio*, valebit hoc etsi *reticeatur veritas* alias necessario exprimenda; non tamen *si falsa causa finalis* eaque *unica* proponatur (*can.* 45), nisi agatur de dispensatione matrimoniali ab impedimento minori, quae etiam in hoc casu valida erit (*can.* 1054).

N. B. Si in rescripto plures gratiae una simul concedantur, vitium obreptionis vel subreptionis in una parte tantum, aliam non infirmat (*can.* 42, § 3).

Quaer. 5.° *Quodnam rescriptum sit praeferendum si contingat ut de una eademque re impetrentur duo rescripta inter se contraria?*

Resp. 1.° *Peculiare*, in iis quae peculiariter exprimuntur, *praevalet generali.*

---

(1) *Causa motiva* seu *causa finalis* ea dicitur, quae sufficit ad determinandum Superiorem ut gratiam concedat; causae vero aliae, quae tantum ad faciliorem concessionem reddendam juvant, ita tamen ut per se solae ad Superiorem determinandum non sufficerent, *impulsivae* vocantur.

2.° Si sint aeque peculiaria aut generalia, *prius tempore praevalet posteriori*, nisi in altero fiat expressa mentio de primo aut nisi prior impetrator dolo vel notabili negligentia suo rescripto usus non fuerit.

3.° Quod si eodem die fuerint concessa, nec liqueat uter prior impetravit, utrumque irritum est, et si res ferat, rursus ad eum, qui rescripta dedit, recurrendum (*can.* 48).

Quaer. 6.° *Quomodo rescripta sint interpretanda?*

Resp. Secundum *propriam verborum significationem* et communem loquendi usum, *nec* debent *ad casus alios* praeter expressos extendi (*can.* 49).

Quaer. 7.° *Quid vero si sensus appareat dubius?*

Resp. Tunc generatim admittunt *latam* interpretationem. *Excipe* rescripta *a*) quae referuntur ad *lites*, vel *b*) laedunt jus tertii, vel *c*) adversantur legi in commodum privatorum, vel *d*) impetrata sint ad assecutionem *beneficii ecclesiastici* (*can.* 50): hae enim strictam recipiunt interpretationem.

179. — Quaer. 8.° *An exsecutor exsecutionem denegare possit?*

Resp. 1.° *Neg.*, si ei committatur merum *exsecutionis* ministerium (1). *Excipe a*) si manifeste pateat rescriptum vitio subreptionis nullum esse, aut *b*) in rescripto apponantur *conditiones* et exsecutori constet eas *non esse impletas*, aut qui rescriptum impetravit adeo, judicio exsecutoris, videatur indignus, ut aliorum offensioni futura sit gratiae concessio; quod ultimum si accidat, exsecutor, intermissa exsecutione, statim ea de re certiorem facere debet rescribentem (*can.* 54, § 1).

Resp. 2.° *Affirm.*, si in rescripto *concessio* gratiae exsecutori omnino committatur: tunc enim ad eum pertinet pro suo *prudenti* arbitrio et conscientia gratiam concedere vel denegare (*Ibid.*, § 2).

180. — Quaer. 9.° *Quomodo procedere debeat* **exsecutor?**

Resp. 1.° Nequit *valide* procedere ad exsecutionem antequam *litteras* receperit earumque *authenticitatem* et *integritatem* recognoverit. *Excipe* si praevia earumdem notitia ad eum fuerit auctoritate rescribentis transmissa (*can.* 53).

2.° Procedere debet ad normam mandati quae in rescripto

---

(1) *Rescripti exsecutor* ea persona dicitur cui officium demandatur examinandi an conditiones necessariae ad validam et licitam rescripti concessionem, re ipsa in casu concurrant. Post peractam autem indagationem, si vere conditiones requisitae adsunt, tunc ipse, si quidem merus exsecutor sit, declarare debet impetrantem gratia uti posse in rescripto concessa. Si vero non merus exsecutor sit, sed ei munus gratiam ipsam concedendi committatur, ad ipsius prudens arbitrium et conscientiam pertinet decernere sitne ea concedenda necne, attenta forma rescripti, rationibus ad impetrandum allegatis et concessionis ipsius opportunitate. Cfr. *Ferreres,* La Curia Romana, *n.* 201 *seq.* Denique, ubi eam concedendam decreverit, decretum ipsum scripto exarandum est, et in eo exprimendum exsecutionem nomine illius fieri qui rescriptum concessit.

In rescriptis pro foro interno, exsecutio communiter verbo fit.

ipsi datur; quod si conditiones essentiales ac formam substantialem non servaverit, invalida est exsecutio (*can.* 55).

3.° *Decretum exsecutionis* rescriptorum, quae forum *externum* respiciunt, *scripto* est proferendum (*can.* 56). Attamen exsecutio *verbis* facta erit *valida*.

4.° Quod si in rescriptorum exsecutione quomodolibet erraverit, poterit iterum eadem exsecutioni mandare (*can.* 59, § 1).

Quaer. 10. *An exsecutor rescriptorum possit alium sibi* **substituere?**

Resp. Affirm., nisi id expresse prohibeatur (*can.* 57, § 1).

Excipe si electa fuerit industria personae: tunc enim non licet alteri committere nisi actus preparatorios seu *ordinarios* (*Ibid.*, § 2).

Imo (nisi electa fuerit industria personae) rescripta quaelibet exsecutioni mandari possunt etiam ab *exsecutoris successore* in dignitate vel officio (*can.* 58).

181. *Quomodo* **cessent** *rescripta?*

Rescripta cessant *a*) sive *ex natura rei* (v. gr. morte impetrantis, si rescripta contineant privilegium personale); *b*) sive *elapso tempore* in ipsis assignato; *c*) sive per *revocationem* expressam vel tacitam (v. gr. per rescriptum vere ac legitime contrarium priori) Apostolicae Sedis (*can.* 62).

Non vero *cessant a*) per vacationem Sedis Apostolicae aut dioecesis rescripta ejusdem Sedis Apostolicae aut Ordinarii, nisi aliud ex additis clausulis appareat aut rescriptum contineat potestatem alicui factam concedendi gratiam peculiaribus personis in eodem expressis, et res adhuc integra sit (*can.* 61); nec *b*) per legem contrariam, nisi aliud in ipsa lege caveatur, aut lex lata sit a Superiore ipsius rescribentis (*can.* 60, § 2).

182. — *N. B.* 1.° Rescripta *a*) etiam *Motu proprio* concessa personae de *jure communi inhabili* ad consequendam gratiam de qua agitur; itemque *b*) edita contra legitimam *consuetudinem* vel *statutum peculiare* alicujus loci, vel contra *jus alteri* jam *quaesitum*, **non sustinentur**, *nisi* expressa *derogatoria* clausula rescripto apponatur (*can.* 46).

2.° Rescripta non fiunt irrita ob errorem in nomine personae cui vel a qua conceduntur, aut loci in quo ipsa moratur, aut rei de qua agitur, dummodo judicio Ordinarii nulla sit de ipsa persona vel re dubitatio (*can.* 47).

3.° Rescriptum Sedis Apostolicae in quo nullus datur exsecutor, tunc tantum debet *Ordinario impetrantis praesentari*, cum id in eisdem litteris praecipitur, aut agitur de rebus publicis, aut opportet comprobare conditiones quasdam (*can.* 51).

4.° Rescripta, *quorum praesentationi nullum est definitum tempus*, possunt exsecutori exhiberi quandocumque, modo absit fraus et dolus (*can.* 52).

5.° Si rescriptum continet non simplicem gratiam, sed privilegium vel dispensationem, servari debent etiam canones de privilegiis vel dispensationibus (*can.* 62).

TITULUS V

De privilegiis

183. **Definitio**. — Privilegium objective sumptum est «Lex privata specialem favorem concedens contra vel praeter jus commune». Subjective spectatum est «Jus speciale permanens concessum in gratiam a superiore contra vel praeter jus commune» (*Wernz*, I, *n.* 158). Unde privilegium gaudere debet quadam perpetuitate, ex quo differt a dispensationibus ad actum transeuntem, a facultatibus temporaneis, etc.

Quare, ex canone 70, «Privilegium, nisi aliud constet, censendum est perpetuum».

Divisio. — Privilegium esse potest: 1.° *contra* vel *praeter* jus commune.

2.° *Favorabile* vel *odiosum:* prout concedat merum favorem sine incommodo alterius; vel tertiae personae praejudicium afferat.

3.° *Personale*, *locale*, aut *reale:* prout immediate concedatur personae, loco aut alicui rei.

4.° *Directe* alicui concessum, aut per *communicationem* cum alio cui directe concessum est. Communicatio esse potest in forma aeque principali aut in forma accessoria.

5.° Concessum *motu proprio* aut *ad preces* sive instantiam *alterius*.

184. **Principium**. — Nemo cogitur uti privilegio, in sui dumtaxat favorem concesso, nisi alio ex capite exsurgat obligatio (*can.* 69). Oriri potest obligatio illo utendi, v. gr. ex charitate.

Quaer. 1.° *Quomodo* **acquiri** *possunt privilegia?*

Resp. Tripliciter, scilicet: per *directam concessionem* competentis auctoritatis, per *communicationem*, et per legitimam *consuetudinem* aut *praescriptionem* (*can.* 63).

Quaer. 2.° *Quaenam privilegia censentur concessa per* **communicationem** *etiam si haec fiat in forma aeque principali?*

Resp. Ea tantum *a*) quae *directe*, *perpetuo* et *absque speciali relatione ad certum locum aut rem* aut *personam* concessa fuerant primo privilegiario; *b*) habita etiam ratione *capacitatis subjecti*, cui fit communicatio (*can.* 64).

QUAER. 3.° *An privilegia obtenta per communicationem augeantur, imminuantur vel amittantur, si augeantur, imminuantur vel cessent in principali privilegiario?*

Resp. Affirm., si acquirantur per communicationem in forma *accessoria*.

Neg., si in forma *aeque principali* acquisita fuerint (*can.* 65).

QUAER. 4.° *Quomodo privilegia sint* **interpretanda?**

Resp. 1.° *Ex ejus tenore;* nec licet illud extendere aut restringere (*can.* 67).

Resp. 2.° Si vero sensus sit dubius, tum interpretantur sicut dictum est de rescriptis (*can.* 50), *ita tamen* ut privilegiarius aliquam videatur gratiam consequutus ex privilegio (*can.* 68).

185. — QUAER. 5.° *An valeant privilegia a Sancta Sede concessa* **vivae vocis oraculo?**

Resp. Affirm., sed nemo potest cujusvis privilegii usum adversus quemquam in foro externo vindicare, nisi privilegium ipsum sibi concessum esse legitime tunc demonstret (*can.* 79).

186. — QUAER. 6.° *Quomodo* **cessent** *privilegia?*

Resp. 1.° Per legitimam *revocationem* ipsius concedentis vel ejus Superioris competentis seu successoris, ut patet.

2.° Per *renuntiationem* a competenti Superiore acceptatam (*can.* 72, § 1).

3.° Si rerum adjuncta temporis progressu sic immutantur, ut judicio Superioris *noxia evaserint* aut ejus *usus fiat illicitus* (*can.* 77).

4.° Resoluto jure concedentis, si data sint ad ejusdem beneplacitum (*can.* 73).

5.° Privilegium personale personam sequitur et cum ipsa extinguitur (*can.* 74).

6.° Privilegia realia cessant per absolutum rei vel loci interitum; localia tamen, si locus intra quinquaginta annos restituatur, reviviscunt (*can.* 75).

7.° Cessant etiam elapso tempore aut expleto numero casuum pro quibus privilegium fuit concessum (*can.* 77).

187. — QUAER. 7.° *An per* **legem generalem** *directe contrariam censeantur revocata privilegia?*

Resp. Affirm., si privilegia in Codice sint contenta; non vero cetera, nisi expressa eorumdem fiat mentio, aut lex lata sit a superiore concedentis privilegium (*can.* 60, 71).

QUAER. 8.° *Quid si revocatio fiat per actum peculiarem Superioris?*

Resp. Tunc privilegium revocatur, sed perdurat usque dum revocatio privilegiario significetur (*can.* 60, 71).

QUAER. 9.° *An quis possit* **renuntiare** *privilegio?*

Resp. 1.° *Affirm.*, si agatur de privilegio in favorem ipsius tantum (*can.* 72, § 2).

Resp. 2.° Si vero privilegium sit concessum alicui communitati, dignitati aut loco, personae privatae renuntiare eidem non possunt. Imo nec ipsa communitas, si agatur *a*) de privilegio concesso per modum legis **aut** *b*) cujus renuntiatio cedat in Ecclesiae aliorumve praejudicium (*Ibid.*, § 3, 4).

QUAER. 10. *An privilegia quae* **in gravamen aliorum** *cedunt amittantur per usum contrarium aut per liberum non usum?*

Resp. Neg., nisi accedat legitima praescriptio vel tacita renuntiatio. A fortiori non amittuntur per non usum aut usum contrarium privilegia **mere favorabilia** (*can.* 76).

QUAER. 11. *An peregrini possint gaudere privilegiis locorum quae peragrant, etsi sint contra legem communem?*

Resp. Affirm. Constat ex consuetudine generali.

188. — *N. B.* 1.° Possessio centenaria vel immemorabilis inducit praesumptionem concessi privilegii (*can.* 63, § 2).

2.° Qui abutitur potestate sibi ex privilegio permissa, privilegio ipso privari meretur, de quo abusu Ordinarius monere debet Sanctam Sedem, si privilegium ab ipsa fuerit concessum (*can.* 78).

TITULUS VI

De dispensationibus

189. **Definitio.** — *Dispensatio* est relaxatio legis in casu speciali (*can.* 80).

Divisio. — Dispensatio esse potest:

1.° *Licita*, vel *illicita*, prout fit justa de causa, vel non.

2.° *Valida*, vel *invalida*, prout vel eximit a legis observatione, vel non eximit.

3.° *Absoluta*, vel *conditionata*, prout simpliciter, vel adjecta aliqua conditione conceditur.

4.° *Subreptitia*, vel *obreptitia*, prout tacetur in petitione aliquid manifestandum, vel e contrario aliquid falsum asseritur.

CAPUT I

DE POTESTATE DISPENSANDI

190. **Principia.** — I. Legislator dispensare potest 1.° in legibus suis, quia tantam habet potestatem ad solvendum, quantam habet ad ligandum; 2.° in legibus praedecessorum suorum, quia

pari cum iis gaudet potestate; 3.° in legibus suorum inferiorum, quia hi ab ipso habent potestatem aut certe ipsi subordinatam illam habent. Cfr. *can.* 80.

II. Inferior non potest dispensare in legibus superioris sui, nisi ex potestate delegata, et in quantum ipsi delegatum est vel ab ipso superiore, vel a jure, vel a consuetudine. — Ratio, quia inferior in legem sui Superioris jurisdictionem non habet. — *Ita omnes.*

191. — QUAER. 1.° *An Papa dispensare possit in lege divina?*

Resp. Potest dispensare ex justa causa in iis, in quibus jus divinum oritur a voluntate humana, ut in votis et in juramentis. In ceteris num ex gravissima causa vere dispensare possit, an tantum declarare jus divinum tunc cessare, *controvertitur.* In praxi parum refert. *S. Alph.*, Hom. apost., *n.* 56. Cfr. *Wernz*, l. c., *vol.* 3, *n.* 524.

QUAER. 2.° *An Ordinarii Papa inferiores, dispensare possint a legibus Ecclesiae generalibus?*

Resp. Neg., ne in casu quidem peculiari. Excipe: 1.° si haec potestas eisdem fuerit explicite vel implicite concessa, ut de facto eis conceditur, v. gr. (*can.* 1245, § 1, 2) quoad festa, jejunia et abstinentiam, in casibus singularibus; et aliquando etiam pro tota dioecesi seu loco quoad jejunium et abstinentiam; 2.° si difficilis sit recursus ad Sanctam Sedem, et simul in mora sit periculum gravis damni, et de dispensatione agatur quae a Sede Apostolica concedi solet (*can.* 81).

QUAER. 3.° *In quibus legibus dispensare possint Episcopi aliique locorum Ordinarii?*

Resp. a) In propriis legibus ac suorum praedecessorum; *b*) in legibus Concilii provincialis ac plenarii, sed tantum in casibus particularibus et justa de causa (*can.* 82 et 291).

Non vero in legibus specialiter latis a Romano Pontifice pro illo territorio, nisi in casibus in quibus etiam a legibus generalibus dispensare poterit, ut supra dictum est (*can.* 82).

192. — QUAER. 4.° *Quid de facultatibus habitualibus quae in perpetuum vel ad tempus aut certum numerum casuum Ordinariis vel aliis concedi solent?*

Resp. 1.° Hujusmodi facultates haberi debent uti privilegia praeter jus (*can.* 66, § 1).

2.° Concessae Episcopo vel alii Ordinario, non cessant etiam si hic cesset a munere et eas exsequi coeperit, sed transeunt ad alios Ordinarios qui prioribus succedunt (*can* 66, § 2). Unde concessae Episcopo transeunt ad Vicarium Capitularem, et huic concessae ad novum Episcopum. Concessae Episcopo competunt quoque Vicario Generali. Haec omnia intellige nisi industria personae electa fuerit (tunc enim huic personae tantum competunt), aut aliud expresse cautum sit (*Ibid.*).

3.° Concessa facultas secum fert alias quoque potestates quae ad illius usum sunt necessariae; quare in facultate dispensandi includitur etiam potestas absolvendi a poenis ecclesiasticis, si quae forte obstent, sed ad effectum dumtaxat dispensationis consequendae (*can.* 66, § 3). Unde si quis vi hujus facultatis absolvitur ab excommunicatione ad effectum dispensationis obtinendae, manet nihilominus excommunicatus quoad alios omnes effectus.

193. — Quaer. 5.° *An Episcopus dispensare possit cum peregrinis in votis, juramentis, et communibus Ecclesiae praeceptis?*

Resp. Affirm., eodem modo ac cum suis subditis. Cfr. *can.* 1245, 1313 et 1320.

Quaer. 6.° *An parochi in aliquibus dispensare valeant?*

Resp. Neg., nec in lege generali, nec in lege peculiari, nisi haec potestas expresse eisdem concessa sit (*can.* 83), ut v. gr. quoad festa ac jejunia in casibus singularibus. Cfr. *can.* 1319 y 1320.

Quaer. 7.° *An qui potestatem habet dispensandi, dispensare possit cum semetipso?*

Resp. Affirm., per se, etenim nisi aliud ex rerum natura aut ex jure constet, potestatem jurisdictionis voluntariam seu non judicialem quis exercere potest etiam in proprium commodum. (*can.* 201, § 3).

CAPUT II

DE CAUSIS AD DISPENSANDUM REQUISITIS

194. **Principia**.—I. Ad *liceitatem* dispensationis semper aliqua causa requiritur justa et rationabilis, habita ratione gravitatis legis a qua dispensatur (*can.* 84, § 1). — Ratio est, quia secus Superior non erit fidelis dispensator, aut erit imprudens. *S. Thom.*, 1-2, *q.* 97, *art.* 4.

II. Ad *validitatem* vero nulla causa requiritur *ex parte concedentis*, si dispenset in sua aut in inferioris lege. Ratio est, quia ille, qui potest ligare, etiam solvere potest. — Secus autem, si in lege sui Superioris dispenset (*can.* 84), quia non accipit potestatem temere dispensandi. *Ita communiter.*

III. Ad *validitatem ex parte petentis* requiritur *generatim* ut nulla sit in petitione obreptio aut subreptio essentialis, seu quae cadat in causam motivam. — Quia Superior *generatim* non dispensat nisi sub tacita conditione, scilicet, *si preces veritate nitantur.* (*S. Alphonsus, n.* 182). — Excipe dispensationes matrimoniales in gradibus minoribus quae a Papa concedantur.

195. — Quaer. 1.° *An liceat petere, vel concedere dispensationem in dubio an causa sufficiat?*

Resp. ad 1.um *Affirm.* (*can.* 84, § 2). Ratio est, quia non pertinet ad subditos de sufficientia causae judicare, sed tantum rem sincere Superiori exponere. *S. Alph.*, *n.* 178.

Ad 2.um *Affirm.* pariter, quia secus onus Superioribus impositum intolerabile evaderet, et innumeris scrupulis tum quoad dispensantem tum quoad petentes esset obnoxium. *S. Alph.*, *ibid.*

Quaer. 2.° *Quid in dubio an casus indigeat dispensatione?*

Resp. Non requiritur dispensatio in dubio *positivo*, seu cum probabile est, casum lege non comprehendi; nam leges, etiam irritantes et inhabilitantes, in dubio juris non urgent (*can.* 15).

Quaer. 3.° *An sit valida dispensatio metu extorta?*

Resp. Affirm., modo exsistat causa dispensandi, nec constet, in Superiore omnino dispensandi animum defuisse (*can.* 103, § 2), et praeterea quaevis alia absit nullitatis causa. *S. Alph.*, *n.* 184.

196. — *N. B.* 1.° Valet dispensatio concessa a Superiore, licet ab inferiore jam fuerit negata, nec hujus negationis mentio fiat.

2.° Gratia ab una Sacra Congregatione vel Officio Romanae Curiae denegata invalide ab alia Sacra Congregatione vel Officio aut a loci Ordinario, etsi potestatem habente, conceditur sine assensu Sacrae Congregationis vel Officii quocum vel quibuscum agi coeptum fuit, salvo jure S. Poenitentiariae pro foro interno (*can.* 43); manetque poena nullitatis, etiamsi Pontifex, ignorans oratores jam ad unum Officium recursum habuisse, ad aliud negotium remitteret. Si adeatur idem Superior vel idem Officium, non requiritur mentio rei denegatae. Cfr. *Innoc. XII*, *const.* Ut occurratur, 4 jun. 1692, necnom *Clem. XIII*, 15 april. 1759. — *Ferreres*, Curia Romana, *n.* 353 et 581 *seq.*, vel in eph. *Razón y Fe*, *vol.* 23, *pag.* 514 *seq.* Pro antiqua disciplina vide *Zitelli*, De dispensat. matrim., *pag.* 70, *n.* 4; *Buccer.*, I. M., *n.* 1041; *Wernz*, l. c., 2.°, *n.* 654, I, in fine; *Santi*, I, *tit.* 31, *nn.* 55, 56; *Ball.-P.*, *vol.* 6, *n.* 950; *Lega*, De judiciis eccl., *l.* 1, *vol.* 2, *n.* 105.

3.° Nemo gratiam a proprio Ordinario denegatam ab alio Ordinario *licite* petere potest, nulla facta denegationis mentione; facta autem mentione, Ordinarius gratiam *licite* concedere nequit, nisi habitis a priore Ordinario denegationis rationibus (*can.* 44, § 1).

4.° Gratia a Vicario Generali denegata et postea, *nulla facta hujus denegationis mentione*, ab Episcopo impetrata, *invalida* est; gratia autem ab Episcopo denegata nequit *valide*, etiam facta denegationis mentione, a Vicario Generali, non consentiente Episcopo, impetrari (*can.* 44, § 2).

CAPUT III

DE INTERPRETATIONE ET CESSATIONE DISPENSATIONIS

197. — 1.° Dispensatio legis eam patitur interpretationem ac de rescriptis dictum est supra, canone 50 (*can.* 85). Idem intellige de facultate dispensandi ad certum casum concessa (*Ibid.*).

2.° Dispensatio quae *tractum habet successivum* (v. gr. dispensatio a jejunio vel a recitatione Horarum canonicarum concessa ex causa infirmitatis), cessat: *a*) iisdem modis ac privilegium, necnon *b*) certa et totali cessatione causae motivae (*can.* 86), non autem si causa motiva (v. gr. infirmitas) adhuc ex parte permaneat.

3.° Dispensatio quae tractum *non habet successivum*, v. gr. dispensatio voti aut impedimenti aut inhabilitatis, semel exsecutioni mandata, nunquam cessat.

4.° Dispensatio omnino cessat accedente revocatione expressa Superioris, quia obligatio vel relevatio a Superioris voluntate pendet. — Non cessat autem ob revocationem inferioris sine justa causa, quia revocandi facultas in ejus arbitraria potestate non est. *S. Alph.*, *n.* 197; *Salm.*, *Roncaglia*, etc.

5.° Ad validitatem renuntiationis requiritur acceptatio Superioris, quia solus Superior voluntatem ligare potest, sicut et a legis vinculo solvere. *S. Alph.*, *ibid.*, *et alii communiter.*

LIBER II

De personis

198. — In tres partes hic liber dividitur. Prima earum, et quidem praecipua, de *clericis;* secunda, de *religiosis;* tertia, de *laicis* agit.

TITULUS PRAEVIUS

Notiones generales

199. — In ipso limine hujus libri, et antequam ad primam ejus partem gradum faciat, proponit Codex viginti canones (87-107), quibus generales quasdam notiones et divisiones circa personas tradit, ad intelligentiam eorum quae in reliquo libro et in subsequentibus dicenda sunt; imo et ad ea quae libro I dicenda erant aliqua ex his necessaria fuerunt, quare inibi suo loco ea a nobis inserta sunt.

CAPUT I

QUINAM IN ECCLESIA PERSONAE SINT

200. **Notio personae physicae.** — *Persona*, sensu *philosophico*, dicitur *naturae rationalis individua substantia*, seu individuum quodvis natura rationali praeditum.

In jure autem, *persona juridica* vocatur subjectum quodvis jurium et obligationum capax; ideoque illi in Ecclesia sunt personae juridicae, qui in ipsa jurium et obligationum capaces exsistant. Cfr. *Sebastianelli*, De personis, *n.* 1.

201. **Quo pacto individua fiunt personae juridicae in Ecclesia.** — Ingressus in Ecclesiam fit per baptismum, adeoque, qui non est baptizatus, ad Ecclesiam non pertinet, nec est in ea capax jurium et obligationum: quamobrem Ecclesia eum ut subditum non agnoscit.

Omnes quidem homines a Deo destinati et vocati sunt ut in Ecclesiam suam per baptismi januam ingrediantur: omnes enim vocavit Christus, et pro omnibus mortuus est, omnesque officio adstricti sunt ipsi obtemperandi statim ac vocationem ipsius cognoverint; attamen, dum baptismum non accipiant, subditi Ecclesiae non sunt, et consequenter legibus pure ecclesiasticis non ligantur; naturalibus tamen et divinis utique tenentur.

Accepto jam baptismo, subditi Ecclesiae et *personae* in ipsa evadunt, *cum omnibus christianorum juribus et officiis;* nisi, ad jura quod attinet, obex adsit, ecclesiasticae communionis vinculum impediens, aut censura aliqua ab Ecclesia lata (*can.* 87); attamen, etiam eo casu, jura sua super illos Ecclesia non amittit, licet ipsi per amissionem gratiae membra mortua fiant, aut Ecclesiae membra jam non sint, ratione haereseos, schismatis aut apostasiae.

CAPUT II

PERSONAE RATIONE AETATIS

202. — I. Ratione aetatis personae possunt esse: *Majores* aut *minores*, prout vigesimum primum annum expleverint. — *Puberes* aut *impuberes*, prout *decimumquartum* annum, si de masculis, aut *duodecimum*, si de feminis agitur, completum habeant (*can.* 88, § 1, 2).

II. Impuberes, ante plenum septennium, vocantur *infantes*, *pueri* aut *parvuli*, et praesumitur eos rationis usum non habere; at expleto septennio, usum rationis habere praesumuntur (*Ibid.*, § 3).

III. Persona *major* plenum habet suorum jurium exercitium; *minor*, in exercitio suorum jurium a parentibus et tutoribus pendet, exceptis iis in quibus jus minores a patria potestate liberat (*can.* 89).

203. **Juris canonici in hac parte cum jure diversarum nationum comparatio.** — Haec juris canonici praescriptio (*can.* 89) similis ei est quae in cunctis civilibus Codicibus exstat, etsi in assignando anno majoris aetatis variant.

21 expletos annos assignant Codices Italiae (*a.* 240), Galliae (*a.* 388), Lusitaniae (*a.* 311), Boliviae (*a.* 115), Brasiliae (*a.* 9), Colombiae (*a.* 34), Costarricae (*a.* 22), Aequatoris (*a.* 21), Guatemalae (*a.* 28), S. Salvatoris (*a.* 26), Mexici (*a.* 362), Peruviae (*a.* 12), Uruguay (*a.* 258), Venezuelae (*a.* 281).

In Aragonia sufficit expletus *vigesimus* annus; in Argentina (*a.* 126) *vigesimus secundus* requiritur; *vigesimus tertius* in Hispania juri communi (*a.* 320); *vigesimus quintus* in jure romano, itemque in jure Cathalauniae, Navarrae et Cantabriae, sicut etiam in Chile (*a.* 26) et Nicaragua (*a.* 26).

204. — Aetas pubertatis a Codice canonico assignata, cum ea congruit quam jus romanum, jus canonicum antiquum, et Codices moderni plerumque constituerunt. Attamen, licet hucusque impedimentum canonicum aetatis ad matrimonium, adveniente pubertate cessaret; nunc jam illud non cessat, nec matrimonium validum datur ante decimumsextum annum viri completum, et decimumquartum annum mulieris, item completum (*can.* 1067, § 1).

205. — Aetas autem pubertatis in Codice definitur ratione electionum, in quibus impuberes suffragio carent (*can.* 167, § 1, 3.°), et ad poenas ecclesiasticas, cum impuberes juxta Codicem lenius puniendi sint (*can.* 2230). Quae lenitas etiam ad minores extenditur (*can.* 2204).

206. — Ex jure romano, deficiente patre, minoribus *tutor*, si impuberes, *curator*, si puberes essent, dandus erat. Noster Codex, et communiter omnes codices recentiores civiles, defuncto patre, matri deferunt patriam potestatem; quodsi ambo deficiant, cunctis minoribus tutorem praeponunt.

CAPUT III

PERSONAE RATIONE LOCI

207. — Locus originis filii, quamvis neophytus ipse fuerit, est locus in quo, cum filius natus est, domicilium, aut saltem quasi-domicilium habebat pater, vel si filius sit illegitimus aut postumus, mater (*can.* 90, § 1).

Locus originis filii *vagorum* est ille in quo de facto nascitur; locus *expositi*, ille in quo inventus est (*Ibid.*, § 2).

208. — Loci originis determinatio res est interdum magni momenti, ut cum, v. gr., de ordinatione sacerdotali agitur.

Reliqua ad domicilium et quasi-domicilium spectantia superius tradita sunt, *lib.* I, *tit.* 1, *nn.* 161-163; ubi de vagis qui sint videri poterit.

CAPUT IV

PERSONAE RATIONE COGNATIONIS

209. **Consanguinitas per suas lineas et gradus.** — *Consanguinitas* dicitur vinculum communis sanguinis, generatione carnali participati, quo junguntur plures personae, quarum communis et proxima origo seu stipes eadem sit.

Consanguinitas lineis et gradibus computatur. Linea *recta* ea

dicitur qua plures personae, aliae ab aliis carnali generatione ortae, junguntur (v. gr., linea per avum, patrem, filium, nepotem efformata). Linea *collateralis*, qua junguntur plures ex eodem stipite seu origine communi orti, qui tamen inter se nec ascendentes nec posteri sunt (v. gr., linea inter fratres, consobrinos, patruos, sororis aut fratris filios).

Gradus dicitur distantia alterius cognati ab altero. In linea recta tot sunt gradus quot generationes, vel, quod idem est, tot sunt gradus quot personae, dempto stipite ipso. Exempli gratia, inter avum et nepotem duo exstant gradus; tres vero inter proavum et pronepotem.

210. — In linea collaterali, si aequalis sit uterque tractus, tot gradus sunt, quot generationes in alterutro; si vero inaequales tractus sint, tot exstant gradus quot generationes in longiore ramo numerantur (*can.* 96). Itaque, duo patrueles (*primos hermanos*), quorum communis stipes est avus, duobus gradibus ad invicem distant; duo sobrini (hispane non *sobrinos*, sed *primos segundos*) stipem communem proavum habent, distantque ad invicem tribus gradibus. Avunculus et proneptis (*tío* y *sobrina segunda*) tribus gradibus inter se distant, quoniam totidem proneptis a proavo, stipite communi, distat; quamvis distantia avunculi ab ipso stipite nonnisi unius gradus sit, qui scil. inter patrem et filium intercedit.

211. — In jure civili gradus lineae rectae eodem modo ac in canonico computantur; verum ad gradus lineae collateralis computandos, fit additio numeri utriusque rami; atque ita duo pronepotes (*sobrinos segundos*) sex gradibus civiliter inter se distant; avunculus autem et proneptis, quatuor gradibus.

212. — Tum notio consanguinitatis, tum norma ad gradus computandos, eodem pacto explicantur in novo Codice ac in veteri disciplina.

213. **Affinitas.** — *Affinitas* oritur ex matrimonio valido, sive rato solummodo, sive rato et consummato; eaque viget tantum inter virum et mulieris consanguineos, et inter mulierem et viri consanguineos.

Affinitatis gradus ita computantur, ut qui sunt consanguinei viri, iidem in eadem linea et gradu sint affines mulieris, et vice versa (*can.* 97). Quare, mulieris patres, v. g., et fratres, primo gradu sunt affines viri, patres quidem in linea recta, fratres autem in collaterali; et vice versa: itemque patrueles viri sunt affines mulieris secundo gradu in linea collaterali, etc.

214. **Mutatio circa conceptum canonicum affinitatis facta.** — Sequitur inde Codicem novum canonicam affinitatis notionem mutasse, seu potius notionem juris romani restituisse (1). Hucus-

(1) Cfr. *Vidal,* Institutiones juris civilis romani, *pag.* 300 *seq.* (Prati, 1915).

que enim affinitas ex qualibet copula carnali perfecta, sive legitima sive illegitima ea foret, et quidem ex ea sola, oriebatur. Verum juxta Codicem, affinitas oritur ex *quolibet* matrimonio *valido*, et *ex eo solo*, ideoque *a*) oritur ex matrimonio valido rato tantum, ideoque etiam sine copula carnali oriri potest; *b*) non oritur jam nec ex matrimonio invalido, etiam bona fide consummato, nex ex copula ulla carnali illegitima. Cessat igitur impedimentum affinitatis ex *copula illicita*.

N. B. De consanguinitate et affinitate agit nunc Codex, nec ad tractatum de matrimonio, *lib.* III, *tit.* VII, rem differt, ubi proprius illius locus adesse videretur, quia antequam illuc perveniatur, de consanguineis et affinibus, eorumque gradibus verba facienda erant, v. gr., *can.* 157, 232; 367, § 3, etc.

CAPUT V

PERSONAE RATIONE RITUS

215. **Notio ritus.** — *Ritus* latiore significatione idem est ac liturgia, λειτουργία, quae vox e duabus graecis λεῖτον, publicum, et ἔργον, ministerium, procedit: quare liturgia *ministerium publicum* etymologice significat.

Liturgiae vox jam nunc in Ecclesia adhibetur ad significandum exclusive complexum sacrarum functionum quae ad Ordinis potestatem pertinent, cum omnibus rubricis circa ritus et caeremonias, prout ea omnia a ministris Ecclesiae catholicae exercentur dum Deo tribuunt cultum externum socialem seu publicum ipsi debitum. Quare, ad liturgiam pertinet consecratio et administratio sacramentorum, et speciatim celebratio sacrosancti Missae sacrificii, divini Officii cantus aut recitatio, etc.

In hac definitione, vox *ritus* supponit pro locutione, scil. verbis, precibus et orationibus; vox autem *caeremonia* significat actionem seu modum specialem quo verba et preces sunt recitandae. *Rubricae* denique normae sive leges dicuntur quibus hic cultus publicus Deo praestandus est. *Bouix*, De jure liturgico, *cap.* 1; *Soláns*, Manual litúrgico, *vol.* 1, *nn.* 1-2; *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 3, *n.* 314.

Vox *ritus* frequenter *liturgiam* integram significat; interdum etiam vocabula *ritus* ac *caeremoniae* in plurali tanquam synonima usurpantur.

216. **Divisio.** — In praesenti ritus in *orientales*, qui plures valdeque diversi sunt, et *occidentales* dividuntur. Ex occidentalibus, speciali mentione digni sunt *romanus*, qui fere exclusive in toto Occidente praevalet; *Ambrosianus*, qui juxta notitias a *Soláns*, l. c.,

vulgatas, in 672 paroeciis viget ex urbe et archidioecesi Mediolanensi, 40 ex dioecesi Bergomensi, 19 ex Novariensi, et 55 ex Administratione Apostolica Ticinensi in Helvetia; tandem, *mozarabicus*, qui fere exclusive Toleti viget.

Quinam sint orientales ritus, tradetur inferius, ubi de Congregatione pro Ecclesia orientali. Hic animadvertendum, omnes orientales ritus denominari conjunctim *ritum orientalem;* omnesque occidentales, *ritum latinum*, prout in praesenti canone 98 videre est.

217. **Ad quem ritum quisque pertineat.** — Quilibet ad eum ritum pertinet cujus caeremoniis baptizatus est, nisi forte a ministro diversi ritus baptizatus fuerit, sive fraudulenter, sive in casu gravis necessitatis, in quo deerat sacerdos proprii ritus, sive dispensatione apostolica ut in diverso ritu baptizaretur, dummodo ad proprium ritum adscriptus maneret (*can.* 98, § 1).

218. **Ritus mutatio.** — Nullus clericus quempiam inducere potest ut a latino ad orientalem, aut ab orientali ad latinum ritum transferatur (*Ibid.*, § 2).

Nec cuiquam licet sine venia Apostolicae Sedis ad alium ritum transire, aut post legitimum transitum ad pristinum reverti (*Ibid.*, § 3).

Excipitur mulier uxorata, nam haec, in matrimonio suscipiendo, vel jam suscepto, ad ritum mariti transire potest; soluto autem matrimonio, ad priorem ritum regredi potest, nisi jure particulari aliud cautum sit (*Ibid.*, § 4).

Consuetudo sacram communionem in alio ritu accipiendi, utut antiqua, ritus mutationem non inducit (*Ibid.*, § 5).

CAPUT VI

PERSONAE MORALES, EARUMQUE ACTUS

219. **Personae moralis notio ac divisio.** — In Ecclesia, praeter personas juridicas *physicas*, exstant personae juridicae *morales*, seu subjecta a potestate publica constituta cum capacitate jurium et officiorum seu obligationum. *Personae morales* possunt esse *collegiales*, ut, v. gr., ecclesia, seminarium, communitas religiosa; et *non collegiales*, v. gr. beneficium aliquod.

Dicuntur *collegiales*, si a variis personis physicis, quae velut corpus efformant, ipsae constituantur, repraesententur et administrentur; *non collegiales*, si in eis hujusmodi notae non concurrant.

Ecclesia catholica et Sedes Apostolica sunt personae juridicae morales ex divina institutione. Reliquae inferiores personae mora-

les, vel ex jure positivo humano rationem personae jam habent (ut dioeceses, seminaria, communitates regulares), vel ex concessione Superioris competentis, data per formale decretum ad fines religiosos (v. gr. confraternitates) eam accipiunt (*can.* 100, § 1).

220. **Constitutio**. — Persona moralis collegialis constitui non potest nisi ex tribus saltem personis physicis (*Ibid.*, § 2); poterit tamen, postquam jam constituta est, omnia jura sua conservare, etiamsi duae vel una tantum persona supersit (*can.* 102, § 2). Tres quidem personas sufficere ad collegium efformandum, vetus jam doctrina est, quam tradunt *Digesta*, *lib.* 50, *tit.* 16, de verb. signif., leg. 85, itemque canonistae. Cfr. *De Luca*, De canonicis, *disc.* 19, *n.* 19; *Wernz*, l. c., *vol.* 2, *n.* 770, *Ferreres*, Las cofradías, *n.* 99.

Similiter doctrina communis erat sufficere unam personam physicam ad jura personae moralis collegialis conservanda. Cfr. Paulum V, Brevi *Cum sicut*, 24 dec. 1617; *Wernz*, l. c., *vol.* 2, *n.* 770; *Ferreres*, l. c., *n.* 360.

221. **Minoribus aequiparantur**. — Quaelibet persona moralis minoribus aequiparatur (*can.* 100, § 3): ideoque beneficiis gaudet quae minoribus ex jure conceduntur, v. gr., restitutionis in integrum propter actus quibus laesae fuerunt, ut apparet can. 1687, 1688. Ratio est, quia, sicut minores reguntur et bona sua administrant *per alios* (tutores, curatores, etc.), ita personae morales reguntur et administrantur *per alias* personas physicas, a quibus laedi possunt, haud secus ac a tutoribus minores.

222. **Duratio**. — Persona moralis de se perpetua est, nec extinguitur nisi vel a legitima auctoritate supprimatur, vel per *centum* completos annos esse desierit (*can.* 102, § 1).

223. **Actus personarum moralium collegialium**. — Nisi aliter jure communi aut particulari cautum fuerit, in actibus personarum moralium collegialium, decisiones aut electiones fiunt *a*) juxta id quod, demptis suffragiis nullis, placuerit parti *absolute* majori eorum qui suffragium ferunt; *b*) aut parti *relative* majori in tertio scrutinio post duo inefficacia scrutinia; *c*) quod si in tertio paritas adsit inter eos qui plura suffragia adepti sunt, ad praesidem tunc rem dirimere spectat; aut, si de electione agitur, et praeses paritatem dirimere nolit, is electus habetur, qui senior est ordine, vel prima professione, vel aetate (*can.* 101, § 1, 1.°).

224. **Quinam horum actuum ab omnibus personis collegii sint approbandi**. — Quod omnes, ut personas singulares tangit, ab omnibus est approbandum (*Ibid.*, § 1, 2.°). Nempe, si agatur de re quae, non directe collegium ut corpus collegiale, sed singulorum collegialium jus particulare afficit, debet id ab omnibus et singulis unanimiter approbari, nec sufficit majoris numeri suffragiorum approbatio. Ita, ex. gr., electio praesidis corpus collegiale afficit, ideoque ad eam sufficit major numerus suffragiorum absolute vel

relative, juxta praedictam normam; jus vero ad electionem ipsam concurrendi proprio voto, negotium est quod electores singulos directe tangit. Si ergo de hoc jure cedere velint, ita ut in aliquos a se electos, qui *compromissarii* dicuntur, totum jus electionem illam faciendi transmittatur, requiritur ut omnes unanimiter in id conveniant, nemine discrepante: unus enim si discrepet, electio compromissarios designans, nulla est.

225. **Actus personarum moralium non collegialium**. — In actibus personarum moralium non collegialium, particularia statuta ac normae juris communis quae illas respiciunt, servanda sunt (*Ibid.*, § 2).

226. **De actibus personae physicae vel moralis, qui ex vi, metu aut ignorantia fiunt.** — I. Actus quos persona sive physica sive moralis ponit ex vi extrinseca absoluta, seu quae repelli non potest, sunt absolute irriti et nullius valoris (*can.* 103, § 1).

II. Actus positi ex **metu** gravi et injuste incusso, aut ex dolo, *valent*, sed possunt, ad normam *can.* 1684-1689, per judicis sententiam rescindi, sive ad petitionem partis lesae, sive ex officio (*Ibid.*, 103, § 2).

III. Actus ex **errore** positi, qui vel circa substantiam facti versetur, vel circa id quod requiritur ut conditio *sine qua non*, irriti et nulli sunt; nullus alius error ipsos irritos facit, nisi aliter in jure caveatur, sed in contractibus error locum dare potest actioni rescissoriae ad normam juris (*can.* 104).

227. — *Metus* dicitur trepidatio mentis ob aliquod periculum instans vel futurum sibi aut proxime conjunctis.

Si malum instans sit grave, ut mors, perpetuus carcer, etc., metus dicitur *gravis; absolute* autem *gravis* erit, si malum tale est ut etiam viro constanti timorem incuteret, et *respective gravis*, si gravis sit ei cui damnum imminet, v. gr., mulieri, puero, quamvis viro constanti gravis non esset.

Metus *injustus* dicitur, cum infertur a causa libera operante contra jus, v. gr., si pater illi qui filiam ipsius violaverit, nec eam uxorem ducere velit, mortem minitetur; *justus* autem, si operatio ex jure fit, v. gr., si in casu ei minitetur judicium criminale intentare.

228. — *Vis* dicitur coactio a causa extrinseca et libera, quae repelli non potest.

Dolus dicitur deliberata voluntas violandi legem (*can.* 2200), aut artificium seu machinatio qua, ad alterum decipiendum, aliquid fingitur, dum aliud fit.

CAPUT VII

SUPERIOR UBI ALIORUM CONSENSU AUT CONSILIO INDIGET

229. **Ad quid et quomodo hoc praescriptum obliget.** — Cum jus statuit Superiorem ad agendum indigere consensu vel consilio aliquarum personarum (v. gr. *can.* 103; 426, § 5; 1532, § 3) vel earum consilio (v. gr. *can.* 386, 388; 426, § 3; 428; 1532, § 2), vis praecepti talis est:

1.° Si consensus exigatur, Superior *valide* agere nequit nisi illum obtineat (*can.* 105, 1.°). Hic consensus, si quidem a pluribus personis requiratur, intelligitur a majore earum numero dandus, idque communiter per secreta suffragia.

Si tantum consilium exigatur, v. gr., ubi juris verba sunt *de consilio consultorum* vel *audito Capitulo, parocho*, etc., satis est et *requiritur* ad *valide* agendum, ut Superior talium personarum sententiam *exquirat* et audiat; attamen, postquam audierit, nulla obligatione tenetur *eam sequendi*, ejusque decisio *valida* erit etsi contra illam sententiam procedat, quamvis ea unanimiter prolata fuisset. Communiter tamen expedit ut suffragiis talium personarum concordibus multum tribuat; adeoque haud decet ab eisdem recedere, nisi in contrarium ratione suo judicio praevalenti moveatur (*Ibid.*).

230. **Modus quo consensus aut consilium requirendum aut dandum est.** — Si requiratur consensus vel consilium non unius tantum vel alterius personae, sed plurium simul, eae personae legitime convocandae sunt, ut mentem suam manifestent (*Ibid.*, 2.°). Defectus convocationis actum non facit irritum, si praetermissi de facto assistant et sententiam suam proferant; si tamen nec vocentur nec assistant, actus erit vel nullus vel revocabilis (*can.* 162).

Superior, pro sua prudentia ac negotiorum gravitate, eas personas ad jusjurandum de secreto circa communicata aut communicanda servando, adigere potest (*Ibid.*). Aliunde, ea quae ipsis sic communicantur, rationem induunt secreti commissi seu professionalis, quod ex justitia obligat.

Quod ad ipsos attinet, omnes illi quorum consensus aut consilium exigitur, ea qua par est reverentia, fidelitate et sinceritate sententiam suam aperire debent (*Ibid.*, 3.°).

231. **Cur haec obligatio imponitur.** — Ratio autem cur in jure obligatio aliorum consensum vel saltem consilium exquirendi Superioribus in jure imponatur, est negotiorum quorumdam gravitas aut difficultas, maxime ubi ex errore damnum in alias personas physicas aut morales redundare posset.

CAPUT VIII

PERSONAE RATIONE PRAECEDENTIAE

232. **Notio.** — *Praecedentia* dicitur jus potiorem locum occupandi.

233. **Normae.** — Normae praecedentiae generales pro personis physicis et moralibus, praeter speciales alias (1) pro casibus peculiaribus (v. gr., *can.* 701), hae sunt:

1.ª Qui alterius personam gerit, praecedentiam illi respondentem obtinet; excipiuntur Concilia et similes alii coetus, in quibus procurator nomine alterius sedet post omnes eos qui ejusdem gradus sunt et assistunt nomine proprio.

2.ª Qui in personas physicas vel morales potestatem habet, praecedentiam supra ipsas obtinet.

3.ª Inter diversas personas ecclesiasticas, quarum nulla in alias auctoritatem habeat, illae quae ad superiorem gradum jurisdictionis pertinent, praecedunt iis quae inferioris gradus sunt; si ejusdem gradus sunt, at ordinis diversi, qui altiorem ordinem tenet praecedit iis qui tenent inferiorem; si eumdem gradum et eumdem ordinem habent, is praecedit qui prius ad gradum promotus est; si eodem tempore promoti sint, is qui prius ordinatus fuit, nisi alter a Romano Pontifice ordinem acceperit; si omnes eodem tempore ordinati sint, praecedit senior aetate.

4.ª In praecedentia diversitas ritus non attenditur.

5.ª Inter varias personas *morales* ejusdem speciei et gradus (v. gr., duae aut plures confraternitates), ea praecedit quae est in pacifica possessione juris praecedentiae; quod si de hoc non constet, ea quae prius in loco, ubi quaestio est, instituta fuit.

Inter plures personas physicas alicujus collegii (v. gr., inter canonicos ejusdem Capituli), jus praecedentiae definietur ex propriis legitimis statutis; secus, ex legitima consuetudine; hac vero deficiente, ex jure communi.

6.ª Ad Ordinarium loci pertinet statuere praecedentias in dioecesi inter suos subditos, ratione habita principiorum juris communis, legitimarum dioecesis consuetudinum, et munerum ipsis commissorum (*can.* 106).

234. **Quaestionum urgentiorum solutio provisoria.** — Ad Or-

(1) V. gr. in Hispania, ex peculiari jure concordato, cum Episcopus tribunali pro canonicatu providendo per oppositionem personaliter non praeest, canonicum alium designat qui suo nomine tribunali intersit: tunc vero tribunalis praeses, non ille canonicus (ut ex regula 1.ª sequeretur), sed Capituli Decanus est, ut infra dicetur.

dinarium etiam spectat controversias de praecedentia exortas, quae dilationem non patiantur, componere: idque, licet quaestio sit inter personas exemptas quae cum aliis collegialiter procedant (v. gr., si duplex communitas religiosa diversorum Ordinum regularium processioni intersit). Resolutio autem erit sine praejudicio juris uniuscujusque et remota appellatione *in suspensivo*: scilicet, ita ut pro illo actu resolutioni Praelati stare teneantur, possint tamen postea ad potestatem superiorem recurrere ad conquerendum, vel ad declarationem sui juris postulandam (*Ibid.*, 6.°).

N. B. Praecedentia in Palatio Apostolico privilegiis, regulis et traditionibus peculiaribus regitur (*Ibid.*, 7.°).

CAPUT IX

PERSONARUM DIVISIO FUNDAMENTALIS IN CLERICOS ET LAICOS

235. **Primaria divisio.** — Personae in Ecclesia in clericos et laicos dividuntur (*can.* 107): clerici duplicem hierarchiam ordinis et jurisdictionis constituunt, et ad ipsos spectat jus et officium docendi, regendi, gubernandi: ad laicos autem jus et officium discendi, obediendi, spiritualem directionem accipiendi, etc.

236. **Haec divisio est juris divini.** — Haec divisio ex institutione divina procedit (*Ibid.*). Idque, licet non omnes clerici sint divinae institutionis, siquidem subdiaconatus, minores ordines et tonsura sunt institutionis ecclesiasticae. Distinctionem inter clericos et laicos esse ex institutione divina, constat historice ex Sacra Scriptura (*Act.*, XIII, 2; XX, 28 *seq.*, etc.); dogmatice autem de fide a Tridentino definitum est (*Sess.* 23, *can.* 6, de Sacra ord.: «Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris, anathema sit.»

237. — Tum clerici, tum laici, *religiosi* esse possunt. Hinc divisio libri hujus in tres partes, ut supra notatum est, *n.* 198.

PARS I

De clericis

SECTIO I

DE CLERICIS IN GENERE

TITULUS PRAEVIUS

Quinam sint clerici, et quid hoc nomine "hierarchia ecclesiastica" significetur

238. **Quinam sint clerici.** — *Clerici* dicuntur ii qui divinis ministeriis per primam saltem tonsuram applicati sunt (*can.* 108, § 1). Non sunt omnes in eodem gradu, sed inter eos sacra hierarchia est, in qua alii aliis subordinantur. Ut evidens est, vox *clericus* ponitur hic in amplissima sua acceptione, qua a Pontifice Summo usque ad simplicem fidelem ad primam tonsuram promotum protenditur.

239. **Quid nomine hierarchiae ecclesiasticae significetur.** — Vox hierarchia oritur ex graeco idiomate et sonat *sacrum principatum*, quare *ecclesiastica hierarchia* est sacer principatus in Ecclesia constitutus.

Definiri potest: facultas Apostolis et legitimis eorum successoribus collata ad regendam Ecclesiam, et ad divina mysteria religionis christianae in ea celebranda et fidelibus distribuenda.

Objective significat integram potestatem ecclesiasticam, quatenus haec a diversis personis in diversis locis participatur; subjective, complexum personarum quibus certo ordine et gradibus inter se subordinatis praedicta potestas competit.

240. **Hierarchia duplex.** — Hierarchia duplex est, altera *ordinis*, altera *jurisdictionis:* utraque autem est institutionis divinae. Hierarchia ordinis constat episcopis, presbyteris et ministris; hierarchia vero jurisdictionis, Summo Pontificatu et Episcopatu, qui ei subordinatur. In utraque hierarchia exstant alii gradus institutionis ecclesiasticae (*Ibid.*, § 3), ex. gr.: in hierarchia jurisdictio-

nis, Cardinales, Patriarchae, Primatus, Archiepiscopi, Vicarii Capitulares, Vicarii Apostolici, etc.; in hierarchia autem ordinis, subdiaconi, clerici minorum ordinum, etc.

241. **Quaenam hierarchia ordinis, quaenam vero jurisdictionis sit.** — Juxta duplicem potestatem ordinis et jurisdictionis, duplex est item hierarchia.

Potestas ordinis natura sua ad hominum sanctificationem et salvationem, per exercitium divini cultus publici, praesertim in sacrosancto Missae sacrificio et sacramentorum administratione, directe ordinatur.

Potestas jurisdictionis est potestas publica *regendi* personas baptizatas, ita ut ad propriam sanctificationem et aeternam salutem dirigantur.

Itaque, hierarchia ordinis, subjective spectata, est series personarum quibus potestas ordinis in diversis suis gradibus competit; potestas autem jurisdictionis est series personarum quibus competit potestas jurisdictionis, in diversos suos gradus distributa.

242. **Utriusque distinctio.** — Hujusmodi hierarchiae inter se differunt, potest enim quis ad unam pertinere quin ad alteram pertineat. Ita, Episcopus titularis est in suprema potestate ordinis, et nullam habet jurisdictionem. Si clericus primae tonsurae Pontifex fieret, in instanti quo electionem acceptat, haberet supremum gradum in potestate jurisdictionis, infimum vero in potestate ordinis.

243. — Supremus pontificatus est qui unice suprema et plena potestate gaudet in totam Ecclesiam, unde Ecclesia monarchiae naturam habet; Episcopi potestatem jurisdictionis tantum in certa sphaera et gradu diverso participant, et in exsecutione Supremo Pastori subordinantur, quae omnia ordinatione divina fiunt, atque inde hierarchica forma in Ecclesiam derivatur.

244. **Quo pacto in hierarchiam ecclesiasticam quis ingrediatur.** — Ingressus in ecclesiasticam hierarchiam non fit consensu populi aut alterius saecularis potestatis, sed per sacram ordinationem fidelis in hierarchiam ordinis introducitur; in hierarchiam vero jurisdictionis, ad gradum supremum, qui Summus Pontificatus est, jure divino pervenitur, expleta conditione electionis legitimae, ejusdemque acceptationis; ad ceteros gradus missione canonica (*can.* 109), scilicet, mandato competentis auctoritatis.

245. **Quinam in jure nomine Praelatorum vocentur.** — Clerici, sive saeculares, sive regulares, qui ordinariam jurisdictionem in foro externo exercent, nomine proprio Praelati dicuntur (*can.* 110). Tales sunt Papa, Cardinales, Episcopi, Vicarii Generales, Vicarii Capitulares, Vicarii et Praefectus Apostolici, Ordinum religiosorum Generales, Provinciales, etc.

Ex privilegio apostolico nonnulli clerici titulo tantummodo honorifico Praelatorum donantur, at sine ulla jurisdictione (*Ibid.*).

TITULUS I

De clericorum adscriptione seu incardinatione alicui dioecesi

246. **Incardinationis necessitas.** — Quilibet clericus alicui dioecesi aut alicui religioni adscriptus esse debet, ita ut clerici *vagi* nullatenus admittantur (*can.* 111, § 1).

Ratio est, quia clerici nonnisi ob necessitatem aut utilitatem servitii ecclesiastici instituendi sunt, ideoque, jam a primis Ecclesiae saeculis prohibitae sunt ordinationes *absolutae* (1) seu tales ut ordinatus non adscriberetur et obnoxius fieret servitio alicujus ecclesiae aut dioeceseos determinatae. Cfr. *Card. Gasparri*, De sacra ordinatione, *n.* 584 *seq.*; *Many*, Praelect. de sacra ordinatione, *n.* 130 *seq.*

Per receptionem primae tonsurae clericus *incardinatur* dioecesi pro cujus servitio promotus fuit (*can.* 111, § 2).

247. **Incardinationis mutatio.** — Rarissime primis saeculis hujusmodi mutatio permittebatur. Hodie tamen ea subinde fit.

Modus eam faciendi. — *a*) Communis modus quo clericus alienae dioecesi valide incardinetur is est, ut a proprio Ordinario et ab Ordinario alienae dioecesis litteras respective obtineat excardinationis et incardinationis perpetuae et absolutae, a singulis Ordinariis respective etiam subscriptas (*can.* 112). Vicarius Generalis incardinationem aut excardinationem sine mandato speciali concedere nequit; nec eas item dare potest Vicarius Capitularis, nisi hac duplici conditione: 1.ª sedem jam ab anno vacantem esse, 2.ª Capituli consensum ad id obtentum fuisse (*can.* 113).

b) Alter incardinationis modus est obtentio beneficii residentialis in aliena dioecesi, dummodo ad id consensus concurrat proprii Ordinarii *in scriptis* datus, vel licentia ab eodem in scriptis concessa e dioecesi discedendi in perpetuum (*can.* 114).

248. **Causae ad excardinationem necessariae.** — Excardinatio fieri nequit sine justis causis, et effectum non sortitur nisi ab instanti quo incardinatio fit in alia dioecesi, cujus Ordinarius de eadem priorem Ordinarium quantocius certiorem reddere debet (*can.* 116). Causae justae esse possunt necessitas quam dioecesis admittens habet ministerii illius qui incardinationem postulat, vel utilitas inde exspectata: minor utilitas vel necessitas in dioecesi dimittente; infirma valetudo, quae mutatione confirmanda censetur, etc.

---

(1) Cfr. *can.* 15 Conc. Nicaen.; *can.* 6 Conc. Chalcedon.

249. **Causae ad incardinationem.** — Nemo ex Ordinariis clericum alienae dioecesis incardinare potest nisi hae conditiones adsint: 1.ª Ut necessitas aut utilitas dioecesis id exigat, et ea quae de titulo ordinationis praescribuntur, in casu serventur (1).

2.ª Constet ei ex legitimo documento de obtenta legitima excardinatione, et a Curia dimittente, sub secreto, si opus sit, opportuna habeat testimonia de clerici natalibus, vita, moribus ac studiis, maxime si agatur de incardinandis clericis diversae linguae et nationis. Ordinarius autem dimittens *sub gravi* advigilare debet ut testimonia sint veritati conformia.

3.ª Clericus coram Ordinario aut ejus delegato jurare debet se in perpetuum velle addici servitio novae suae dioecesis (*can.* 117).

250. **Religiosi ratione excardinationis aut incardinationis.** — Per religiosam professionem, sive votorum solemnium, sive simplicium, dummodo vota sint *perpetua*, religiosus *ipso facto* excardinatur a propria dioecesi (*can.* 115, 585).

Si religiosus *in sacris* ordinatus qui dioecesim per professionem amisit, legitime e religione egrediatur, a quovis Episcopo in sua dioecesi recipi potest, ita ut in illa ministeria propria exerceat. Si Episcopus eum pure et simpliciter recipit, religiosus eo ipso dioecesi *incardinatur*. Si autem pro experimento ad tres annos ipsum recipiat, potest probationem per aliud triennium postea prorogare, non tamen ulterius; quod si post secundum triennium eum non dimiserit, ipso facto dioecesi religiosus incardinatur (*can.* 641, § 2). Vide inferius tit. XV hujus libri et in eo can. 641.

TITULUS II

De clericorum juribus et privilegiis

CAPUT I

DE POTESTATE CLERICIS EXCLUSIVE ATTRIBUTA AC DE PRIVILEGIO CANONIS

251. **Potestas clericis exclusive attributa.** — Soli clerici capaces sunt obtinendi potestatem, sive ordinis, sive jurisdictionis

(1) De necessitate tituli ordinationis dicetur *lib.* III, *tit.* VI, *cap.* II, *art.* 1.

ecclesiasticae; itemque beneficia et pensiones ecclesiasticas (*can.* 118).

Id intelligendum, quantum ad jurisdictionis potestatem pertinet, ex jure communi; neque enim dubium est posse Pontificem, de potestatis suae plenitudine, concedere ut laicus aliquis jurisdictionem ecclesiasticam exerceat, imo ut eam exerceat mulier, ut de facto in Hispania pluribus saeculis Abbatisa Huelgarum (Burgos) eam exercuit.

252. **Privilegium canonis.** — Omnes fideles debent clericis, pro diversis eorum gradibus et muneribus, reverentiam. Si autem eis *realem* injuriam inferant, sacrilegium incurrunt (*can.* 119); ad quod verbis prolatae injuriae non sufficiunt. Injuria *realis* seu facti aderit, si quis in clericum manus violentas injiciat, si contra jus eum detineat aut in carcerem mittat; si eum animo injuste feriendi, occidendi aut ducendi in carcerem persequatur; si, non obtenta debita licentia, ut reum ipsum laicis tribunalibus sistat, etc.; si quemlibet alium externum actum personae illius injuriosum et violentum exerceat. Ejusdem delicti rei sunt qui tales actiones fieri jubent, qui, cum possint et debeant, non impediunt, etc. (*can.* 2209).

253. — In canone 119, quem nunc declaramus, et in duobus sequentibus, 120 et 121, agitur de materia immunitatis personalis clericorum.

Hoc autem privilegium (*can.* 119) jam inde antiquitus nomine *privilegii canonis* notum est, et in Decreto Gratiani traditur celebri canone cujus prima verba sunt: *Si quis, suadente diabolo* (*can.* 17, *q.* 4, *c.* 29). Sacrilegis violatoribus hujus privilegii jam inibi Innocentius II (1130-1143) in concilio Oecumenico Lateranensi (anno 1139) poenam excommunicationis Papae reservatam imponit. Eadem poena in Constitutione Pii IX *Apostolicae Sedis*, serie II, *n.* 2, conservata est. Noster Codex, ut libro V declarabitur, poenam excommunicationis, et insuper alias diversas juxta diversos casus, infligit.

Fundatur autem hoc privilegium in natura sacra status clericorum; et sicut civilis Status poenis temporalibus injurias suis civibus factas, maxime si auctoritate polleant, vindicandas censet; ita Ecclesia poenis spiritualibus injurias suis ministris illatas punit.

254. — Ab initio jam hoc privilegium sicut etiam sequens, non solum clericos, sed religiosos etiam comprehendit, ut *n.* 264 dicetur.

CAPUT II

DE PRIVILEGIO FORI

ARTICULUS I

DE NATURA HUJUS PRIVILEGII

255.—Clerici in omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus, nonnisi apud judicem ecclesiasticum conveniri possunt, non vero apud laica tribunalia (sive civilia sive militaria), nisi aliter pro locis particularibus legitime provisum fuerit (*can.* 120, § 1), prout de facto, vi Concordatorum, nonnullis Americae latinae nationibus concessum est (1).

Verba canonis de solo casu conveniendi clericum ut reum agere videndur, non autem de casu quo ut testis idem citetur.

Contentiosae illae causae dicuntur in quibus debiti solutio, vel ut sarciantur damna, postulatur, etc.; *criminales* vero, in quibus poenae inflictio postulatur.

Ad clericum in tribunali laico conveniendum, requiritur, juxta canones, licentia Summi Pontificis, aut Ordinarii loci in quo causa peragitur (*Ibid.*, § 2).

256.—Sedis Apostolicae licentia requiritur ad conveniendos Cardinales, Legatos Romani Pontificis, Episcopos licet tantum titulares sint; Abbates vel Praelatos *nullius*, Superiores majores Ordinum religiosorum, Officiales majores Curiae Romanae in negotiis sui muneris propriis. Pro ceteris privilegio fori gaudentibus sufficit Ordinarii loci venia. Ipse autem licentiam sine gravi et justa causa negare non debet, praesertim cum actor est laicus, tum maxime cum controversiae inter partes componendae frustra operam dederit (*Ibid.*, § 2).

257.—Vicissim ii qui foro gaudent, si non obtenta debita licentia vocati fuerint, comparere possunt ratione necessitatis et ad vitanda majora mala, certiore tamen facto Superiore a quo venia obtinenda erat, et obtenta non fuit (*Ibid.*, § 3).

---

(1) Cfr. Concordata Costae Ricae, *a.* 13-15, 25; Columbiae, Addititia Conventio (anno 1892) *a.* 1-14; Guatemalae, *a.* 14-16, 26; Aequatoris (*a.* 1881), *a.* 7-9, 23; Hondurense, *a.* 14-16, 26; Nicaraguae, *a.* 13-15, 25; Sti. Salvatoris, *a.* 13-15, 25; Venezuelae, *a.* 19, 20, 29. Vid. nostrum Comp. Theol. moral., *vol.* 2, Append. in fine.

ARTICULUS II

QUAE SIT FORI ECCLESIASTICI ET CETERARUM IMMUNITATUM RATIO

258. — Ratio hujus immunitatis ecclesiasticae est, quia Ecclesia, utpote perfecta societas, et in sua sphaera a saeculari potestate independens (*nn.* 40-44), propria tribunalia habet, quibus personae ecclesiasticae judicio conveniendae sunt; ideoque, clerici a saecularibus tribunalibus eximuntur, potiore quidem ratione quam ea quae pro viris militaribus viget ut foro militari, non autem civilibus tribunalibus sint obnoxii.

Praeterea, generale hoc principium semper viguit, actorem rei forum sequi teneri, id est, forum ejus quem convenire vult. Cfr. *lib.* III Cod., *tit.* 19, *l.* 3; Decretum Grat., *caus.* 11, *q.* 1, *c.* 16.

259. — Immunitas haec, sicut et ceterae, tanquam ultimo fundamento, innititur juri divino, quo Pontifici necessaria potestas ad aptum regimen et gubernationem Ecclesiae data est, et consequenter ad ea decernenda quae opus erant ut clerici reverentia statui eorum debita exciperentur. Immediate autem innititur juri canonico, ad Ecclesiam enim pertinet in singulis casibus, perpensis adjunctis, determinare quousque immunitas extendi debet, et etiam quid auctoritati saeculari concedi potest (1).

260. — Idcirco Tridentinum Concilium, *sess.* 25, *c.* 20 de ref., ait: «Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitatem **Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam**.»

In *Syllabo* autem damnantur propositiones 30 et 31, quae asserunt immunitatem ecclesiasticam juri civili deberi, et privilegium fori sine Sanctae etiam Sedis consilio, imo ipsa reclamante, supprimendum esse.

261. — Adeo item rationi consona haec immunitas est, ut eam tam jus civile romanum, quam jura nationum quae ex romani imperii ruinis efformatae sunt, illam recognoverint.

De jure romano tempore imperatoris Constantini, vid. *Sozomenum,* Hist. eccles., *lib.* 1, *c.* 9, *n.* 5. Cfr. *Kirch,* Enchiridion Fontium Hist. eccles., *n.* 840. Cfr. item ibid., *n.* 747.

Notandae pariter sunt leges 13 (Majorini) et 29 (Justiniani), Cod., *lib.* 1, *tit.* IV (*vol.* 2, *pag.* 42, 54 cit. ed.), et *Novellae* 79, 83 et 123 ipsius Justiniani (*pag.* 572, 576, 611 *seq.*).

De nationibus e ruinis imperii romani exortis, vid. Capitularem Caroli Magni anni 789, *lib.* 1, *c.* 38 (*cap.* 37 apud *Mansi,* edit. Paris 1902, *tom.* 17 bis, *col.* 227), et Const. imperatoris Friderici II, anno 1220 datam, quae incipit *In die,* quae quidem § 4 sic ait.: «Item statuimus ut nullus ecclesiasticam personam in criminali quaestione vel civili trahere ad judicium saeculare

(1) *Schmalzgrueber, lib.* 2, *tit.* 2, *n.* 98; *Wernz,* Jus Decretal., *vol.* 5, *n.* 291 *seq.*; *Cavagnis,* Inst. jur. publ. eccles., *vol.* 2, *lib.* 3, *c.* 5, *art.* 2, *n.* 162 *seq.* (Romae, 1906); *Lega,* De judiciis eccles., *vol.* 1, *n.* 327 *seq.* (*pag.* 356 *seq.*).

praesumat, contra constitutiones imperiales et canonicas sanctiones. Quod si fecerit, actor a jure suo cadat, et judicatum non teneat, et judex sit ex tunc judicandi potestate privatus. Statuimus enim, ut si quis clericis vel personis ecclesiasticis justitiam denegare praesumpserit, tertio requisitus suam jurisdictionem amittat.» Edit. cit., *vol.* 2, *pag.* 744.

Ecclesia pro sua parte immunitatem statuere non cessavit, tum in Conciliis, tum in Decretalibus Pontificum, tum in Corpore Juris canonici.

Id videre est *can.* 5 concilii Vasensis, in provincia ecclesiastica Arelatensi (ann. 442: *Mansi, vol.* 6, *col.* 454); *can.* item 20 Conc. IV Aurelianen. (ann. 541: *Mansi, vol.* 9, *col.* 116); *can.* 17 Conc. V (ann. 549: *Mansi, vol.* 9, *col.* 133); *can.* 1 Conc. I Lugdunen. (ann. 567: *Mansi, vol.* 9, *col.* 786); *can.* 7 et 8 Conc. Matisconen. I (ann. 581: *Mansi, vol.* 9, *col.* 933), et Matisconen. II, *can.* 9, 10, 12 (ann. 585: *Mansi, vol.* 9, *col.* 954); *can.* 6, 18 Conc. Rhemen. (ann. 625 aut 630: *Mansi, vol.* 10, *col.* 594, 597).

Videri item possunt, ex. gr., in Decr. Grat., *caus.* 11, *q.* 1, *can.* 26 Innocentii I (ann. 404: *Jaffé, n.* 85); *can.* 12 et 13 Gelasii Papae (ann. 494, 495: *Jaffé, n.* 432); *c.* 15 Pelagii I (ann. 555, 560: *Jaffé, n.* 637); *can.* 38, 39, 40 Gregorii I (ann. 594, 601, 604: *Jaffé, nn.* 933, 1388, 1530).

In Decretalibus Gregorii IX, vid. *cap.* 4, 8, 10, 17, *lib.* 2, *tit.* I, et *tit.* 2 per totum, praesertim *cc.* 1, 2, 9, 12, 13.

Excommunicatio quam juxta Codicem (*can.* 234) incurrunt pluries hujus immunitatis violatores adumbrata videtur his verbis *can.* 14 Conc. Later. III (ann. 1179): «Sane quia laici quidam ecclesiasticas personas et ipsos Episcopos judicio suo stare compellunt, eos, qui de cetero id praesumpserint, a communione fidelium decernimus segregandos.» *Mansi,* Ampliss. Coll. Conc., *vol.* 22, *col.* 226.

262. — Hinc Ecclesia non intendit delicta clericorum, si ea committant, impunita relinqui, aut aliquorum juribus aut officiis damnum afferri, sed ut ea quae facienda sunt, ad normam canonum fiant.

A recentioribus quidem Guberniis hoc Ecclesiae jus negligi solet; attamen quamvis a terrenis potestatibus parvi fiat, haud ideo quidquam de ejus legitimitate decedit: et quoniam Ecclesia mediis temporalibus caret, ideo ad illud tuendum armis spiritualibus utitur, quae in conspectu Dei et in aestimatione virorum prudentium fortiores temporalibus sunt.

ARTICULUS III

AUCTORITATIS ECCLESIASTICAE LICENTIA

263. — Neque praedictis opponi potest fideles inde saepius a jure suo prosequendo impediri, quia tribunalia ecclesiastica ipsorum actionem, metu civilium legum, non admittent, et ad tribunalia laica, ob excommunionem impositam, recurrere nequeunt. Verum id non ita est, Ecclesia enim tantum jubet ut, memores sui catholicorum status, et juribus sanctae suae Matris fideles, ab ea veniam impetrent ut ad laica tribunalia, stantibus adjunctis ex adversa potestatum saecularium voluntate, recurrere possint.

Quo facto, auctoritas ecclesiastica prospiciet an inter actorem

et clericum pacifica ut inter amicos fieri possit compositio, quae profecto longe plus valet qualibet victoria litis; quod si id non obtineat, veniam tribuet ut apud judicem saecularem seu laicum actor jus suum prosequatur, quin ideo poenam ullam ecclesiasticam incurrat.

ARTICULUS IV

QUINAM FORO ECCLESIASTICO GAUDEANT

264. — Tum in veteri, tum in recentiore disciplina hoc fori, itemque altero canonis privilegio gaudent, non solum omnes clerici, etiam ad primam clericalem tonsuram promoti; sed insuper religiosi et religiosae, etiam qui tantum sensu lato tales sunt, non exclusis conversis seu laicis nec novitiis, et quamquam ad dioecesanum aliquod institutum pertineant (*can.* 120, 614, 680). Cfr. *Reiffenstuel*, *lib.* 3, *tit.* 1, *n.* 25; *Piat*, Comm. in Const. *Apostolicae Sedis*, h. l.; *Card. D'Annibale*, *vol.* 1, *n.* 365; *Lega*, De judiciis, *vol.* 1, *n.* 328, *pag.* 358, ed. 1.ª

Si quis ad effugienda laica tribunalia ob obligationes jam antea contractas vel crimina antea perpetrata, clericalem statum assumpsisset, tali privilegio fori ecclesiastici non frueretur (*Trid.*, *sess.* 23, *c.* 4); ideoque, qui eum, non impetrata licentia, apud judicem laicum, de talibus debitis aut delictis conveniret, hoc privilegium non violaret.

265. — Quamvis aliqua persona ecclesiastica sponte privilegio fori renuntiaret, et alteri facultatem concederet qua se in judicio laicorum convenire posset, violatio eadem esset; cum enim privilegium hoc in favorem status ecclesiastici, non autem in favorem personae concessum sit, valide ei renuntiari nequit. Vide infra *n.* 275, et *can.* 123 ibi allegatum. Cf. *Decretal.*, *lib.* 2, *tit.* 2, *c.* 12; *Lega*, De judiciis, *vol.* 1, *n.* 333.

Sunt tamen casus quibus praedictae ecclesiasticae personae privilegium fori ecclesiastici amittere possunt; et tunc, si de facto id amiserint, sine censura poterit quis eas ad judicem laicum trahere, non enim tunc obstant canonicae sanctiones, sed id facere permittunt.

ARTICULUS V

QUIBUS IN NATIONIBUS REQUIRITUR LICENTIA, ET IN QUIBUS ALIIS EAM CONCORDATUM CONCEDIT

266. — Nonnullae nationes sunt in quibus Summus Pontifex per Concordatum concessit ut in tribunalibus laicis causae civiles cle-

ricorum, imo et criminales (certis exceptionibus servatis), tractari possint. prout constat ex articulis 14 et 15 Concordatorum Costae Ricae, Nicaraguae et Sancti Salvatoris, ex art. 15 et 16 Concordatorum Guatemalae et Honduras, ex art. 8 Concord. Aequatoris, et ex Conventione addititia Colombiae. In his casibus, excommunicatio non incurritur, quia per Concordatum adest jam generalis licentia potestatis ecclesiasticae. Cfr. *Gury-Ferreres, vol.* 2, *app.* VIII.

At in Hispania et in ceteris Americae latinae nationibus, sicut etiam in omnibus fere reliquis totius mundi, licentia praedicta, sub poenis canonicis, requiritur.

267. — In Hispania, forum ecclesiasticum, ad personalem immunitatem quod attinet, regio decreto 6 decembris 1868 ablatum est, ita ut tribunalibus ecclesiasticis causae tantum sacramentales, beneficiales et de delictis ecclesiasticis, itemque causae divortii et nullitatis matrimonii, dijudicandae relinquerentur.

En verba praedicti decreti:

TÍTULO I. — De la refundición de los fueros especiales en el ordinario

Art. 1.° Desde la publicación del presente Decreto, la jurisdicción ordinaria será la única competente para conocer:

1.° De los negocios civiles y causas criminales por delitos comunes de los eclesiásticos, sin perjuicio de que el Gobierno español concuerde en su día con la Santa Sede lo que ambas potestades crean conveniente sobre el particular...

TÍTULO II. — De la jurisdicción eclesiástica

Art. 2.° Los tribunales eclesiásticos continuarán conociendo de las causas sacramentales, beneficiales y de los delitos eclesiásticos, con arreglo a lo que disponen los sagrados cánones.

También será de su competencia el conocer de las causas de divorcio y nulidad del matrimonio, según lo prevenido en el Santo Concilio de Trento; pero las incidencias respecto del depósito de la mujer casada, alimentos, *litis expensas* y demás asuntos temporales, corresponderán al conocimiento de la jurisdicción ordinaria. Cfr. *Alcubilla; Pellicer y Guiu,* Derecho civil, *tomo* I, *pág.* 414 *sig.*

Quamvis autem art. 1.us tituli 1.i voluntatem rem cum Apostolica Sede concordandi innuere videatur, concordata nihilominus non est; imo Concordatum anni 1851 expresse in art. 43 ait: «Cetera ad res et personas ecclesiasticas pertinentia, super quibus provisum non est articulis praecedentibus, dirigentur omnia et administrabuntur juxta canonice vigentem Ecclesiae disciplinam.»

268. — Igitur, hujusmodi derogatio, utpote a potestate incompetente, inconsulta Apostolica Sede, facta, omnino invalida est; et apud catholicos jus ecclesiastici fori viget et in conscientia obligat, sicut ante praedictum decretum.

In quibusdam casibus non constabit utrum consuetudo legitime privilegium fori ecclesiastici derogaverit necne, quoniam veteres leges nonnullas exceptiones admittebant, contra quas Ecclesiam reclamasse non constat.

Vide *Salazar-La Fuente,* Discipl. eccles., *vol.* 1, *lect.* 36, *n.* 11; *Manjón,* Der. eclesiást., *vol.* 2, *n.* 117; *Villada,* Casus, *vol.* 2, *art.* 3, *cas.* 1 (*pag.* 326); Reclamaciones legales, *pag.* 132 *seq.,* ed. 2.ª; *Wernz,* l. c.

CAPUT III

EXEMPTIO A SERVITIO MILITARIS ET AB ALIIS PUBLICIS OFFICIIS

269. — Omnes clerici exempti sunt *a)* a servitio militari, et *b)* a civilibus officiis et muniis quae a statu clericali sunt aliena (*can.* 121), ut judicis, magistratus municipii, gubernatoris civilis, tutoris, curatoris, etc.

Ad clericorum munus ex natura rei et voluntate divina pertinet ut servitio Dei et animarum saluti incumbant; et ob hanc causam Ecclesia ipsos ab omnibus iis occupationibus saecularibus removere satagit, quibus ab officio propriae vocationis impediri possent, in detrimentum finis ad quem obtinendum statui clericali adscripti sunt. Jam S. Paulus Apostolus ad discipulum suum Timotheum scribebat: «Labora sicut bonus miles Christi Jesu. Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat cui se probavit» (2.ª Tim., II, 3, 4). Ipsae leges civiles hujusmodi privilegia recognoscunt. Cfr. Cod. Theodos., *l.* 16, *tit.* 2, *lib.* 7 et *tit.* 3, *l.* 26. Vide *Cavagnis.* l. c.; *vol.* 2, *pag.* 332, *n.* 173 *seq.*; *vol.* 3, *pag.* 99 *seq.*, *n.* 172 *seq.*; *Wernz,* l. c., *vol.* 2, *n.* 166 *seq.*

270. — Et speciatim ut aliena a statu clericali aestimata est armorum tractatio, siquidem eorum vocatio pacis est, non autem belli aut violentiae. Praeterea, a propria professione clericos abducere, eosque in exercitum trahere, nihil aliud est nisi eorum officia et munia perturbare, et ecclesiastico ministerio, quod inter cetera summum et summi momenti est, damnum inferre. Quibus addendum est vitam in militaribus contuberniis, multo autem magis in castris, gravissime clericorum spiritui et educationi nocere, summo vocationis eorum, et consequenter, Ecclesiae etiam et societatis catholicae damno.

271. — Nequidem sine Summi Pontificis interventu et approbatione licet leges ferre quibus clerici in exercitum inducantur ut ibi ministeriis spiritualibus aut charitatis operibus assistant. Haec cura potestati ecclesiasticae, cujus est propria, relinquenda est; quae quidem servitio spirituali pro exercitu utili vel necessario providebit, ita tamen ut personae ad hoc missae tales sint, quae aliis prodesse ob idoneitatem, sibi autem a periculis ob prudentiam et experientiam securius cavere possint; ita etiam ut simul detrimenta servitii dioecesium et paroeciarum, quantum fieri possit, vitentur.

Nullum majus servitium Statui catholico clerici praestare possunt, quam si ministeriis suae vocationis et spiritus dediti, et a rebus quae ipsos inde abstrahunt remoti vivant.

In prop. 32 *Syllabi*, Pius IX doctrinam eorum qui clericos servitio militari obnoxios esse volunt, damnavit. En propositio inibi damnata: «Absque ulla naturalis juris et aequitatis violatione potest abrogari personalis immunitas qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae eximuntur: hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta.»

272. — Ecclesia non tantum prohibet ut clericis contra eorum voluntatem imponatur servitium militare aut praedicta publica officia; sed ipsis etiam clericis prohibet ne talia munia sponte amplectantur; ut titulo proxime sequenti, praesertim *nn.* 296 *seq.*, videbitur. Utriusque hujus prohibitionis fundamentum est illud quod jam propositum est, scil., quia statui et professioni ecclesiasticorum hujusmodi occupationes contrariae sunt.

CAPUT IV

BENEFICIUM COMPETENTIAE

273. — Ad clericos etiam pertinet beneficium competentiae, juxta quod, etiamsi debitis opprimantur, et creditoribus bona eorum ad solutionem obnoxia sint, ipsis tamen reservandum est quantum ad honestam eorum sustentationem, prudenti arbitrio judicis ecclesiastici, necessarium sit, perseverante tamen obligatione creditoribus satisfaciendi quantocius possint (*can.* 122).

274. — In Decretalibus hoc privilegium statuitur in *cap.* 3 *Odoardus* (*lib.* 3, *tit.* 23), unde frequens est talis beneficii mentio sub nomine *privilegii capitis Odoardus* (1).

Beneficium hoc adeo rationi congruum est, ut diversis formis in plurimis nationibus in favorem plurium personarum, earum praesertim quae ex salariis aut pensionibus vivunt, ipsum applicetur.

Veteres nostrae leges Hispaniae id applicabant, non solum clericis, sed etiam ascendentibus, descendentibus, fratri, conjugi, socrui, patrono, viro militari et ei etiam qui muneri publico gerendo addictus est (2).

---

(1) Cfr. *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 2, *n.* 169.

(2) Cfr. leges 4.ª, *tit.* 4; 15.ª *tit.* 10; 1.ª et 3.ª *tit.* 15 Partis 5.ae; 51, *tit.* 6. Partis 1.ae; 1.ª ad 4.am *tit.* 18 in Ordinatione Complutensi.

Generalis regula tenet, ei qui salarium aut pensionem habet, reditum sic assignatum sequestrari non posse nisi cum exceptionibus expressis in art. 1451 legis processalis civilis (*Ley de Enjuiciamiento civil*) (1), quae processui administrativae compulsionis (*apremio administrativo*) aptari potest (Lex 12 julii 1906). Cfr. *Alcubilla, vol.* 2, *pag.* 702, ed. 6.ª

CAPUT V

PRIVILEGIORUM CLERICALIUM RENUNTIATIO, AMISSIO ET RECUPERATIO

275. — Nulli horum privilegiorum potest clericus **renuntiare**, non enim in favorem ejus, sed in favorem status clericalis statuta sunt (*can.* 123). Attamen ea **amittit**, si ad statum laicalem reducatur, aut privatione perpetua juris deferendi habitum ecclesiasticum plectatur; ad normam canonis 2304.

Si autem haec poena ei remittatur, aut iterum ipse inter clericos admittatur, privilegia **recuperat** (*can.* 123).

TITULUS III

De obligationibus clericorum

CAPUT I

VITAE SANCTITAS

276. — Clerici, propter vocationem suam, a laicis differre debent sanctiore vita interiore et exteriore, ita ut eis virtute et bonis operibus exemplo sint (*can.* 124).

Ad hunc finem: 1.° Ordinarii curare debent ut clerici omnes *poenitentiae sacramentum* frequentent, et quotidie *a*) aliquod tempus orationi mentali attribuant; *b*) Sanctissimum Sacramentum visitent; *c*) Rosarium recitent, *d*) et conscientiae examen instituant (*can.* 125).

---

(1) En quid in prima parte dicti art. 1451 praecipiatur: «En los casos en que deba procederse contra los sueldos o pensiones, sólo se embargará la cuarta parte de ellos si no llegaren a 2,000 pesetas en cada año; desde 2,000 a 4,000 pesetas, la tercera parte, y desde 4,500 en adelante, la mitad.»

2.° Sacerdotes saeculares *tertio quoque* saltem *anno exercitiis spiritualibus* vacent, quin ab eis quisquam eximi possit nisi justa de causa et de expressa Ordinarii licentia (*can.* 126).

277. — Clericus qui saltem octavo quoque die confiteatur, recte commendationi frequenter confitendi satisfaciet.

Exercitia quinque saltem integros dies durare poterunt, et laudabilius octo integros dies durabunt. Sacerdotibus Exercitia saltem tertio quoque anno peragere stricta est obligatio *sub gravi* (1). Contenta in canone 125 strictae obligationis non sunt, nisi id Ordinarius, ut potest, praecipiat. Obligationi autem ipsi ex dicto canone impositae satisfacere poterit Ordinarius sive instructione et commendatione, sive praeceptis, sive in Visitatione indagine instituta ut exsecutio urgeatur, etc.

CAPUT II

REVERENTIA ET OBEDIENTIA ERGA PRAELATUM

278. — Omnes clerici, maxime vero sacerdotes, speciali obligatione tenentur suo quisque Ordinario reverentiam et obedientiam praestandi (*can.* 127), est enim eorum hierarchicus Superior, a Deo et Ecclesia constitutus.

Tenentur item suscipere et fideliter implere munus ab ipso commissum, quoties et quamdiu id, judicio Ordinarii, Ecclesiae necessitas requirat, nisi legitimo impedimento excusentur (*can.* 128). Ad id etiam ex obedientia promissa in ordinatione obligantur.

CAPUT III

STUDIA

279. — Clerici studia, praesertim sacra, recepto sacerdotio, relinquere non debent; in disciplinis autem sacris solidam doctrinam a majoribus traditam et communiter ab Ecclesia receptam sectari debent, devitantes profanas vocum novitates et falsam scientiam (*can.* 129).

280. — Expleto studiorum curriculo, sacerdotes omnes, etsi be-

---

(1) Jam antea hoc ipsum praeceperant Leo XIII Const. *Quae mari sinico* (pro Philippinis); Conc. Plen. Americae Latinae, *n.* 663; C. Prov. Manil., *n.* 812; Conc Prov. Caesaraug., *tit.* 6, *c.* 6; Synodus Auriensis, *const.* 169, et aliae plures.

neficium paroeciale aut canonicale consecuti, singulis annis, *saltem per integrum triennium*, examen in diversis sacrarum scientiarum disciplinis, antea opportune designatis, subire debent. Forma hujus examinis ab Ordinario loci definienda est, qui etiam ob justam causam aliquem *ab examine eximere* poterit (*can.* 130, § 1), v. gr., si theologiam, jus canonicum, philosophiam scholasticam doceat. Poterit etiam triennium prorogare quamdiu id opportunum aestimaverit.

In collatione officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum, ceteris paribus, illi anteponendi sunt qui magis in his scientiae periculis excelluerint (*Ibid.*, § 2).

Praescriptio haec, maxime in statuendo periculo etiam pro parochis, prorsus nova est. Circa non parochos, partim jam aderat in renovandis licentiis. Equidem, novae disciplinae cognitio, necessario nunc sacerdotibus comparanda, opportunum reddit examen et alia hujusmodi media, ut collationes de quibus in sequenti canone agitur.

281. — Tum in civitate episcopali, tum in singulis vicariatibus foraneis, saepius in anno, diebus a Praelato statuendis, *conferentiae seu collationes de re morali et liturgica* habendae sunt, quibus *aliae exercitationes* addi possunt, quae judicio ipsius Praelati ad clericorum scientiam et pietatem promovendam congruere videbuntur (*can.* 131, § 1), quales, v. gr., essent illae quae ad Codicis canonici cognitionem et interpretationem pertinerent. Haec omnia in plurimis dioecesibus aut fere in omnibus, jam in usu erant.

282. — Si collationes haberi difficile sit, quaestiones propositae scripto resolventur et mittentur, forma ab Ordinario praescribenda (*Ibid.*, § 2).

Collationibus interesse (nisi ab Ordinario prius dispensati fuerint), aut solutionem scriptam casuum mittere tenentur *a*) sacerdotes omnes saeculares, *b*) religiosi, etiam exempti, si curam animarum habuerint, *c*) alii religiosi qui facultatem audiendi confessiones ab Ordinario obtinuerunt, si collatio in eorum domibus aut conventibus non habeatur (*Ibid.*, § 3).

283. — Praeter media capitibus praecedentibus praescripta, nihil aeque ad vitae sanctitatem in se et in aliis promovendam confert, quam serium et constans scientiarum ecclesiasticarum studium, dummodo ministerii debiti spiritualis negligentiam non inducat.

CAPUT IV

CAELIBATUS ECCLESIASTICUS

ARTICULUS I

EJUS NATURA

284. — Clericis ordinatis *in sacris* (Episcopis, presbyteris, diaconis et subdiaconis), matrimonium (quod irritum erit) attentare prohibitum est. Iidem obligatione servandae castitatis ita tenentur, ut contra eamdem peccantes (etiam peccatis mere internis) sacrilegii rei sint (*can.* 132, § 1); excepto singulari casu quo quis ordinationem gravi metu coactus susceperit, nec postea libere ratam habuerit (*can.* 214, § 1).

285. — Clerici ordinum minorum matrimonium contrahere possunt, at ipso facto contrahendi a statu clericali decidunt, nisi matrimonium fuerit nullum vi aut metu illis incusso (*can.* 132, § 2).

286. — Conjugatus qui, sine dispensatione apostolica, ordines majores, licet bona fide, suscepit (*bona fide*, ex gr., si uxorem suam mortuam fuisse prudenter censet), ab eorumdem ordinum exercitio prohibetur (*Ibid.*, § 3).

287. — Patet eum ordinatum manere, ordines enim suscepti, saltem presbyteratus et diaconatus, a nemine tolli possunt. Itaque, si presbyter factus est, mortua postea uxore, posset ipse ordines sacros exercere, quin iterum ordinaretur aut ordinari posset, quoniam ordines sacri, semel valide suscepti, deleri aut iterari nequeunt.

288. — Ut superius dictum est, Codex generatim Ecclesiam latinam solum respicit; idque his praesertim canonibus comprobatur, nam in Ecclesia orientali, conjugati, nulla habita dispensatione, ordines sacros recipere possunt, et vitam maritalem (exceptis Episcopis) agere, simulque ministeria sacra exercere. Unum eis non licet, uxorem ducere postquam ordinibus *sacris* initiati sunt.

289. — Caelibatus in Ecclesia latina est juris humani positivi, et obligat, non solum ex praecepto Ecclesiae, sed etiam, secundum communiorem et certiorem sententiam, ex voto castitatis, quod quis vi ejusdem praecepti emittere tenetur (1). Idipsum Codex con-

---

(1) Cfr. *Ball.-P., vol.* 4, *n.* 235 *seq.; Rosset, n.* 1648 *seq.; Wernz, vol.* 4, *n.* 393; *S. Bonav.* In IV, *dist.* 37, *art.* 1, *q.* 2, 6; *Suárez,* De Relig., *tr.* 7, *lib.* 9, *cap.* 17.

firmare videtur ubi sine ulla distinctione affirmat clericos in castitatem peccantes reos esse sacrilegii; difficulter enim intelligitur peccata interna, ex sola lege ecclesiastica, non addito voto, sacrilegium constituere.

Caelibatus quatènus inter orientales viget, tantum ex praecepto ecclesiastico, non autem ex voto obligare videtur (1).

ARTICULUS II

MEDIA AD CAELIBATUM FACILIOREM ET DIGNIOREM REDDENDUM

290. — Ad securiorem castitatis et boni nominis status ecclesiastici custodiam, prohibetur clericis cohabitatio cum personis alterius sexus quae suspicionem ingerere possint, easdemque visitare. Cum illis tantum mulieribus cohabitare poterunt, in quibus cognatio omnem removet suspicionem, quales sunt mater, soror, amita et hujusmodi, aut cum illis quarum spectata honestas, cum provectiore aetate conjuncta, suspicionem mali pariter arceat (*can.* 133, § 1 et 2).

291. — Si in casu peculiari dubium sit an clerico cum aliqua muliere cohabitare aut ipsam invisere liceat, quamvis ex illis sit in quas communiter suspicio non cadit, judicium ad Ordinarium loci spectat, cui, si id prohibeat, obediendum est; secus, clericus praesumitur concubinarius (*Ibid.*, § 3, 4).

292. — Quoniam autem multa hujusmodi pericula vitari possunt si clerici vitam communem instar cujusdam religiosae communitatis instituant, quae praeterea laboris assiduitatem, zelum et amorem virtutum fovet, laudanda admodum est et suadenda consuetudo talis vitae communis, ubi nondum est instituta, et ubi viget, quantum fieri potest, servanda (*can.* 134).

CAPUT V

OFFICIUM DIVINUM, HABITUS CLERICALIS, TONSURA, ETC.

293. — Clerici omnes ordinati *in sacris* (subdiaconi, diaconi, presbyteri, Episcopi) tenentur obligatione quotidie horas canonicas integre recitandi secundum proprios et probatos liturgicos libros. Excipiuntur ii qui vi contra suam voluntatem ordinati sunt et qui ad statum laicalem sint reducti (*can.* 135).

---

(1) *S. Thom.*, Suppl., *q.* 53, *art.* 3, 0; *S. Bonav.*, l. c.; *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 4, *n.* 294, et *vol.* 2, *art.* 201, *schol.*

De hac obligatione in Theologia morali latius agitur, quidquid enim de illa dicendum est, ad forum internum potius spectat.

294. — Omnes clerici tenentur deferre *a*) *decentem habitum ecclesiasticum* secundum legitimas locorum consuetudines et Ordinarii loci praescripta; *b*) *tonsuram* seu *coronam* clericalem, nisi recepti regionis mores aliter ferant, et *c*) *capillorum simplicem cultum* (*can.* 136, § 1).

Eis non licet annulum adhibere, nisi id ipsis a jure aut apostolico privilegio sit concessum (*Ibid.*, § 2).

295. — Clerici minores qui propria auctoritate sine legitima causa habitum ecclesiasticum et tonsuram dimiserint, nec, ab Ordinario moniti, sese intra mensem emendaverint, *ipso jure* e statu clericali decidunt (*Ibid.*, § 3).

Temporibus turbatis quibus violentae in clerum persecutiones imminent, legitimam causam adesse censeri potest ad dimittendam tonsuram; et praesente jam periculo, ad dimittendum etiam habitum ecclesiasticum, dum talis rerum status perseveraverit.

CAPUT VI

RELIQUA QUAE IPSIS PROHIBITA SUNT

296. — Non potest clericus ullus fidejubere, etiam de bonis propriis, sine consilio Ordinarii loci (*can.* 137). Patet nihilominus eum, si fidejusserit, Ordinario consulto vel non consulto, civiliter in conscientia obligari.

297. — Prohibentur clericis omnia ea quae statum suum dedecent, ut artes indecoras exercere, aleatoriis ludis vacare pecunia exposita, armorum gestatio, nisi peculiari imminente periculo; venatio, praesertim clamorosa (quae nunquam eis licet); tabernas, aliaque similia loca ingredi, sine necessitate (v. gr. in itinere) aut alia justa causa ab Ordinario loci probata (*can.* 138).

298. — Prohibentur etiam eis aliae occupationes quae, licet non indecorae, a clericali tamen statu alienae sunt (*can.* 139, § 1).

299. — Sine licentia Apostolicae Sedis medicinam aut chirurgiam exercere nequeunt; nec tabellionis aut publici notarii, nisi in Curia ecclesiastica, munere fungi, neque item officium assumere publicum, quod exercitium laicalis jurisdictionis aut administrationis secum ferat (*Ibid.*, § 2), v. gr. judicis munus, magistratus municipalis, etc. exercere.

300. — Nequeunt etiam inire gestiones bonorum ad laicos pertinentium, aut officia secularia quibus annexa sit obligatio rationem expensarum reddendi; nec advocatum aut procuratorem age-

re nisi in tribunali ecclesiastico, aut in civili quando agitur de causa propria aut suae ecclesiae (*Ibid.*, § 3).

301. — Ut candidatus renuntiari possit, sicut etiam ut **senatoris** aut **deputati** munus acceptare clericus valeat, indiget licentia, tum Ordinarii proprii, tum Ordinarii loci in quo electio facienda est. Evidens etiam est, Apostolicae Sedis licentiam necessariam esse in locis ubi pontificia prohibitio intercesserit (*Ibid.*, § 4).

302. — Nequeunt assistere spectaculis, choreis et pompis quae eos dedecent, vel quibus clericos interesse scandalo sit, praesertim in publicis theatris (*can.* 140).

303. — Vetantur ne sponte militiam saecularem assumant, nisi *de licentia sui Ordinarii* id fecerint ut citius liberi evadant (in iis locis in quibus leges immunitatem ecclesiasticam non agnoscunt); vetantur etiam ne intestinis bellis et ordinis publici perturbationibus opem quoquo modo ferant (*can.* 141, § 1).

304.—Si contra hanc prohibitionem clericus minor sponte militiam capesseret, *ipso facto* statum clericalem amitteret (*Ibid.*, § 2).

305. — Pariter eis prohibetur mercatura aut negotiatio, sive per se sive per alium, sive in propriam sive in aliorum utilitatem eam exerceant (*can.* 142).

Non solum eis prohibetur negotiatio *quaestuosa* seu mercatura (qua res emuntur animo eas postea carius vendendi sine transformatione), sed etiam negotiatio *industrialis* (qua res emuntur ut post transformationem carius vendantur), quoties materia non proprio ipsorum labore sed opera aliorum ad id conductorum transformatur.

Hac prohibitione non comprehenduntur: 1.° Clericus qui fructus ex propriis agris perceptos vendit. 2.° Qui artem suo statui et conditioni non indecoram exercet, et opus sui laboris vendit. 3.° Qui merces, tempore abundantiae, vilius emit, ut eas postea eodem pretio amicis, conjunctis et pauperibus vendat, ubi annonae caritas advenerit. 4.° Qui pecudes emit, ut postea, suo praedio nutritas vendat; secus vero si alieno praedio eas nutriret, etc.

Licitum clericis esse **obligationes** societatum industrialium, commercialium, etc., accipere, extra dubium est, id enim est velut mutuo dare aut accipere titulos Status, etc.

Celebris controversia. — At controvertitur num eis **actiones** etiam emere liceat. Affirmans opinio probabilior est, tam si de industrialibus agitur, quam si de commercialibus, etc.; itemque tam de societate jam statuta, quam de statuenda, dummodo clericus gerendis societatis negotiis nullo modo intersit, adeoque nec per se, nec per alium ejus nomine agentem, coetui generali sociorum in quo negotia definiuntur, assistat. Ratio hujus sententiae est, quia tunc dici nequit clericum *per se* negotiari, ut evidens est; nec *per alium*, sensu prohibitionis, *nec enim in negotiationem effi-*

caciter influit. Ita sentiunt *Sanguineti*, Juris eccles. instit., *n.* 220; *Aichner*, Comp. jur. eccles., § 73, *not.* 5; *Palmieri* (in notis edit. romanae P. Gury); *Génicot*, *vol.* 2, *n.* 41, IX; *Icard*, Praelect. jur. can. in Sem. S. Sulpitii, *n.* 356; *Bargilliat*, Praelect. jur. can., *n.* 371; *Aertnys*, *l.* 5, *n.* 79; *Zitelli*, Apparatus, *l.* 1, *tit.* 2, *c.* 6, *art.* 1, *d.* 2; *Tanquerey*, *n.* 102; *Mocchegiani*, Jurisp., *vol.* 1, *n.* 1585; *Laurentius*, Inst. jur. eccl., *n.* 116; *Melata*, Man. theol. mor., *pag.* 163; etc. — contra *Brabandère*, Jur. can. comp., *n.* 554, et *plures alios;* inter quos *Wernz*, l. c., *vol.* 2, *n.* 219, nostram sententiam admittit de *aliquibus industrialibus* societatibus, negat autem de *reliquis*, et *a fortiori* de *commercialibus. Villada*, Casus, *vol.* 3, *pag.* 66 *seq.*, praes. *pag.* 74 (ed. 1.ª) de societatibus *industrialibus* id concedit, *de commercialibus* negat, etc.

Nec hucusque a Sancta Sede responsum ullum emanavit quod universaliter hanc doctrinam reprobet. Quamobrem, prohibitio est in se dubia, *dubio* quidem *juris*, ideoque, ex can. 15, non obligat. Vide *n.* 165 in fine.

N. B. Non licet clericis actiones nec obligationes emere *animo carius eas vendendi*, saltem si id habitualiter fiat, id enim esset negotiatio.

306. — Ad discedendum a propria dioecesi per notabile tempus, opus est clericis, licet beneficium aut officium residentiale non habeant, licentia, saltem praesumpta Ordinarii proprii (*can.* 143).

Ad brevem absentiam, si de parochis sermo sit, facultas licentiae dandae vicariis foraneis concedi solet.

307. — Qui in aliam dioecesim transit, retenta propria incardinatione (*n.* 246), revocari potest justa de causa et servata aequitate naturali; et etiam Ordinarius alienae dioecesis potest ex justa causa ei denegare licentiam ulterioris commorationis in proprio territorio, nisi beneficium eidem contulerit (*can.* 144).

Justa causa seu causa rationabilis eum revocandi erit, v. gr., necessitas operariorum in propria dioecesi. In revocando autem, aequitas naturalis servari debet, sive damna quae inde ei obveniant resarciendo, sive officio aut beneficio ei collato, quod, si comparetur cum eo quod fortasse in altera dioecesi habebat, defectum illius compensare valeat.

Justa causa licentiam denegandi ut in aliena dioecesi ulterius maneat, erit, v. gr., ejus prava exempla, negligentia in munere obeundo, etiam postquam monitus est, etc.

TITULUS IV

De officiis ecclesiasticis

308. **Notio.** — *Officium ecclesiasticum* lato sensu est *munus quodvis* legitime ad *finem spiritualem susceptum.*

Stricto sensu est *munus stabiliter divina aut ecclesiastica ordinatione institutum,* quod *juxta canones* conferendum est, et aliquam *potestatis ecclesiasticae, sive ordinis, sive jurisdictionis, participationem includit* (*can.* 145, § 1).

Cum in Codice de officiis ecclesiasticis agitur, id sensu stricto intelligendum est, nisi aliud ex contextu sermonis appareat (*Ibid.*, § 2).

309. **Officia majora et minora.** — Officia *majora* ea sunt quae potestatem episcopalem aut quasi-episcopalem annexam habent, v. gr., Cardinalatus, Patriarchatus, Episcopatus, Praelatura *nullius.* Reliqua sunt *minora:* canonicatus, officium parochiale, etc.

N. B. In officiis beneficialibus, praeter sequentes canones, canones 1409 *seq.* etiam sunt observandi (*can.* 146).

CAPUT I

DE PROVISIONE OFFICIORUM ECCLESIASTICORUM

310. **Notio.** — *Provisio canonica* dicitur concessio beneficii ecclesiastici a competente auctoritate ecclesiastica ad normam sacrorum canonum facta (*can.* 147, § 2).

311. **Principium.** — Officium ecclesiasticum nequit sine *provisione canonica* valide obtineri (*Ibid.*, § 1).

312. **Provisionis modi diversi.** — Ecclesiastici officii provisio fieri potest: *a*) *libera collatione* Superioris legitimi, aut *b*) *institutione* ab ipso facta, si ex parte patroni praesentatio aut nominatio praecesserat, aut *c*) *confirmatione* sive admissione, si electio aut postulatio ante habita est, aut denique *d*) *simplici electione* et *acceptatione ex parte electi,* ubi electio confirmatione non eget (*can.* 148).

N. B. De provisione officiorum *per institutionem* dicetur inferius ubi de patronatu.

313. — QUAER. 1.° *Quonam praerequisito ad provisionem quamlibet opus est?*

Resp. Electus (itemque postulatus, praesentatus aut nominatus a quibusvis personis) ad aliquod officium, a nullo Superiore infra Romanum Pontificem confirmandus (aut admittendus, instituendus) est, nisi prius a proprio Ordinario idoneus repertus sit, etiam per examen, si id jus vel officii ratio postulet aut Ordinarius opportunum judicaverit (*can.* 149).

314. — Quaer. 2.° *Quibus aliis normis provisiones reguntur?*

Resp. Triplici hac norma: 1.° Provisio officii de jure non vacantis ad normam can. 183, § 1 (vide *n.* 350), est ipso facto irrita, nec subsequenti vacatione convalescit (*can.* 150, § 1).

2.° Promissio officii, quicumque illud promiserit, nullum parit juridicum effectum (*Ibid.*, § 2).

3.° Officium de jure vacans, quod ab aliquo *illegitime* possidetur, conferri potest, dummodo rite secundum sacros canones declaratum fuerit eam possessionem non esse legitimam, et de hac declaratione mentio fiat in litteris collationis (*can.* 151).

ARTICULUS I

DE LIBERA COLLATIONE

315. **Ad quem ea spectat**. — Ordinario loci jus competit providendi omnibus officiis in proprio territorio. Hac potestate caret Vicarius Generalis sine mandato (*can.* 152). Quae omnia intelligenda sunt de quacumque forma provisionis inter enumeratas *n.* 312; et hoc sensu etiam in Hispania viget id quod nunc dicturi sumus; vel si id ad *liberam collationem* coarctetur, subaudiuntur tunc clausulae: *salvis juribus* legitime acquisitis praesentandi et eligendi, *salvis item* Sedis Apostolicae *juribus*.

316. **Provisiones in Hispania**. — In Hispania, ex R. D. 5 nov. 1852, cum Sede Apostolica concordato:

1.° Ad Ordinarios exclusive in suis quibusque dioecesibus pertinet collationem et institutionem canonicam conferre omnium dignitatum, canonicatuum ex officio et ex gratia, item beneficiorum in metropolitanis, suffraganeis et collegiatis, beneficiorum parochialium, coadjutorum et aliorum quorumcumque, quaecumque persona physica aut moralis fuerit ad quam electio, praesentatio aut nominatio spectet, et quacumque forma haec omnia fiant (*art.* 1.°).

2.° Excipiuntur dignitates et canonicatus Sanctae Sedi reservati et forma gratiosa concessi, in quibus solum competit Ordinario expeditio mandati *de immittendo in possessionem* (*art.* 2) (*Alcubilla, vol.* 4, *pag.* 147).

317. **Promovendi qualitates**. — 1.° **Generales**. Clericus ad va-

cans officium ecclesiasticum promovendus, iis qualitatibus praeditus sit oportet, quae a jure communi, vel particulari aut a lege fundationis ad idem officium requiruntur (*can.* 153, § 1).

Si provisus his qualitatibus careat, provisio est nulla, si nullitatem jus commune aut particulare aut lex fundationis statuat; aliter est valida, sed per sententiam a legitimo Superiore irritari potest (*Ibid.*, § 3).

Inter plures qui requisitis qualitatibus praediti sunt, is assumendus est qui idoneitate praestat, omni posthabita personarum acceptione (*Ibid.*, § 2).

2.° **Specialis.** — Officia quae curam animarum sive in foro externo, sive in interno, secum ferunt (Canonicus poenitentiarius, parochus, Vicarius Generalis), clericis qui nondum *sacerdotes* sint, valide conferri nequeunt (*can.* 154). Praescriptum hoc novum est, antea enim in Vicario Generali haec qualitas requisita non erat, in ceteris vero satis erat eos intra annum sacerdotio initiari.

318. **Tempus intra quod provisio facienda est.** — Si nullus terminus fuit speciali lege praescriptus, provisio (citra legitimum impedimentum) ultra *sex menses* differri nequit, a die quo *notitia vacationis* habita est (*can.* 155).

319. **Officia incompatibilia.** — Nemini *valide* conferri possunt duo officia incompatibilia (*can.* 156, § 1).

Incompatibilia sunt officia quae simul ab eadem persona adimpleri nequeunt (*Ibid.*, § 2).

Quamvis provisio secundi officii incompatibilis a Sede Apostolica fiat, ea nulla erit, nisi alterutra ex his conditionibus adsit: 1.ª Ut in supplici libello mentio fiat incompatibilitatis; 2.ª aut rescripto clausula derogatoria adjiciatur (*Ibid.*, § 3).

320. **Speciales provisionis normae** — *a*) pro officiis per renuntiationem aut privationis sententiam vacantibus, *b*) aut collatis a supplente negligentiam aut impotentiam alterius:

1.ª Si officium per renuntiationem aut sententiam privationis vacet, Ordinarius qui renuntiationem acceptavit aut sententiam tulit, hujusmodi officium suis aut resignantis familiaribus, consanguineis vel affinibus usque ad secundum gradum, valide conferre non potest (*can.* 157).

2.ª Qui, alius negligentiam aut impotentiam supplens, officium confert, nullam inde potestatem acquirit in nominatum; sed hujus juridicus status idem per collationem constituitur, ac si provisio ad ordinariam juris normam peracta fuisset (*can.* 158).

N. B. Cujuslibet officii provisio scripto facienda est (*can.* 159). Id tamen ad validitatem non spectat.

ARTICULUS II

DE ELECTIONE

321. **Notio.** — Electio in jure ecclesiastico est *personae idoneae ad officium vacans, per eos ad quos de jure spectat, canonice facta vocatio.*

322. **Tempus.** — Nisi generali aut particulari jure aliud caveatur, electio a collegio facienda, ultra **tres menses** *utiles* (*n.* 175, *c.* 2.[a]) a die quo habita fuit vacationis notitia, differri nequit (*can.* 161).

Hoc termino inutiliter elapso, si legitimum impedimentum non adfuit, Superior ecclesiasticus cui jus confirmandae electionis vel jus providendi successive competit, officio vacanti libere providebit (*Ibid.*). Vide inferius quae de Vicarii Capitularis electione traduntur.

323. **Electorum convocatio.** — Collegii praeses, statuto modo, loco ac tempore electoribus convenienti, collegii electores omnes convocare tenetur (*can.* 162, § 1).

Quaevis convocatio ante vacationem officii quod electus ad vitam retinet, nullum habet juridicum effectum (*Ibid.*, § 5).

Ubinam facienda personalis convocatio. — Valet convocatio, si fiat vel in loco domicilii aut quasi domicilii, vel in loco commorationis illius qui convocatur (*Ibid.*, § 1).

324. **Omissionis in convocandis electoribus effectus.** — 1.° Quamvis unus aut plures electores vocati non sint, ideoque ab electione abfuerint, valida est electio si praetermissi tertiam partem non excedunt; attamen quivis ex praetermissis jus habet, *intra tres dies* a cognita praeteritione, postulandi ut electio irrita declaretur; Superior autem eam irritare debet, probata praeteritione et absentia recurrentis (*Ibid.*, § 2).

2.° Si plures quam tertia pars electorum neglecti fuerint, electio est *ipso jure* nulla (*Ibid.*, § 3). Defectus tamen convocationis non obstat, si praetermissi nihilominus interfuerint (*Ibid.*, § 4).

325. **Juris electionis exercitium.** — 1.° *Jus eligendi competit* illis tantum qui, convocatione legitime secuta, praesentes sunt loco, die et hora in convocatione statutis, quicumque eorum numerus fuerit.

2.° Nemo suffragium per epistolam nec per procuratorem ferre potest, nisi lege peculiari aliud caveatur (*can.* 163).

3.° Unicum suffragium cuivis competit, quamvis ad suffragandum plures titulos habeat (*can.* 164).

326. **Casus nullitatis.** — Salvis privilegiis legitime quaesitis, nullus collegio extraneus admitti potest ad suffragium. Secus electio est *ipso facto* nulla (*can.* 165).

Nulla itidem est electio *ipso facto*, si laici contra canonicam libertatem electioni ipsi quoquomodo se immiscuerint (*can.* 166). Vide *n.* 327 in fine.

327. **Voto carent.**—1.° Incapaces actus humani (amentes, etc.).

2.° Impuberes.

3.° *Censura* vel *infamia juris* affecti, dummodo de ea adsit declaratoria vel condemnatoria sententia.

4.° Qui sectae haereticae vel schismaticae nomen dederunt, vel publice adhaeserunt.

5.° Carentes voce activa, sive ob legitimam judicis sententiam, sive ex jure communi aut particulari (*can.* 167, § 1).

Si quis ex praedictis admittatur, ejus suffragium est nullum, sed electio valet, nisi *a*) constet, eo dempto, electum suffragiorum requisitum numerum non habere, aut *b*) *scienter* admissus fuerit excommunicatus per sententiam declaratoriam vel condemnatoriam (*Ibid.*, § 2). Vide *n.* 326.

328. **Electores aegrotantes in domo in qua fit electio.**—Hi suffragio gaudent, nisi aliter jure aut legitima consuetudine caveatur; quodsi electioni assistere nequeant, suffragium eorum a scrutatoribus apud ipsos exquirendum est, quod aegrotus scriptum et obsignatum tradet, et ab iis ad praesidem transmittetur (*can.* 168).

329. **Praxis.** — In hujusmodi casibus, capsula, si adest, adhiberi solet, rima in parte superiori aperta, qua schedula tantum introduci possit. Capsulam claudit (postquam viderint esse vacuam) praeses aut secretarius, qui etiam clavem retinet. Tum capsulam scrutatoribus tradit, qui intra eam suffragia aegri aut aegrorum accipient, et ad praesidem deferent. Si aeger scribere non valet, potest aliam personam adhibere, cui secreto suffragium dictat, ita ut illa gravissima obligatione nemini secretum revelandi teneatur.

330. **Suffragii qualitates.** — 1.ª Ut suffragium valeat, debet esse liberum, secretum, certum, absolutum et determinatum (*can.* 169, § 1).

Erit igitur nullum: 1.° si elector ad suffragium suum dandum certae personae aut pluribus *disjunctive* (v. gr., Petro aut Paulo aut Joanni) adactus sit *metu* gravi aut dolo, directe vel indirecte; 2.° si suffragium *publice* feratur, ita ut constet cui suffragium dederit talis aut talis elector; 3.° si schedula sine ullo scripto traditur, aut, quamvis scripta sit, clare non constat quaenam persona designetur; 4.° si sit conditionatum, v. gr., eligo Petrum, si verum est eum esse digniorem; 5.° si sit indeterminatum, v. gr., eligo eum in quem plura suffragia concurrant; 6.° si sit alternativum, v. gr., eligo N. aut B.

2.ª Conditiones ante electionem suffragio appositae tanquam non adjectae censentur (*can.* 169, § 2).

3.ª Nemo valide sibimetipsi suffragium ferre potest (*can.* 170).

Si certo constet electum sibi suffragium dedisse, electio nulla erit, si, dempto illo suffragio, sufficientem numerum non habuerit.

331. **Scrutinium.** — Ante electionem, e gremio Collegii (1) duo saltem scrutatores per secreta suffragia deputandi sunt, qui, una cum praeside, rebus ad electionem spectantibus invigilent. Scrutatores una cum praeside, si et ipse e gremio Collegii sit, jusjurandum interponant de munere fideliter implendo, ac de secreto servando circa acta in comitiis (*can.* 171, § 1).

332. — Hi tres curare tenentur ut suffragia secreto, diligenter, singillatim et servato praecedentiae ordine ab unoquoque electore ferantur.

Collectis omnibus suffragiis, scrutatores coram praeside electionis, et secundum formam propriis constitutionibus vel legitima consuetudine statutam, inspicient an suffragiorum numerus respondeat numero electorum (*Ibid.*, § 2). Si numerus suffragiorum superet numerum eligentium, nulla est electio (*Ibid.*, § 3); suffragia non aperiuntur, et fit iterum electio.

Si vero numero eligentium respondet, suffragia singillatim aperiuntur, a praeside et scrutatoribus inspiciuntur, et alta voce profertur nomen in singulis contentum, quod etiam scripto notatur (*Ibid.*, § 2).

Codex expresse non dicit nullam fore electionem si omittatur publicatio nominis illius qui in singulis votis eligitur seu designatur; quia vero hic vetus disciplina retinetur, et in ea pro nulla habebatur (Cfr. *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 2, *nn.* 371, 111), etiamnum nullam reputandam censemus.

Suffragia comburuntur, peracto scrutinio, vel post sessionem, si in ea plura fiant scrutinia (*can.* 171, § 4).

333. **Acta.** — Omnia electionis acta ab eo qui secretarii munere fungitur accurate describenda, et saltem ab eodem, a praeside et scrutatoribus subscribenda sunt, atque in tabulario diligenter asservari debent (*Ibid.*, § 5).

334. **Electio per compromissarios.** — Electio *per compromissum* fit, cum omnes electores, unanimi et scripto consensu, in unum vel plures idoneos, sive de gremio sive extraneos, jus eligendi pro ea vice transferunt, qui nomine omnium electionem perficiant (*can.* 172, § 1).

335. **Conditiones essentiales.** — 1.ª Si agatur de clericali collegio, compromissarii, ut electio valida fiat, debent esse sacerdotes (*Ibid.*, § 2).

2.ª Compromissarii debent pro validitate electionis conditio-

(1) In electione Abbatissae vel Superiorissae monasterii clausurae papalis, nec praeses nec scrutatores sunt e gremio collegii; attamen neque tunc de clericis proprie dictis agitur, cum tales non sint moniales. Vide *Ferreres*, Las Religiosas, *comm.* 5, *pag.* 31 *seq.*

nes compromisso appositas, quae non sint contra jus commune, observare.

Si nullae conditiones appositae fuerint, servandum est ab ipsis jus commune circa electiones. Conditiones contra jus pro non appositis habentur (*Ibid.*, § 3).

3.ª Si electores unum tantum compromissarium esse voluerunt, is nequit seipsum eligere; si plures sint, nemo ex iis potest suffragium suum addere iis quae ipsum eligunt, et hoc pacto electionem suam complere (*Ibid.*, § 4). Vide *n.* 330, 3.°

336. **Quo modo compromissum cesset.** — *Cessat* compromissum, et *jus suum primum recuperant* electores: 1.° si collegialiter compromissum revocent cum electionis negotium adhuc integrum est; 2.° si conditio aliqua imposita, juri communi non contraria, impleta aut servata non fuit; 3.° si, peracta electione, haec irrita sit (*can.* 173).

337. **Electionis effectus.** — Is canonice electus habebitur qui suffragiorum numerum absolute majorem inter electores qui de facto electioni interfuerunt obtinuerit, demptis suffragiis nullis. Si post duo scrutinia, nemo absolute majorem numerum obtinet, in tertio satis erit numerus respective major; et si inter eos qui majorem tulerint numerum paritas adsit, praeses dubium dirimit; quod si nolit, senior ordine, vel prima professione, vel aetate, electus habebitur, prout de clericis, religiosis aut laicis agatur (*can.* 101 et 174).

Si par fuerit numerus electorum, ad absolute superandum, requiritur unum suffragium supra medietatem, v. gr., unum supra 9, id est 10, si electores 18 sint. Si impar sit numerus, sufficit major pars, v. gr., 10, si electores 19 sint.

Suffragia nulla non computantur: ideoque, licet 18 electores interfuerint, si tria suffragia nulla fuerunt, electores 15 computantur, et 8 suffragia ad superandum sufficiunt.

Electione peracta, praeses scribere debet electionis decretum formula consueta.

338. **Electi consensus.** — Electio intimanda est electo, sive is in loco electionis praesens, sive absens sit, et acceptatio ejus exquirenda; ipse autem (sub poena amittendi omne jus ex electione quaesitum) infra octiduum utile a recepta intimatione, manifestare tenetur utrum electioni consentiat, an eidem renuntiet (*can.* 175).

Si renuntiat, omne jus amittit, etsi renuntiationis eum postea poeniteat et officium admittere velit; et electores intra mensem a cognita renuntiatione ad novam electionem procedere debent, qua, si velint, eumdem eligere possunt qui renuntiaverat (*can.* 176, § 1).

339. **Electionis confirmatio.** — Si electio confirmatione non eget (v. gr. electio Vicarii capitularis), eamque electus acceptat, plenum jus statim obtinet.

Si confirmatione opus est, *a*) electus saltem infra octiduum a die acceptatae electionis (nisi justum adsit impedimentum), per se vel per alium, confirmationem a competente Superiore petere debet; secus omni jure privatur; *b*) donec eam obtineat, non acquirit nisi *jus ad rem; c*) nec licet ei se immiscere administrationi officii sive in spiritualibus sive in temporalibus, et actus ab eo forte positi nulli sunt; *d*) recepta confirmatione, obtinet plenum jus in officio, nisi aliud in jure caveatur (*can.* 176, 177).

340. — QUAER. 1.° *Potestne Superior confirmationem denegare?*

Resp. Non potest, si electio canonice facta fuit, et subjectum reperit idoneum (*can.* 177, § 2), juxta dicta *n.* 313, sed eam concedere et in scriptis dare debet (*can.* 177, § 3).

Tenetur praeterea Superior inquirere an in electione necessariae normae ad validitatem servatae fuerint; quod si quis electionem impugnaverit, perpendere debet num impugnatio solido fundamento nitatur, necne.

341. — QUAER. 2.° *Quando a Collegio jus electionis amittitur?*

Resp. 1.° Si necessarium tempus elabi sinat quin electionem faciat (*can.* 178); 2.° si scienter personam indignam elegerit (*can.* 2391).

In his casibus provisio officii libere fit ab eo Superiore a quo electio confirmanda erat, aut cui jus providendi successive competit (*can.* 178).

ARTICULUS III

DE POSTULATIONE

342. **Notio.** — *Postulatio* in casu est petitio a majore electorum numero aut a duabus eorum tertiis partibus coram competente Superiore facta, ut is, dispensatione convenienti concessa, ad officium canonicum admittere dignetur personam habentem canonicum impedimentum ex iis super quibus dispensari possit et soleat (*can.* 179, § 1).

343. — QUAER. 1.° *Quando fieri potest postulatio?*

Resp. Postulatio fieri potest etiam in officiis pro quibus electus confirmatione non eget (*Ibid.*).

344. — QUAER. 2.° *Quibus casibus sufficit* **major suffragiorum numerus**, *quibus autem* **duae tertiae partes** *requiruntur?*

Resp. Cum omnes electores alii alium vel alios postulant, superat is cui major pars suffragiorum favet; si tamen alii ex electoribus postulant, alii eligunt, postulatio irrita est nisi ad duas tertias partes suffragiorum perveniat (*can.* 180, § 1).

Si eligentes saltem unum supra tertiam partem suffragiorum in favorem alicujus candidati obtineant, is electus habebitur.

345. — QUAER. 3.° *An compromissarii postulare possint?*

Resp. Neg., nisi id expresse in compromisso contineatur (*can.* 179, § 2).

346. — Quaer. 4.° *Quaenam* **formula** *ad postulationem adhibenda est?*

Resp. Qui postulare et non eligere vult, vocem *postulo* aut aliam aequipollentem in suffragio proprio scribere debet. Si in suffragio adhibeatur formula «*postulo aut eligo*» aut similis alia, valet ad electionem, si electus impedimento careat; secus, valet pro postulatione (*can.* 180, § 2).

347. — Quaer. 5.° *Cui* **Superiori** *et* **quando** *postulatio deferenda est?*

Resp. 1.° Superiori ad quem pertinet electionem confirmare, si facultatem habeat ab impedimento dispensandi. Secus, Romano Pontifici, aut alteri habenti facultatem.

Resp. 2.° Intra octo dies, nisi adsit justum impedimentum. Secus, postulatio est nulla, et electores pro ea vice jus suum amittunt tum postulandi, tum eligendi (*can.* 181, § 1, 2).

348. — Quaer. 6.° **Quinam immediati effectus juridici postulationis sint, et in quo ab electionis effectibus differant?**

Resp. Postulatione nullum jus postulato acquiritur, electione autem electus acquirit *jus ad rem:* facta postulatione, electores libere ab ea desistere possunt antequam Superiori sit praesentata, imo et de Superioris consensu, etiam post praesentatam; electione vero peracta, ea annullari nequit: Superior libere postulationem rejicere potest, at electionem confirmare tenetur. Si Superior postulationem admittat, id postulato significandum est; quodsi intra octiduum is officium admittat, postulatio eumdem effectum sortitur ac electio confirmata, et postulatus plenum jus *in officio* acquirit, nisi aliter in jure statutum sit (*can.* 181, 182).

349. — Quaer. 7.° **Quosnam effectus habeat postulatio quae a Superiore rejicitur?**

Resp. Rejecta a Superiore postulatione, jus eligendi ad collegium redit, nisi electores illum *scienter* postulaverint qui tali detinetur impedimento, in quo nequeat aut non soleat dispensari: tunc enim provisio ad Superiorem pertinet (*can.* 182, § 1). Vide praeterea quae *n.* 341 dicta sunt.

CAPUT II

MODI QUIBUS ECCLESIASTICA OFFICIA AMITTUNTUR

350. — I. Ecclesiastica officia quinque modis amitti possunt, scil. renuntiatione, privatione, revocatione, translatione et lapsu temporis praefiniti (*can.* 183, § 1).

II. Non amittuntur officia ecclesiastica Superioris morte aut translatione, etc., nisi aliud jure caveatur (prout de officio Vicarii Generalis cavetur), aut in concessione habeatur clausula *ad beneplacitum nostrum*, vel alia aequipollens (*Ibid.*, § 2).

III. Qui clericum ad officium elegerunt vel postulaverunt aut praesentaverunt, nequeunt eumdem officio privare, aut ab eo revocare seu amovere, aut ad aliud transferre (*can.* 195), jus enim eorum tantum ad eligendum vel praesentandum casu vacationis concessum est.

CAPUT III

DE OFFICII RENUNTIATIONE

351. — QUAER. 1.° **Quis et quo pacto renuntiare valet?**

Resp. 1.° Quisque usu rationis gaudens officio ecclesiastico quod possidet renuntiare potest, nisi speciali prohibitione renuntiatio sit ipsi interdicta (*can.* 184).

2.° Renuntiatio debet esse libera; itaque *ipso jure* irrita est, si fiat metu gravi et injusto, aut dolo vel errore substantiali. Item irrita est *ipso jure* renuntiatio simoniace facta.

3.° Renuntiatio potest esse tacita vel expressa.

352. — QUAER. 2.° *Quibus casibus officia vacant* **ipso facto** (*quin opus sit declaratione ulla*) *ex renuntiatione tacita a jure acceptata?*

1.° Si clericus professionem religiosam emiserit, salvo, circa beneficia, praescripto can. 584, de quo inferius agetur.

2.° Si intra tempus utile jure statutum, aut deficiente jure, ab Ordinario determinatum, de officio provisus illud adire neglexerit, nulla habita justa causa.

3.° Si aliud officium cum priore incompatibile acceptaverit, et ejusdem pacificam possessionem obtinuerit.

4.° Si publice a catholica religione defecerit.

5.° Si matrimonium, etiam civile tantum, ut ajunt, contraxerit.

6.° Si contra praescriptum canonis 141, § 1, militiae saeculari nomen sponte dederit.

7.° Si habitum ecclesiasticum propria auctoritate, sine justa causa, deposuerit, nec illum, ab Ordinario monitus, intrá mensem a monitione recepta, resumpserit.

8.° Si residentiam qua tenetur illegitime deseruerit, et ab Ordinario monitus, ad ipsam (sine justo impedimento), intra congruum tempus ab ipso designatum non redierit nec responderit (*can.* 188).

353. — QUAER. 3.° *Quomodo renuntiatio expressa facienda est?*

Resp. Ut valida sit, scripto, aut saltem coram duobus testibus fiat oportet. Per procuratorem quidem fieri potest, at speciali mandato munitum. Renuntiationis autem scriptum documentum in Curia reponendum est (*can.* 186).

354. — QUAER. 4.° *Ante quem fieri debeat officii renuntiatio?*

Resp. Generatim, ut ea valida sit, ante Superiorem fieri debet a quo sit acceptanda; vel, si acceptatione non egeat, ante Superiorem a quo clericus officium accepit, vel qui ejusdem locum teneat (*can.* 187, § 1).

Igitur, si confirmatione, admissione aut institutione officium collatum sit, ante Superiorem ea facienda est ad quem jure ordinario confirmatio, admissio aut institutio spectat (*Ibid.*, 2).

355. — QUAER. 5.° *Quinam sint* **effectus renuntiationis?**

Resp. Renuntiatione legitime facta, *a*) ea jam retractari nequit, licet renuntians possit officium ex alio titulo consequi (*can.* 191, § 1); *b*) renuntians in officio permanere debet donec de Superioris acceptatione certam notitiam acceperit; *c*) ab hoc puncto, et non ante, vacat officium (*can.* 190).

Renuntiationem irritam esse, si eam Superior non acceptaverit, evidens est. Superior vero eam, sine *justa et proportionata* causa acceptare non debet (*can.* 189, § 1); *intra mensem* autem eam vel acceptare vel rejicere tenetur.

Si eam porro acceptaverit, acceptatio iis communicanda est, qui aliquod jus in officii provisionem habent, v. gr., patronis aut electoribus, etc. (*can.* 191).

CAPUT IV

DE PRIVATIONE ET TRANSLATIONE

356. — QUAER. 1.° *Quo pacto in* **privationem** *officii quis incurrit?*

Resp. Duplici modo, scil., *ipso jure*, aut ex facto legitimi Superioris. Si officium *inamovibile* sit, Ordinarius eo privare nequit nisi processu ad *normam juris*. Si *amovibile* sit, privatio ab Ordinario decerni potest qualibet causa justa, prudenti ejus arbitrio, licet nullum adsit delictum, naturali aequitate servata, attamen sine formali processu, salvo praescripto in Codice circa paroecias amovibiles.

Haec ultima privatio effectum non habet nisi postquam a Superiore sit intimata; et contra eam manet recursus ad Apostolicam Sedem, licet solum *in devolutivo* (*can.* 192).

357. — QUAER. 2.° *Quis* **translationem** *decernere potest?*

Resp. Ille tantum qui auctoritatem habet, tum acceptandi re-

nuntiationem, tum removendi a primo officio et promovendi ad alterum (*can.* 193, § 1).

358. — Quaer. 3.° *Quaenam causae ad eam requiruntur?*

Resp. Si de consensu clerici translati fiat, quaelibet justa causa sufficit; si eo invito, eadem fere causa requiritur, idemque procedendi modus ac pro privatione, firmo praescripto can. 2162-2167 circa translationem parochorum (*Ibid.*, § 2).

359. — Quaer. 4.° *Quando prius officium in translatione vacat?*

Resp. Cum clericus alterius possessionem canonice capit, nisi aliud a jure aut a Superiore praescriptum sit. Reditus autem prioris officii percipit donec aliud occupaverit (*can.* 194).

TITULUS V

De potestate ordinaria et delegata

360. — Potestas *jurisdictionis* seu regiminis quae ex divina institutione est in Ecclesia potest esse:

1.° Fori *externi* aut fori *interni* seu conscientiae, tum *sacramentalis*, tum *extra-sacramentalis* (*can.* 196).

2.° *Ordinaria* aut *delegata*.

3.° *Voluntaria* aut *judicialis*.

361. — **Jurisdictio fori interni** directe et primario ad bonum privatum fidelium spectat, relationes morales inter hominem et Deum regit, et *per se* et communiter in occulto exercetur.

Haec jurisdictio potest esse *sacramentalis* et *extra-sacramentalis*. *Sacramentalis* ea est quae sub sigillo confessionis in sacramento Poenitentiae exercetur, et sacramentalem semper confessionem, saltem inchoatam, requirit; *extra-sacramentalis* vero ea est quae extra praedictum sacramentum exercetur, ita tamen ut solum in foro conscientiae vigorem habeat. Cfr. *Wernz*, l. c., *vol.* 2, *n.* 3 *seq.*, *n.* 828, II; *Ferreres*, La Curia, *n.* 161.

362. — **Jurisdictio fori externi** ea est quae primario et directe bonum publicum et commune Ecclesiae et fidelium respicit, relationes sociales regit, publice in facie Ecclesiae exercetur, et effectus producit juridicos et sociales.

Dispensationes, sententiae, etc., in foro externo prolatae valent *per se* etiam in foro interno seu conscientiae; at prolatae in foro interno non valent pro foro externo. Vide can. 202, § 1. Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 162, 163.

363. — Jurisdictio **voluntaria** est non solum ea quae gratiis et favoribus concessis exercetur, ideoque etiam *gratiosa* vocari solet, sed etiam ea omnis quae sine judiciali processu nec appellationis jure exercetur.

Jurisdictio voluntaria negotia decidere contendit, non tam stricto jure, quam *ex aequo et bono*, summarie, per viam oeconomicam et administrativam, sine formato processu, *absque strepitu ac figura judicii*, juxta id quod in casu aequius et ad generale Ecclesiae bonum, ad vitam christianam, ad ecclesiasticam disciplinam opportunius videatur.

364. — **Judicialis** ea est quae stricta judicii forma exercetur, omnibus normis a jure praescriptis, ita ut per sententiam finiri debeat *ad apicem juris* latam, integro servato legis rigore, quin illum judices immutare possint. *Ferreres*, l. c., *nn.* 165-167.

365. — **Potestas ordinaria** jurisdictionis ea est quae jure ipso adnexa est officio; **delegata**, quae commissa est personae (*can.* 197, § 1).

Ordinaria potestas potest esse *propria* (v. gr., in Episcopo) aut *vicaria* (v. gr., in Vicario Generali) (*Ibid.*, § 2).

366. **Ordinarius.** — Nomine *Ordinarii* designantur in jure (nisi aliquis expresse excipiatur) praeter Romanum Pontificem, Episcopus residentialis, Abbas seu Praelatus *nullius* et eorum Vicarii Generales, Administrator, Vicarius, Praefectus Apostolicus, itemque ii qui praedictis deficientibus interim ex juris praescripto (v. gr. Vicarius Capitularis) aut ex probatis constitutionibus succedunt in regimine in suo quisque territorio; denique Superiores majores pro suis subditis in Ordinibus clericalibus exemptis (*can.* 198, § 1).

367. **Ordinarius loci.** — Nomine *Ordinarii loci* seu *locorum* designantur omnes praedicti, exceptis Superioribus religiosis (*Ibid.*, § 2).

368. — QUAER 1.° *Quinam* **jurisdictionem** *delegare aut subdelegare* possunt?

Resp. 1.° Qui eam ordinariam habet, alteri eam *delegare* potest, nisi aliud expresse jure caveatur (*can.* 199, § 1), ut v. gr. cavetur de Canonico Poenitentiario.

2.° Qui eam ab Apostolica Sede delegatam habet, potest eam *subdelegare*, etiam habitualiter, nisi in eo industria personae quaesita fuerit, aut ei subdelegatio prohibita sit (*Ibid.*, § 2).

3.° Qui eam delegatam habet *ad universalitatem causarum* ab eo qui infra Romanum Pontificem habet potestatem ordinariam, solum pro singulis casibus, non vero habitualiter eam delegare potest (*Ibid.*, § 3).

4.° Nemo alius delegatam potestatem subdelegare potest nisi ad hoc expressa facultas ipsi concedatur; possunt tamen articulum aliquem non jurisdictionalem sine expressa commissione *judices delegati* subdelegare (*Ibid.*, § 4).

5.° Nulla **subdelegata** potestas, potest *iterum subdelegari*, nisi id expresse concessum fuerit (*Ibid.*, § 5).

369. **Potestatis jurisdictionis interpretatio.** — Potestas ordinaria et ad universalitatem causarum delegata, late interpretanda est; alia quaelibet stricte, ita tamen ut in ea omnia ad ejus exercitium necessaria includantur (*can.* 200, § 1).

Qui potestatem *ordinariam* habet, eam probare non tenetur; ei qui *delegatam* habere se asserit, incumbit onus probandae delegationis (*Ibid.*, § 2).

370. — QUAER. *Cum quibus, et ubi jurisdictionis et ordinis potestas exerceri potest?*

Resp. 1.° *Jurisdictionis*, sive ordinaria sive delegata *potestas* in solos subditos directe exerceri potest (*can.* 201, § 1).

2.° *Judicialis*, tam ordinaria quam delegata, exerceri nequit in proprium commodum, nec extra territorium, aut in subditum a territorio absentem, salvis praescriptis can. 401, § 1; 881, § 2; et 1637 (*Ibid.*, § 2).

3.° Potestas jurisdictionis *voluntariae* seu non judicialis in proprium etiam commodum, aut extra territorium, aut in subditum a territorio absentem exerceri potest, nisi aliud ex rerum natura aut ex jure constet (*Ibid.*, § 3).

371. **Forum in quo jurisdictio exerceri potest.** — I. Potestas, tam ordinaria quam delegata, solum in eo foro exerceri potest pro quo collata fuit; quamvis autem actus potestatis pro foro externo collatae valeant etiam in interno, non tamen e converso (*can.* 202, § 1).

Actus positi in foro *externo* valent pro interno; si tamen *potestas* est tantum *pro foro externo*, tales actus *in foro interno* fieri nequeunt. Ita, v. gr., Episcopi in foro externo a crimine haeresis absolvere possunt, eorumque absolutio in dicto foro, praevia denuntiatione aut voluntaria praesentatione excommunicati in tribunali ecclesiastico, valet etiam pro foro interno. Si tamen excommunicatus sistit se non in tribunali ecclesiastico, sed coram Episcopo ut *confessario*, non potest hic auctoritate propria eum in foro interno absolvere, quia excommunicatio pro illo foro est Papae reservata.

II. Potestas pro foro interno collata exerceri etiam potest in foro interno *extra-sacramentali*, nisi sacramentale exigatur (*Ibid.*, § 2).

III. Si forum pro quo potestas data est, expressum non fuerit, potestas intelligitur concessa pro utroque foro, nisi ex ipsa rei natura aliud constet (*Ibid.*, § 3).

372. **Delegatae jurisdictionis limites.** — Delegatus limites sui mandati excedere nequit, nec quantum ad res, nec quantum ad personas spectat; secus actus, in eo quod excedit, est nullus (*can.* 203, § 1).

Non censetur tamen excedere ex eo quod mandatum alio modo ac a delegante assignatum erat, exsequatur, nisi modus ipse fuerit a

delegante praescriptus ad validitatem tanquam conditio (*Ibid.*, § 2).

373. **Inferior cum ad Superiorem recursus factus est.** — Si quis directe ad Superiorem recurrat in negotio quod ab inferiore expediri poterat, non idcirco inferior potestatem suam voluntariam, sive ordinariam sive delegatam, amittit; sine *gravi* tamen et *urgente* causa, rei ad Superiorem delatae se immiscere non debet: quod si faciat, statim Superiorem ipsum monere debet (*can.* 204).

374. QUAER. 1.° *Quomodo interpretanda sit delegatio pluribus pro eodem negotio commissa?*

Resp. 1.° In dubio, supponitur ea facta *in solidum*, si jurisdictio sit voluntaria; *collegialiter*, si sit judicialis (*can.* 205, § 1).

Cum autem *in solidum* fit, qui primo negotium occupavit, ceteros excludit, nisi postea impedimentum occurrat, aut ipse ulterius procedere nolit (*Ibid.*, § 2).

Si fit *collegialiter*, omnes conjunctim in expediendo negotio procedere debent, ut actus sit *validus*, nisi delegans, in ipsa delegatione, aliud declaraverit (*Ibid.*, § 3).

Resp. 2.° Si delegatio pluribus *successive* de eodem negotio facta sit, ille negotium expedire debet qui antea delegatus est, nisi posteriore rescripto prius irritetur (*can.* 206).

375. — QUAER. 2.° *Quando potestas delegata* **cessat**, *quando autem ordinaria?*

Resp. 1.° **Delegata** potestas cessat seu extinguitur: *a*) expleto mandato; *b*) elapso tempore aut exhausto numero casuum pro quo concessa fuit; *c*) cessante causa finali delegationis; *d*) revocatione delegantis delegato directe intimata, aut renuntiatione delegati deleganti directe intimata et ab eodem acceptata; non tamen cessat ex eo quod jus delegantis extinguatur, nisi aut in rescripto Papae vel Ordinarii id expresse caveatur, aut delegatio detur ad gratiam personis determinatis concedendam et negotium adhuc integrum sit (*can.* 61 et 207, § 1).

Si plures collegialiter delegantur, deficiente uno, cessat omnium delegatio, nisi aliud ex tenore delegationis constet (*can.* 207, § 3).

2.° Potestas **ordinaria**: *a*) *non cessat* resoluto, id est, cessante jure concedentis officium cui annexa est; sed *b*) *cessat*, si is qui eam habet, officium, cui potestas annexa est, amittat; *c*) *silet*, id est, suspenditur, cum legitime interponitur appellatio, nisi haec tantum sit *in devolutivo*, firmo de cetero praescripto can. 2264, 2284 (*can.* 208).

376. — QUAER. 3.° *Quando jurisdictio ordinaria* **suppletur?**

Resp. 1.° Cum in foro *interno per inadvertentiam* aliqui actus ponuntur, elapso jam tempore vel exhausto numero casuum pro quo potestas in illo foro concessa erat (*can.* 207, § 2).

2.° In errore communi aut in dubio probabili *sive juris sive facti*, jurisdictionem supplet Ecclesia pro foro tum externo tum interno (*can.* 209).

N. B. — Potestas *ordinis*, sive annexa officio a Superiore ecclesiastico, sive ab eo delegata personae, nequit aliis delegari aut subdelegari, nisi id expresse fuerit jure vel indulto concessum (*can.* 210).

TITULUS VI

De reductione clericorum ad statum laicalem

377. — I. Ordinatio sacra, semel valide recepta, nunquam irrita fit (*can.* 211, § 1).

II. Clerici tamen ad statum laicalem redigi possunt (*Ibid.*).

QUAER. 1.° *Quo pacto clerici in statum laicalem rediguntur?*

Resp. 1.° Clerici majores, id est, ordinati *in sacris*, ad statum laicalem reducuntur: *a*) rescripto Sanctae Sedis; *b*) decreto aut sententia ad normam canonis 214; *c*) poena degradationis, de qua postea (*can.* 211, § 1).

Resp. 2.° Clerici minores reducuntur: *a*) *ipso facto* ob causas in jure descriptas, v. gr., si sponte aut sine debita licentia saecularem militiam capessant (*can.* 141), vel habitum clericalem non deferant (*can.* 136, § 3), etc. Vide supra, *nn.* 293-295; *b*) propria ipsorum voluntate, monito prius Ordinario loci; *c*) Ordinarii decreto justa de causa lato, si nempe Ordinarius, omnibus perpensis, prudenter judicaverit clericum non posse cum decore status clericalis ad ordines sacros promoveri (*Ibid.*, § 2).

QUAER. 2.° *Quid requiritur ut clericus in statum laicalem redactus, inter clericos iterum admittatur?*

Resp. 1.° Ut clericus in minoribus ordinibus constitutus denuo admittatur, requiritur licentia Ordinarii dioecesis cui incardinatus fuit per ordinationem, quae non concedetur nisi *a*) post *diligens examen* super vita et moribus, et *b*) post *congruum*, judicio ipsius Ordinarii, *experimentum* (*can.* 212, § 1).

Resp. 2.° Ut clericus major admittatur, indiget licentia Sanctae Sedis (*Ibid.*, § 2).

378. — QUAER. 3.° *Quinam sunt effectus reductionis aut regressus legitimi ad statum laicalem?*

Resp. 1.° Ita reducti aut regressi, eo ipso *amittunt* omnia officia, beneficia, jura et privilegia clericalia, et vetantur in habitu ecclesiastico incedere ac tonsuram deferre (*can.* 213, § 1).

Resp. 2.° At clerici majores obligatione coelibatus tenentur (*Ibid.*, § 2).

QUAER. 4.° *Quid si clericus ordines majores suscepit metu gravi coactus?*

Resp. Tali casu, legitime probatis coactione et ratihabitionis defectu (1), sententia judicis in statum laicalem reducendus est, sine ullis coelibatus ac horarum canonicarum obligationibus (*can.* 214, § 1).

Ratihabitio locum haberet, si ex metu ordinatus, ut dictum est, postea remoto metu, eamdem ordinationem ut bonam, saltem implicite per ordinis exercitium, acceptaret, volens etiam per tale exercitium obligationibus clericalibus se subjicere (*Ibid.*).

SECTIO II

DE CLERICIS IN SPECIE

379. — Postquam ea quae omnibus clericis sunt communia, in prima sectione hujus libri exposita sunt, gradum facit Codex, in *sectione secunda*, ad ea quae nonnullorum ex eis propria sunt et peculiaria.

Quoniam vero ad intelligenda quae de his dicuntur, opportuna est cognitio divisionis territorialis Ecclesiae, idcirco in limine ipso tractatus, proponitur dicta divisio.

380. — *Dioecesis* dicitur ea territorii, in quo hierarchia ecclesiastica constituta est, pars determinata quae Episcopo alicui ex jure committitur, ut ipsam, tanquam legitimus ejus pastor, nomine proprio regat; Episcopus autem hac de causa *residentialis* vocatur, quia in propria dioecesi residere ac eamdem nomine proprio regere tenetur.

Praelatura nullius seu *abbatia nullius* est territorium separatum, in regionibus quidem in quibus ecclesiastica hierarchia constituta est, nulli tamen Episcopo subjectum, in quo Praelatus inferior nomine proprio jurisdictionem exercet. Dicitur autem *nullius*, id est ad *nullum Episcopum* pertinens, quia a *nullo residentiali* Episcopo pendet. Vide *n.* 622 *seq.*

Provincia ecclesiastica est plurium dioecesium complexus, cui praeest Archiepiscopus, habens praeterea intra eam propriam et peculiarem dioecesim.

Vicariatus Apostolici et *apostolicae praefecturae* sunt determinatae partes territorii Ecclesiae in quibus hierarchia ecclesiastica nondum constituta aut restaurata est; ideoque, per Episcopos titu-

---

(1) Hujusmodi causae juxta canones 1993-1998 expediuntur. Generatim eae a Sacra Congregatione de Disciplina Sacramentorum decidendae sunt, praevio processu informativo in Curia dioecesana clerici propria tempore suae ordinationis (*can.* 214, § 2).

lares, si sint Vicariatus, per Praefectos autem, generatim non Episcopos, si sint Praefecturae, nomine Summi Pontificis gubernantur. Vide *n.* 600 *seq.* Cf. *Ferreres*, La Curia, *nn.* 5, 6.

381. — Potestati ecclesiasticae supremae, quae est Summi Pontificis, reservatur provincias ecclesiasticas, dioeceses, abbatias vel praelaturas *nullius*, vicariatus apostolicos, praefecturas apostolicas erigere, aliter circumscribere, dividere, unire et supprimere (*can.* 215, § 1).

382. — In jure nomine *dioecesis* comprehenditur etiam abbatia vel praelatura *nullius*, et nomine Episcopi, Abbas vel Praelatus *nullius*, nisi ex natura rei vel sermonis contextu aliud constet (*Ibid.*, § 2). Cfr. infra, *n.* 680, *N. B.*; 756 *seq.*

383. — Territorium cujuslibet dioecesis in distinctas partes territoriales dividendum est: unicuique autem parti sua peculiaris ecclesia cum populo determinato est assignanda, suusque peculiaris rector, tanquam proprius ejusdem pastor, est praeficiendus, pro necessaria animarum cura (*can.* 216, § 1). Hae partes sunt paroeciae (*Ibid.*, § 3).

Pari modo vicariatus apostolici et praefecturae apostolicae, ubi commode fieri possit, dividi debent (*Ibid.*, § 2). — Hujusmodi partes dicuntur *quasi-paroeciae*, at eo nomine solum gaudent, si peculiaris rector eisdem fuerit assignatus (*Ibid.*, § 3). Vide supra, *nn.* 163, 164.

De *paroeciis personalibus* loquitur § 4 hujus canonis 216. Vide dicta *n.* 164, 8.°

384. — Episcopus territorium suae dioecesis in regiones seu districtus distribuere debet, pluribus paroeciis constantes, qui dicentur *vicariatus foranei*, *decanatus*, *archipresbyteratus*, etc. (*can.* 217, § 1).

Si in aliqua dioecesi, perpensis adjunctis, haec divisio impossibilis aut inopportuna videatur, Episcopus Sanctam Sedem consulere debet, nisi ab eadem jam fuerit provisum (*can.* 217, § 2).

385. — In Hispania jus concordatum de hac re constat ex Regio Decreto 21 novembris 1851, cujus verba sunt sequentia:

«A fin de facilitar cuanto sea posible la ejecución del último Concordato... vengo en disponer lo siguiente:

Artículo I: Se dirigirá a los diocesanos cédula de ruego y encargo para que nombren desde luego arciprestes amovibles *ad nutum*, poniendo uno al menos en cada partido judicial, excepto el de la capital de la diócesis, para que ejerzan las funciones de vicarios foráneos con las limitaciones que los mismos diocesanos tengan por conveniente establecer y a fin de que, realizada que sea la nueva circunscripción de diócesis, pueda procederse sin demora a la demarcación de parroquias, según dispone el art. 24 del Concordato, formándose los correspondientes planes beneficiales. Los diocesanos me noticiarán las personas que nombren para estos cargos.

Art. 2.° Los diocesanos procurarán, en cuanto ser pueda, que los nom-

bramientos de arcipreste recaigan en eclesiásticos que residan habitualmente en la cabeza del partido judicial.

ART. 3.° El Ministro de Gracia y Justicia dará las disposiciones convenientes para la ejecución del presente decreto. Dado en Palacio a 21 de noviembre de 1851.» (C. L., *t.* 54, *pag.* 441). Cfr. *Alcubilla,* v. Concordatos, *pag.* 141 (*vol.* 4), ed. 6.ª, 1915.

Praeterea, in Regia Schedula 3 januarii 1854 legitur:

«I. Las diócesis se mantendrán divididas en arciprestazgos.» *Ibid., pag.* 149.

TITULUS VII

De suprema potestate deque iis qui ejusdem sunt ecclesiastico jure participes

386.— Hoc titulo Codex agit non solum de Summo Pontifice, cui *jure divino* exclusive competit *suprema* jurisdictionis potestas, sed etiam de iis qui *jure ecclesiastico* hujus supremae potestatis participes sunt. Qua voce comprehenduntur Concilium oecumenicum, Cardinales, Curia Romana, Legati Pontificis, Patriarchae, Primates et Metropolitani, Concilia plenaria et provincialia, Vicarii et Praefectus apostolici, Administratores apostolici, Praelati *nullius;* omnes enim hi, ut suis locis exponetur, jurisdictionem aliquam a Papa derivatam exercent, quae tantum in suprema ipsius potestate fundamentum habet. Solum de Concilio oecumenico difficultas moveri posset, non quidem in eo quod supremam Pontificis potestatem participet, haec enim potestas essentialis et valde praecipua in Concilio est, sed in eo quod participatio *ex jure ecclesiastico* proveniat. Constabit id tamen ex eo quod saltem plures ex his qui in Concilio suffragii deliberativi jure gaudent, ut Cardinales, Ordinum religiosorum Superiores generales, etc., a Summo Pontifice hoc jus acceperunt. Vide praeterea *n.* 429.

CAPUT I

DE ROMANO PONTIFICE

387.— Tractatum de clericis in specie exorditur Codex, ut aequum erat, ab eo qui eorum omnium et Ecclesiae totius caput est, videlicet a Romano Pontifice.

ARTICULUS I

DE ROMANI PONTIFICIS POTESTATE

388. **Ejus potestatis amplitudo.** — Romanus Pontifex, Petri in primatu Successor, praeter potestatem ordinis, habet etiam non solum primatum honoris, sed supremam et plenam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, tum in rebus quae ad fidem et mores, tum in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent (*can.* 218, § 1).

389. **Hujus potestatis natura.** — Haec potestas *a*) est suprema in triplici ordine legifero, judiciali et coërcitivo; *b*) est vere episcopalis, ordinaria et immediata, tum in omnes et singulas ecclesias, tum in omnes et singulos pastores et fideles; *c*) est a quavis humana auctoritate independens (*Ibid.*, § 2), ut ex ipsa Ecclesiae natura constat. Vide supra, *nn.* 41-45.

Est insuper Romanus Pontifex Patriarcha Occidentalis, Primatus Italiae et adjacentium insularum, Archiepiscopus provinciae ecclesiasticae Romanae et Episcopus dioecesis Romanae, ad quam gubernandam Cardinalem Vicarium nominat.

390. **Corollaria.** — 1.° Ex natura hujus potestatis sequitur primo officium invigilandi statui totius Ecclesiae et singularum partium ipsius, atque inde jus libere communicandi cum omnibus Episcopis et fidelibus, et legatos suos quocumque mittendi ut certiorem de rebus notitiam habere possit. Cfr. *Conc. Vatican.*, *sess.* 4, *c.* 3.

2.° Ex eadem suprema potestate oritur facultas derogandi et abrogandi quamcumque legem a decessoribus suis latam, eamdem enim ac illi potestatem habet; itemque leges a Conciliis oecumenicis datas derogandi aut abrogandi, ut ex historia eum perpetuo fecisse constat: habet enim omnem necessariam potestatem ad decernendum quidquid Ecclesiae bono opportunum sit, ad quod interdum dispensatione, abrogatione, etc., etiam in legibus oecumenicorum Conciliorum, opus est.

3.° Quidquid igitur in Ecclesia est juris humani, totum id plenitudini potestatis Romani Pontificis subjectum est. Propterea Papa superior canonibus dicitur, sive hi ab aliquo ex decessoribus suis, sive ab oecumenicis Conciliis procedant; potiore autem jure superior est quocumque decreto ab Episcopis aut a Conciliis non oecumenicis orto, hi enim omnes, ut inferiores, Pontifici, ut superiori suo subditi sunt.

Ea tantum quae ad jus naturae aut ad divino-positivum pertinent, Pontificis potestatem excedunt, qui tamen de ipsis authenticam interpretationem tradere potest.

391. **Causae majores.** — *Causae majores* appellantur quae uni Romano Pontifici reservantur, sive natura sua, sive positiva lege (*can.* 220). Ad primam speciem pertinent: *a*) quae infallibilitatis exercitium requirunt, ut canonizatio sanctorum, et *b*) quae supremam requirunt potestatem, quia vel ad Ecclesiam universalem, vel ad relationes peculiarium ecclesiarum cum suprema potestate, vel ad ipsarum particularium ecclesiarum relationes inter se, spectant. Cfr. *Cavagnis*, *lib.* 2, *n.* 25 (*vol.* 1, *pag.* 438).

Tum natura sua, tum jure positivo, ad Romanum Pontificem pertinent definitiones dogmaticae et res necessario cum illis connexae; potestas leges pro universa Ecclesia obligaturas sive per se ipsum aut cum Concilio oecumenico ferendi et super illis dispensandi; appellationes in Ecclesia contra quorumcumque tribunalium sententias interpositas excipiendi et de causis quibuscumque, etiam in prima instantia, judicandi. *Conc. Vat.*, l. c., *cap.* 13; *Trid.*, *sess.* 24, *cap.* 20, *de ref.* — Ad eum item pertinet erectio, suppressio, etc., dioecesium, vicariatuum apostolicorum, etc., ut *n.* 381 dictum est; majorum officiorum et beneficiorum concessio (vide *n.* 309); causae criminales contra Episcopos; censurae contra reges et primaria capita Status, etc.; quidquid etiam ad liturgiam, ad sacramenta, ad festorum institutionem et abrogationem, privatorum oratoriorum concessionem, ad indulgentias qua plenarias, qua partiales pro defunctis concedendas, ad impedimenta matrimonii dirimentia abroganda, et super his dispensandum spectat. Pertinet etiam ad ipsum Concilia oecumenica convocare, et celebrationi concilii cujuslibet plenarii aut nationalis assentiri; capitula canonicorum erigere, ordines religiosos votorum solemnium approbare, ab ordinaria potestate quempiam eximere.

Est praeterea bonorum omnium Ecclesiae supremus administrator.

392. **Quando et quo pacto jurisdictionem acquirat.** — Supremam jurisdictionis potestatem jure divino Romanus Pontifex obtinet statim ac electione canonica designatus, electionem ipse acceptat (*can.* 219). Vide can. 109, antea in *n.* 244 allegatum.

Jurisdictionem in casu per collationem, institutionem aut Superioris ecclesiastici confirmationem accipere nequit, cum Papa superiorem nullum habeat; nec eam Ecclesia sumpta pro collectione omnium clericorum, aut omnium clericorum cum reliquis fidelibus, ipsi conferre valet, nunquam enim hoc sensu Ecclesia pontificiam potestatem a Christo accepit; nec a Collegio tandem Cardinalitio eam recipere potest, cum ipsum Collegium recentis sit ecclesiasticae institutionis. Restat ergo ut solum a Deo immediate, jure divino, eam recipiat.

393. **Quo pacto cesset jurisdictio pontificia.** — Non solum *per mortem* cessat, sed cessare insuper potest *a*) ob renuntiationem,

quae valida est quin eam ullus acceptet (*can.* 221), Papa enim nec superiorem habet, nec ab ullo jurisdictionem, nisi a solo Deo, recipit; *b*) ob amentiam certam, quae moraliter perpetua censeatur, haec enim morti aequipollens est, et *c*) ob incursam haeresim notoriam et publice divulgatam (1).

ARTICULUS II

ROMANI PONTIFICIS ELECTIO

394. **Principium fundamentale.** — Christus Dominus Sancto Petro primatum honoris et jurisdictionis non pro se solo, sed etiam perpetuo pro omnibus suis successoribus contulit, sicut Ecclesia supra Petrum fundata duratura erat.

Unde (vide dicta *nn.* 244 et 392), jure divino, qui Sancti Petri in episcopatu successor electus fuerit, is Petri primatum super universam Ecclesiam obtinet.

Christus autem Dominus formam non definivit qua singuli Petri successores designandi forent, sed hanc formam prudentiae suae Ecclesiae commisit, ad quam tanquam ad societatem perfectam, et imprimis ad ejus caput, Romanum Pontificem, jure divino pertinet formam talis electionis aut designationis determinare, prout adjuncta eam postulent, quin in hoc negotium personae laicales aut potestas saecularis ulla immiscere se possint.

395. — Disputant doctores an Romanus Pontifex potestate gaudeat **successorem** *sibimetipsi designandi.* Videtur quidem Felix IV (526-530) de facto successorem suum Bonifacium II (530-532) designasse, qui etiam successorem suum designavit, licet designationem tandem retractaverit. Probari certo nequit Romanum Pontificem in hoc limitatam habere plenitudinem apostolicae potestatis, si aliquo casu extraordinario id Ecclesiae bono admodum conveniens judicaret. Hoc tamen medium tanquam ordinarium constitui posse non videtur.

396. **Historica animadversio.** — De facto, modus electionis Papae diversis temporibus diversus fuit. Initio, electio Romani Pontificis modo simili fiebat ei qui in electione aliorum Episcoporum occidentalium communis erat, scilicet, a clero Romano, confirmantibus Episcopis finitimis, et praesente populo, qui testimonio suo electi dignitatem comprobabat. Vide *Ferreres,* La Curia, *n.* 91.

Communiter electio sacerdotem e clero Romano designabat. Pontifex fieri non poterat is qui jam esset Episcopus (Cfr. *Migne,* P. L., *vol.* 105,

(1) Cfr. de his capitibus *b*) et *c*) *Bellarminum,* De Rom. Pont., *lib.* 2, *cap.* 17, 18, 30; *Wernz,* Jus Decretal., *vol.* 2, *nn.* 614 *seq.*; *Wilmers,* De Ecclesia Christi, *pag.* 258.

col. 40, *nota* p). Formosus († 896) primus fuit qui ex Episcopo (Sedem quidem suburbicariam Portus occupabat) factus est Papa. Episcopi usque ad id tempus primam sedem donec ad mortem pervenirent retinebant.

Haec forma, decursu saeculorum, pluries mutata est. Cfr. *Wernz, vol.* 2, *n.* 570 *seq.*

Die 13 april. 1059 Nicolaus II, in Concilio Lateranensi, decrevit electionem a Cardinalibus Episcopis faciendam (*Wernz, n.* 573), de consensu ceterorum Cardinalium et reliqui cleri et populi romani, salvo quodam privilegio Imperatori concesso. Cfr. *Ferreres,* l. c., *n.* 92.

Attamen *Liber Pontificalis,* 60 annis postea, dum electionem Gelasii II (1118-1119) narrat, expresse ait Cardinales-Episcopos tantummodo ad electum confirmandum et consecrandum electioni interesse (*Ferreres,* l. c., *n.* 94). Fortasse decretum Nicolai II receptum non fuerat, ut innuit Mabillon. Cfr. *Migne,* P. L., *vol.* 78, *col.* 916, 917.

Tandem, anno 1179, Alexander III electionem Romani Pontificis solis et omnibus Cardinalibus reservavit, nulla inter eos distinctione facta. Vide *cap.* 6, *lib.* 1, *tit.* 6 Decretal. Cfr. *Ferreres,* l. c., *n.* 96.

397. **Disciplina praesens.** — Juxta Codicem (can. 160), electio Summi Pontificis unice regitur const. Pii X *Vacante Sede Apostolica,* 25 dec. 1904 (1).

398. — **Pontificis electores.** — Sunt *a*) *omnes Cardinales,* licet excommunicati, suspensi, interdicti sint; *b*) *soli Cardinales,* exclusis quibusvis aliis personis sive ecclesiasticis sive laicis (*nn.* 27, 29), quae suffragium ad electionem habere nequeunt, nequidem praetextu supplendi aut repraesentandi Cardinales absentes, quocumque detineantur impedimento. Leo XIII, const. *Praedecessores,* 24 maji 1882: *Acta Pii X,* III, *pag.* 295.

Si Papa decedat dum oecumenicum Concilium celebratur, Concilium dissolvetur *ipso facto* accepta notitia mortis, quin ulterius sessionem ullam habere aut convocare possit, donec novus Pontifex aliter disponat (*n.* 28). Vide infra, *n.* 439.

Suffragio carent Cardinales canonice a Papa *depositi,* aut qui dignitati Cardinalitiae, consentiente Romano Pontifice, renuntiaverunt, quin possit Sacrum Collegium in casu eos, nequidem ad ferendum suffragium, habilitare (*n.* 31).

Sine certo et indubitato privilegio Papae, suffragio etiam carent Cardinales qui saltem Diaconatus ordinem non acceperint (*n.* 32).

399. **Tempus.** — Cardinales praesentes absentes exspectare debent per decem dies, quibus exequiae defuncti Pontificis celebrantur; die autem undecimo Conclave ingredi tenentur, non expectatis iis qui nondum advenerunt (*n.* 33); qui tamen, si supervenerint antequam electioni finis imponatur, admittendi sunt (*n.* 34).

---

(1) Ceteri numeri nunc allegandi numeris praedictae const. *Vacante Sede Apostolica* respondent, quae ad calcem Codicis, Doc. I, posita est.

Cardinales omnes gravi obligatione tenentur, postquam de morte Pontificis ex officio certiores facti sint, iter aggredi ut electioni novi Pontificis intersint (*n.* 35).

400. — Si quis Cardinalis Conclave ingredi nolit, aut, postquam ingressus est, inde sine manifesta infirmitatis causa recedat, illius nulla ratio habetur. Si autem ex causa infirmitatis egressus sit, et antequam electio perficiatur convaluerit, iterum admittendus est, si redire velit (*n.* 36).

401. **Locus electionis**. — Electio communiter Romae facienda est; in aliquo tamen casu extraordinario, quo libertas electionis periclitaretur, Cardinales alium locum eligere possent. Cfr. const. Leonis XIII *Praedecessores nostri*, apud *Acta Pii X*, *vol.* 3, *pag.* 293 *seq.*

Facienda est electio in Conclavi clauso, quo tantum Cardinales, conclavistae et ceteri officiales de quibus agit Const. *Vacante Sede Apostolica*, ingredi possunt. In eadem constitutione describitur rigor quo Conclave claudendum est, itemque modus et cautio qua stricte necessaria communicatio cum externis inibi statuenda est.

Ex Leonis tamen XIII et Pii X praescripto, electio valida esset, licet Conclave non clauderetur (*n.* 17).

Tum Cardinales, tum conclavistae omnes obligant se, jurejurando et sub excommunicationis poena, ad secretum, etiam post electionem peractam, stricte servandum de omnibus quae directe aut indirecte ad electionem spectant (*nn.* 51-53).

402. **Electionis forma**. — Duplici extraordinaria, una vero ordinaria forma electio fieri potest.

Extraordinariae sunt: 1.ª per *quasi-inspirationem*, si, stantibus omnibus in Conclavi, eoque clauso, unus e Cardinalibus, antequam de persona singulari tractatus ullus habitus sit, aliquem eligendum proponeret, eique suffragium suum deferret; reliqui autem omnes Cardinales, nullo excepto, nequidem ex illis qui intra ipsum Conclave aegrotant, manifeste viva voce, aut sin minus possunt, scripto, eidem suffragium etiam suum darent; talis per quasi-inspirationem electus esset (*n.* 55).

2.ª Per *compromissum*, si omnes Cardinales, ne uno quidem excepto, in Conclavi jam clauso, de committendo negotio electionis *tribus*, *quinque* aut *septem* (non minori nec majori numero) conveniant, intimata ipsis norma et regula quam sequi debent. Qui juxta praefixam illis normam eligeretur, Pontifex esset (*n.* 56).

403. — **Ordinaria forma** est *per scrutinium*, juxta quam Pontifex erit qui saltem duas tertias partes suffragiorum habeat, a Cardinalibus in Conclavi praesentibus secreto latorum (*n.* 57).

404. — Quoniam nullus sibi ipsi suffragium dare potest, si ele-

ctus stricte duas tertias partes obtineret, quaerenda esset schedula in qua ille suffragium tulit, ut appareat num illud sibi ipsi dederit. Quo casu, defectu unius voti, Papa non esset (*n.* 170) (1).

405. — Usque ad electionem Pii X inclusive, post quodvis scrutinium quo nullus e candidatis duas tertias partes adeptus erat, sequebatur is qui dicitur **accessus**. Cfr. const. Greg. XV *Aeterni*, § 10 *seq.*

Pius X, per const. *Vacante* (*n.* 76) accessum, utpote *formam* valde implexam suppressit, et loco illius jussit ut tum mane tum vespere post primum inutile scrutinium, secundum aliud scrutinium (2) fiat, quo electio facilior evadet.

406. — QUAER. *An valida foret electio Papae, si nonnulli, plures aut etiam omnes Cardinales suffragium ferrent metu gravi ob externam causam adacti?*

Resp. Affirm., ex jure naturae; quia vero jure positivo talis electio non irritatur, ideo etiam jure positivo valida esset. Cfr. *Wernz*, II, *n.* 581.

407. **Quis eligi possit.** — *Valide* quicumque impedimentum ex jure divino non habens eligi potest; adeoque sufficit si sit masculus, baptizatus, catholicus, et necessario rationis usu praeditus ad acceptandam electionem et jurisdictionem exercendam. Quamobrem, solum mulieres, pueri usu rationis adhuc destituti, amentes, non baptizati, haeretici et schismatici excluduntur. Impedimentum quod simoniacos afficiebat a Pio X sublatum est, const. *Vacante Sede*, *n.* 79.

Licite is tantum eligi potest qui, omnibus perpensis adjunctis, dignior censetur.

Itaque, nulla lex italum eligere cogit, quamvis ab Adriano VI (1522-1523) omnes Pontifices itali fuerint; nec ad Cardinalem eligendum, licet a tempore Urbani VI (1378-1389), qui dum electus fuit, Cardinalis non erat, sed tantum Archiepiscopus Barensis, ceteri omnes ex Cardinalatu ad thronum pontificium evecti sint.

---

(1) Quodlibet suffragium continet scriptum non solum nomen candidati cui tribuitur, sed etiam Cardinalis suffragantis, quod postremum clausum, occultum et obsignatum manet, ut in casu reserari possit. Quodlibet insuper suffragium suam tesseram habet a solo suffragante cognitam: quare, ubi opus est nomen recognoscere, interrogatur de tessera schedulae apposita. Vide in fine Codicis, Doc. I, *n.* 61 *seq.*

(2) Horis scrutinii plurima multitudo in plateam S. Petri concurrere solet, ante Palatium Vaticanum, nomen novi Pontificis exspectatura. Cum e scrutiniis nemo electus evadit, in fine secundi (antea in fine *accessus*), schedulae scrutinii ita comburuntur ut eis aliquid humidae paleae addatur, unde niger fumus (*la sfumata*) procedit, quod expectantibus indicat nondum Papam electum fuisse. Postquam vero electio feliciter evasit, cremantur sine additione, unde oritur fumus albus, isque ob significationem electi Papae laetitiam exspectantibus affert.

ARTICULUS III

DE VETO SEU EXCLUSIVA IN ELECTIONE ROMANI PONTIFICIS

408. **Notio.** — *Veto* seu *exclusiva* prout saeculis XVIII et XIX id interpretatum est, dicitur jus quod nonnullae nationes se habere contendebant, excludendi vid. in singulis Conclavibus unum e candidatis, ita ut hoc modo exclusus Pontifex eligi non posset (1).

409. **Quaenam nationes et cur sibi tale jus arrogaverint.** — Nationes quae sibi tale jus arrogaverant tres numerantur: Hispania, Gallia et Austria (2).

Quoad peculiarem rationem qua hujusmodi pretensum jus sibi arrogabant Hispania, Gallia et Austria, haud facile est eam assignare. Ajunt nonnulli has nationes veluti successionem adiisse restaurati imperii Occidentalis, cujus Imperator Ecclesiae advocatus et protector censebatur: eamque successionem Galliae competere ideo quia Carolus Magnus hujus imperii restaurator exstitit; Austriae, quia in ea et in ipsius Imperatore haereditas et potestas talis imperii conservata est; Hispaniae tandem, quia eamdem haereditatem ex Imperatore Carolo V consecuta est. *Ferreres*, l. c., *nn.* 32, 33.

410. **Vera causa.** — Vera autem causa ea videtur fuisse, quod, cum hae tres nationes tota praedicta periodo fere unicae potentiae catholicae, eaeque admodum validae fuerint, majori aliquo jure se praeditas censuerunt ut se in electionem ingererent, eaque intrusio facilius ipsis tolerata fuit, tum quia Ecclesiam protegebant, tum quia si earum displicentiae locus daretur, magnum rei catholicae damnum inferre poterant. *Ferreres*, l. c., *n.* 35.

411. **Thesis.** — *Veto nunquam legitimum jus fuit, sed semper violenta invasio.*

Nunquam *veto* seu *exclusiva* jus proprie dictum constituit, sed semper violentum factum juxta diversa adjuncta diversimode toleratum, ut statim probabimus.

A) *Nulli nationi ex jure proprio et innato veto competit.*

412. — Ecclesia enim, tum ex fine suo, tum ex positiva voluntate sui divini Fundatoris, est societas perfecta et in ordine suo suprema; adeoque, independens est a potestate civili.

---

(1) *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 2, *n.* 582. Cfr. *Ferreres* apud *Razón y Fe*, *vol.* 24, *n.* 15.

(2) Cfr. *Bouix*, l. c.; *De Angelis*, l. c.; *Lector*, l. c., *pag.* 476; *Ortolan*, in Dictionnaire de Théologie, v. *Conclave*, *vol.* 3, *pag.* 721; *Wernz*, l. c., *n.* 582; *Eisler*, l. c., *pag.* 34 *seq.*; *Ferreres*, l. c., *n.* 30.

Ergo gubernia civilia jure proprio facultate hujusmodi spirituali in re adeo intrinsece ad bonum Ecclesiae spectante, jure proprio gaudere non possunt (1).

B) *Nec ex Ecclesiae concessione.*

413. — Neque per concessionem Ecclesiae a praedictis nationibus jus illud acquisitum est, eo modo, v. gr., quo jus praesentationis Episcoporum, itemque jus patronatus in parochiis, etc., concessione Ecclesiae pluribus ex iis competit. — Concessionem autem hujusmodi juris factam non fuisse probatur ex eo quod nulla natio hucusque documentum ullum adducere valuit quo de tali concessione constaret.

C) *Nec ex jure consuetudinario.*

414. — Nec item ex jure consuetudinario tale jus habent, non obstante adeo diuturno exclusionis usu. Ratio est, quia ut jus consuetudinarium detur, requiritur consensus, saltem *legalis* et *implicitus* Papae, qui, canonice loquendo, unicus est possibilis fons talis juris (2).

Atqui in casu nostro talis implicitus consensus non datur: exstat enim *explicitus* dissensus, quod probant Constitutiones Pii IV, Gregorii XV, Clementis XII et Pii IX, a Pio X nunc citatae, et ulterius postea demonstrabitur. *Ferreres*, l. c., *nn.* 59-62.

D) *Neque acquisitiva praescriptione.*

415. — Ab aliquibus titulus praescriptionis acquisitivae allegatur. Attamen praescriptio subsistere nequit nisi virtute legum quae eam statuant; leges autem ab eo latae sint oportet, qui jurisdictione in re, cujus praescriptio conceditur, polleat. Sic, ex. gr., res hispanae praescribuntur juxta normam Codicis hispani, res Galliae juxta leges gallicas praescribuntur. Et pariter res ecclesiasticae juxta canonicas normas praescribi debent.

Jamvero libertas et independentia Ecclesiae omnino impraescriptibilis est, siquidem contra jus divinum praescriptio non

---

(1) Cfr. *Syllab.*, prop. 19, 39 *seq.*, 54; Leo XIII, Encycl. *Immortale Dei* (*Denzinger, n.* 1705); Decretal., *lib.* 1, *tit.* 2, *c.* 10; *Card. Tarquini,* Inst. juris eccl. publ., *n.* 40 *seq.* (Romae, 1862); *Card. Cavagnis,* Inst. jur. publ. eccles., *part.* 1, *c.* 2, *art.* 4 et 5 (*vol.* 1, *pag.* 117 *seq.*: Romae, 1888); *Wernz,* Jus Decretal., *vol.* 2, *n.* 9; *Palmieri,* De Romano Pontifice, proleg. De Eccles., § 18 (*pag.* 117 *seq.*: Romae, 1877); *Card. Mazzella,* De Ecclesia, *n.* 553; *Pesch,* De Eccles., *n.* 379 *seq.* (*pag.* 226 *seq.*: Friburgi Brisgov., 1898); *Ferreres,* l. c., *nn.* 55-57.

(2) Decretal., *lib.* 1, *tit.* 4, *c.* 11; *Suárez,* De legibus, *lib.* 7, *c.* 13, *n.* 6 *seq.*; *Schmalzgrueber, lib.* 1, *tit.* 4; *Sanguineti,* Inst. jur. eccles., *nn.* 124-126; *Wernz,* l. c., *vol.* 1, *n.* 188; *Ballerini-Palmieri,* Opus moral., *vol.* 1, *n.* 271.

datur, cum omnis praescriptio positivo et humano juri nitatur, a quo nihil contra praescripta divini juris concedi potest (1).

E) *Nec vi pacti aut titulo protectionis.*

416. —Nec deest qui supponat *veto* vel *exclusivam* ex pacto procedere quo praedictae nationes juri quod habent ad hoc ut Cardinales suarum cujusque regionum in Pontificatum eligi possint renuntiasse; ita ut compensationis loco, jus *exclusivae* illis concessum sit.

Pactum hujusmodi tantum in alicujus scriptoris phantasia subsistit; nam re ipsa, hodie, sicut antea et semper, e quacumque natione Pontifex eligi potest. *Ferreres*, l. c., *nn.* 66-70.

417. **Objectio**. — *Dices* tamen: si jus vetandi nullum esset, inexplicabile foret quo pacto in omnibus electionibus pontificiis *exclusivae* obtemperatum sit, adeo ut nec semel quidem unus candidatus cui aliqua ex his nationibus per *exclusivam* obstiterit, electus sit: idque hoc singulari adjuncto, quod fere semper *exclusiva* in candidatum lata est cui major votorum numerus favebat, ita ut fere certo, nisi *veto* impedivisset, electus esset.

Jamvero, modus agendi Cardinalium, supposito *jure exclusivae*, optime intelligitur, cum in exclusiva servanda jus observarent; si vero asseratur *exclusivam* verum jus non esse, sed potius violentiam utut dissimulatam, haud facile videbitur Cardinalium in Conclavi agendi rationem excusare.

418. **Responsio**. — Huic tamen difficultati respondendum est, quamvis *veto* merum factum violentum sit, posse tamen legitimum esse modum sese gerendi, non quidem Gubernii quod tali armorum genere usum est, sed certe Cardinalium, qui, hoc facto posito, aestimare potuerunt prudentiae in illis adjunctis non esse Pontificem eum eligere qui valde probabiliter contrariam habiturus erat nationem quae ipsi *exclusivam* opposuerat.

Existimarunt fortasse minus nocivum fore alium candidatum, etiam dignum, eligere, quam periculum subire rupturae diplomaticae cum natione catholica; vel prudenter alia mala Ecclesiae imminentia animo prospicientes, officio suo functi sunt eligendi eum quem, *omnibus perpensis*, aptiorem ad bonum Ecclesiae judicarent; fieri autem potuit ut aliquem aptissimum ad Ecclesiam regendam absolute et *nisi exclusiva posita fuisset*, censerent; posita vero *exclusiva*, eaque cum aliis adjunctis pensata, alius jam aptissimus

---

(1) Cfr. *Syllab.* Pii IX, prop. 19, 26; Decretal., *lib.* 2, *tit.* 26, *cc.* 4, 6, 8, 9, 13; *Lugo*, De just. et jur., *disp.* 7, *n.* 7; *Wernz*, l. c., *vol.* 3, *n.* 295; *Lega*, De judiciis, *vol.* 1, *n.* 287, 4), *nota; Allegre*, Le Code civil commenté, *vol.* 2, *pag.* 434 (Paris, 1902); *Waffelaert*, De just., *vol.* 1, *n.* 212.

appareret. — Neque enim qualitates solum electi sunt considerandae, sed etiam ad aptum Ecclesiae regimen attendendum est; regimen autem non solum a dotibus personae superioris, sed etiam a gravioribus vel levioribus impedimentis sibi ab aliis oppositis pendet, salva speciali providentia qua Ecclesiae suae Deus assistit.

Notandum est praeterea in ultimo Conclavi, ut res a Cardinali Mathieu, inibi praesente, narrata fuit, Cardinalem Decanum, Emmum. Oreglia, nomine Sacri Collegii protestatum esse, et dixisse intimationem qua *exclusiva* denuntiabatur, a Conclavi admitti non posse, nec tanquam publicae auctoritatis nec tanquam aliquid officiosum, ejusque nullum respectum habitum iri. Digne etiam Cardinalis Rampolla protestatus est. *Ferreres*, l. c., *nn.* 86-90.

419. **Exclusiva pluries damnata.** — *Veto* seu *exclusiva* saepius sub diversis suis formis damnata est a Pio IV (1), Gregorio XV (2), Clemente XII (3), Pio IX (4), Leone XIII (5) et Pio X (6).

Pius autem X sub poena peccati mortalis et excommunicationis majoris, Papae reservatae, prohibet quominus Cardinalis ullus, aut Conclavis Secretarius, ⌜aut quicumque ex omnibus iis qui Conclavi interfuerint: 1.° a quavis civili potestate munus recipiant *veto* sive *exclusivam*, etiam sub forma simplicis desiderii, proponendi; 2.° nec hoc *veto*, qualibet ratione sibi cognitum, patefaciant, sive universo Cardinalium Collegio simul congregato, sive singulis purpuratis Patribus, sive scripto, sive ore, sive directe ac proxime, sive oblique ac per alios; 3.° nec aliquo ex praedictis modis ad ceteros omnes interventus, intercessiones aliosque modos quoslibet quibus laicae potestates cujuslibet gradus et ordinis in Pontificis electionem sese immiscere voluerint, ulla ratione cooperentur.

420. — Quoniam vero tota hujus *veto* seu *exclusivae* vis sub pluribus suis formis ex influxu pendebat nonnullorum e Cardinalibus qui, a saecularibus Guberniis de secretis suis intentionibus exclusionis vel inclusionis edocti, in ipso Conclavi (adhibito interdum Secretarii vel conclavistarum auxilio) negotiationes suas exercebant; ideo, sublato hoc medio per constitutionem Pii X *Vacante Sede Apostolica*, praetensum jus *exclusivae* seu *veto*, tanquam aedificium a fundamentis suffossum, per seipsum concidat necesse est. *Ferreres*, l. c., *nn.* 121, 122 *seq.*

---

(1) Const. *In eligendis*, 9 oct. 1562: *Bull. Rom. Taur., vol.* 7, *pag.* 230 *seq.*
(2) Const. *Aeterni Patris*, 15 nov. 1621: *Bull. Rom. Taur., vol.* 12, *pag.* 619 *seq.*
(3) Const. *Apostolatus officium*, 5 oct. 1732: *Bull. Rom. Taur., vol.* 23, *pag.* 443 *seq.*
(4) Const. *In hac sublimi*, 23 aug. 1871; Const. *Licet per Apostolicas*, 8 sept. 1874: *Lector*, Le Conclave, *pag.* 749 *seq.*, 757 *seq.*; *Il Monitore, vol.* 15, *pag.* 260 *seq.*, 265.
(5) Const. *Praedecessores Nostri*, 24 maji 1884: *Acta Pii X, vol.* 3, *pag.* 295, et Doc. III in fine Codicis juris canonici.
(6) Const. *Vacante Sede Apostolica*, 25 dec. 1904: *Acta Pii X, vol.* 3, *pag.* 282 *seq.*, et Doc. I in fine Codicis can.

ARTICULUS IV

DE TEMPORALI SUMMI PONTIFICIS SUPREMO DOMINIO

421. **Papa princeps est temporalis**. — Romanus Pontifex non tantum supremo spirituali imperio super Ecclesiam praeditus est, sed etiam supremam potestatem civilem habet super Status Pontificios, quam de jure retinet, quamvis de facto ea spoliatus fuerit pluribus abhinc annis.

422. **Hic principatus moraliter necessarius est**. — Hic civilis principatus, nedum cum spirituali incompatibilis sit (1), est moraliter necessarius ut debita independentia spirituale ipsum imperium exerceri valeat, id quod saepius a Summis Pontificibus declaratum est (2). Si enim Papa supremus princeps temporalis non sit, alterius supremi imperantis subditus erit; «omnibus autem compertum est fideles populos, gentes, regna nunquam plenam fiduciam et observantiam esse praestitura Romano Pontifici, si illum alicujus Principis vel Gubernii subjectum, ac minime liberum esse conspicerent. Siquidem fideles populi et regna vehementer suspicari, ac vereri nunquam desinerent ne Pontifex idem sua acta ad illius Principis vel Gubernii, in cujus ditione versaretur, voluntatem conformaret, atque idcirco actis illis hoc praetextu saepius refragari non dubitarent» (3), prout haud raro Pontificibus Avenione degentibus contigit, eo quod in ditione regis Galliae versarentur.

423. **Objectio**. — Objicere quis poterit nunquam forte adeo magnum amorem et reverentiam Romano Pontifici fuisse demonstratam, nec praestitam adeo specialem fiduciam quam hoc tempore, ex quo imperio suo spoliatus est, quin ullus sibi persuadeat eum influxu Regis Italiae in actibus suis duci.

Resp. — Quod talis diffidentia exorta non sit, id tribuendum est aperto dissidio quod viget inter Papam et praedictum regem, quem velut usurpatorem tractat. Aliter res procederet si cum ipso reconciliatus esset.

Praesens bellum necessitatem talis principatus civilis evidenter ostendit, siquidem legatis Germaniae et Austriae ad Vaticanum e Roma discedere necessarium fuit; et catholici illarum nationum conqueri possent Papam gubernare auditis adversariorum suorum legatis, cum suos audire nequeat, prout id Benedictus XV animadvertit (4).

---

(1) *Syllabus*, prop. 75.
(2) Leo XIII, Oratio *Ingentis* ad ephemeridum scriptores, 22 feb. 1879; Litt. ad Card. Rampolla, Secr. Status, 15 junii 1887.
(3) Pius IX, Alloc. *Quibus quantisque*, 20 april. 1849: *Acta Pii IX, vol.* 1, *pag.* 182.
(4) Cfr. *Benedicti XV*, Encyclica *Ad beatissimi Apostolorum*, 1 nov. 1914: *Acta*, VI,

424. — Dicimus civilem principatum *moraliter* necessarium, non autem *absolute* necessarium; patet enim etiam saeculis persecutorum Papam Ecclesiam sine temporali principatu gubernasse; nemo tamen erit qui judicet, periodum illam, a Deo ordinatam ut indeficiens Ecclesiae stabilitas fulgeret, ut normam status ordinarii Ecclesiae constituendam; haec enim, sicut omnes aliae institutiones, per gradus ad perfectam sui evolutionem processit (1).

425. **Officium Romani Pontificis in hoc principatu retinendo.** — Cum temporalis praedictus principatus moraliter ad regendam Ecclesiam necessarius sit, non solum jus habet Papa, sed officium ei incumbit illum conservandi, nec ei renuntiare potest: idcirco semper respondit: *Non possumus*, Nobis non licet ipsi renuntiare.

Hinc est quod hujusmodi civilis principatus velut omnium fidelium jus consideretur, omnes enim jus habent ut a Pontifice libere gubernentur, quin a quopiam libertas ipsius coarctari possit.

Recte Pius IX monuit (2), indignam illam spoliationem non tantum ad privandam dominio temporali Ecclesiam, sed ad facilius auctoritatem Sanctae Sedis et spiritualem Vicarii Christi potestatem labefactandam a suis auctoribus dirigi.

Eadem doctrina de necessitate principatus temporalis ad plenam spiritualis potestatis libertatem, a 44 Cardinalibus et 243 Episcopis qui canonizationi Japonensium martyrum 9 junii 1862 interfuerunt, proclamata est, quibus universi orbis Episcopi ceteri adhaeserunt (3).

426. **Valor hujus doctrinae**. — Etsi doctrina haec definita non est *ex cathedra* velut doctrina fidei, definiri tamen posset, et saltem est *doctrina catholica* proposita fidelibus tanquam *certa* ab universa Ecclesia catholica docente.

CAPUT II

DE CONCILIO OECUMENICO

Post tractatum de Romano Pontifice, ordinem descendentem secutus, gradum facit Codex ad disciplinam de Concilio oecumenico.

---

pag. 580, 581; Alloc. in Consist. 6 dec. 1915, *Nostis profecto: Acta,* VII, *pag.* 511 *seq.*, ubi legitur: «Jam alias, Decessorum Nostrorum exemplo, questi sumus, Romanum Pontificem in ea versari conditione, ut plena nequeat perfrui libertate qua ad Ecclesiam regendam omnino indiget.»

(1) *Conc. Plen. Amer. lat., nn.* 72, 73.

(2) Alloc. *Luctuosis,* 12 mart. 1877.

(3) Cfr. *Acta Pii IX, vol.* 3, *pag.* 451. — De tota hac re vid. documenta pontificia allegata, Conc. Plen. Americae latinae, *nn.* 72, 73; *Cavagnis,* Inst. Jur. publ. eccles., *vol.* 3, *pag.* 235 *seq., n.* 427 *seq.* (ed. 4.ª, 1906); *Wernz,* Jus Decretal., II, *n.* 600 *seq.; Muncunill,* De Ecclesia, *n.* 679 *seq.; Palmieri,* De Rom. Pont., *thes.* 34; *Villada,* apud *Razón y Fe, vol.* 44, *pag.* 441 *seq.*

427. — I. Dari nequit oecumenicum Concilium quod a Romano Pontifice non fuerit convocatum (*can.* 222, § 1).

II. Tantum ad Papam pertinet *a*) Concilio oecumenico sive per se, sive per suos Legatos praesidere; *b*) res in eo tractandas ordinemque servandum constituere ac designare; *c*) Concilium ipsum transferre, suspendere, dissolvere, ejusque decreta confirmare (*Ibid.*, § 2).

428. **Notio**. — *Concilium* est legitimus Episcoporum coetus ad deliberandum et decernendum de negotiis ecclesiasticis.

Concilium oecumenicum dicitur legitimus coetus omnium universi orbis Episcoporum, itemque Praelatorum qui pontificio privilegio jus assistendi obtinent, cui Papa per se vel per legatos suos praesidet, quique ab eodem Romano Pontifice ad deliberandum et statuendum de universalis Ecclesiae negotiis convocatur.

429. — Concilium oecumenicum Papae jurisdictionem participare dicitur, non solum quia multi ex iis qui eo intersunt, a Papa jus assistendi habent, sed etiam quia Papae immediate a Christo tradita est jurisdictio supra totam Ecclesiam; quae autem supra ipsam Ecclesiam exercent Episcopi in Concilio oecumenico, a Papa recepta est, eique subordinata. Cfr. *Palmieri*, De Rom. Pont., *pag.* 272; *Wernz*, l. c., *vol.* 2, *n.* 844; *Muncunill*, De Ecclesia, *n.* 600 *seq.*

Institutio. — Concilium oecumenicum ex divina institutione procedere dici potest, quatenus Christus, praeside Petro, collegium instituit Apostolorum, quorum Episcopi successores sunt; Concilium autem oecumenicum vicem repraesentat hujus collegii, cui Christus perpetuam suam assistentiam promisit. Vide infra *n.* 640 *seq.*

430. **Convocatio**. — Nonnisi Papa (vide *n.* 427) Concilium oecumenicum convocare potest, solum enim ipse obligare potest eos qui in Concilium convenire debent, et a solo Papa ad id requisitam jurisdictionem accipere possunt.

Si Episcopi et reliqui, a quovis convocati, vel mutuo consensu, convenirent, coetus ille Concilium oecumenicum non esset, nisi Papa convocationem saltem ratam haberet.

Tempus autem Concilii oecumenici convocandi determinare, ad Papam, pro supremo suo judicio, spectat.

431. **Quinam convocandi**. — Ad Concilium suffragio *deliberativo* vocantur:

1.° Cardinales S. R. E., licet Episcopi non sint.

2.° Patriarchae, Primates, Archiepiscopi et Episcopi residentiales, etiam non consecrati.

3.° Abbates aut Praelati *nullius*. Vide *n.* 622 *seq.*

4.° Abbas Primas, Abbates Superiores Congregationis monasticae, et Generales religionis clericalis exemptae (non vero aliarum religionum quae vel clericales vel exemptae non sint), nisi aliud in convocatione caveatur (*can.* 223, § 1).

Episcopi (Patriarchae, item et Archiepiscopi) titulares, si ad Concilium vocentur, suffragium etiam deliberativum obtinent, nisi aliud in convocatione caveatur (*Ibid.*, § 2).

Theologi ac canonistae, si forte ad Concilium invitentur, suffragium non habent, nisi *consultivum* (*Ibid.*, § 3).

432. **Quo jure.** – Episcopi (Patriarchae, item Primates et Archiepiscopi) residentiales Concilio oecumenico intersunt jure ordinario institutionis divinae, et cum suffragio deliberativo, idque licet nondum consecrati sint, jurisdictionem enim nomine proprio in aliqua parte Ecclesiae obtinent, et cum Romano Pontifice Collegii apostolici vicem repraesentant.

Cardinales intersunt jure ordinario ex privilegio pontificio, siquidem tota ipsorum dignitas est institutionis ecclesiasticae.

Episcopis (itemque Patriarchis et Archiepiscopis) titularibus jus non est in Concilium ut tales conveniendi, nec enim in Ecclesia jurisdictionem obtinent; deliberare autem et definire de negotiis in Concilio, ad jurisdictionis potestatem, non ad ordinis pertinet. Idcirco Codex ait «*vocati ad Concilium*», siquidem jus ut vocentur non habent.

Etiam Praelati *nullius* et ceteri de quibus *nn.* 3.° et 4.°, jure ordinario nunc intersunt, id enim officio eorum Codex concedit; hoc tamen jus oritur ex privilegio pontificio, ex quo procedit munus ipsum quod obeunt, quod quidem institutionis est ecclesiasticae. Fundamentum autem ad privilegium in eo est quod jurisdictionem exercent vel in parte Ecclesiae territoriali, vel supra magnum numerum personarum religiosarum.

433. **Assistendum ex obligatione, et qua forma.** — *a*) Si quis ex vocatis *jure ordinario* ad Concilium (*can.* 223, § 1), eidem interesse non possit, procuratorem mittere et impedimentum probare tenetur (*can.* 224, § 1). Si procurator fuerit unus e Concilii Patribus, unum tantum suffragium habet (non duo, quae sibi et suo repraesentato respondeant); si a Patribus diversus sit, publicis tantum sessionibus interesse potest, sed sine suffragio, et Concilii acta subscribendi jus habet (*Ibid.*, § 2). Procuratorem ut talem suffragio carere, congruit cum can. 163, qui suffragium per procuratorem excludit. Vide *n.* 325, 2.°

Si Episcopus titularis vocetur nec assistere possit, satis est ut impedimentum probet; procuratorem autem mittere nec debet nec potest, non enim jure ordinario assistit.

b) Nemini eorum qui Concilio interesse debent, licet ante discedere, quam Concilium sit rite absolutum, nisi a Concilii praeside cognita ac probata discessionis causa et impetrata abeundi licentia (*can.* 225).

Ratio duplex est: 1.ª quia ibi adest ex obedientia a jure et a Romano Pontifice imposita, a qua nonnisi per ipsum Pontificem

aut ejus delegatum eximi potest; 2.ª ut vitentur signa quaedam rebellionis quae ex discessu oriri possent, cursu Concilii perturbato et haud levi aliorum scandalo. Vide *nn.* 594 et 595.

434. **Concilii constitutio.** — Ut Concilium oecumenicum rite constituatur, non opus est ut eo Episcopi omnes totius mundi conveniant, quod omnino impossibile esset; neque etiam eorum maxima pars (nec unquam eo numero adfuerunt); nec denique numerus determinatus. Sufficit numerum Episcoporum et ceterorum Patrum qui jure gaudent assistentiae talem esse, ut moraliter ibi praesens adesse Ecclesia universalis dici possit.

435. **Concilii deliberationes et decisiones.** — Ad Pontificem pertinet, ut supra dictum est, quaestiones in Concilio pertractandas determinare; in Patribus autem Concilii, id est, in eis qui illic assistunt cum jure suffragii deliberativi (*n.* 431), agnoscitur jus alias quaestiones adjiciendi, dummodo prius a Concilii praeside probatae sint (*can.* 226).

436. — Non opus est ut resolutiones unanimiter approbentur, et nequidem requiritur absolute major numerus suffragiorum, quamvis illum adhibere sufficiens sit et ordinarium; sed sufficit etiam numerus talis ut saniori parti Concilii respondeat, si ei consensus Papae adjiciatur. Verum item est Papam id decernere posse quod Ecclesiae bono opportunum esse duxerit, quin ullius alterius suffragium requirat; attamen illo casu, sicut in eo quo aliquibus exiguo numero Episcopis ipse adhaereret, decretum non conciliare, sed tantum pontificium esset.

437. — Concilii decreta vim definitivam obligandi non habent, nisi a Romano Pontifice fuerint confirmata et ejus jussu promulgata (*can.* 227).

438. **Concilii oecumenici potestas.** — Concilium oecumenicum suprema pollet in universam Ecclesiam potestate (*can.* 228, § 1); nihilominus, potestas ejus potestati Papae superior non est, ac proinde, a sententia Romani Pontificis non datur ad Concilium oecumenicum appellatio (*Ibid.*, § 2).

Concilii oecumenici potestas non est *intensive* major quam Papae potestas, adeoque nihil est quod Concilium decernere possit quin idem Papa decernere posset; nec quidquam est a Concilio decretum quod a Papa revocari non possit. Tantum *extensive* major est, quatenus plures sunt qui sapientiam et potestatem suam in eas deliberationes conferunt.

439. **Mors Papae durante Concilio.** — Si contingat Romanum Pontificem, durante Concilii celebratione, e vita decedere, ipso jure hoc intermittitur, donec novus Pontifex illud resumi et continuari jusserit (*can.* 229). Vide antea dicta, *n.* 398.

N. B. Concilia oecumenica hucusque celebrata sunt 19, scilicet. Nicenum I (ann. 325); Constantinopolitanum I (381); Ephesinum I

(431); Chalcedonense I (451); Constantinopolitanum II (553); Constantinopolitanum III (680-81); Nicaenum II (787); Constantinopolitanum IV (869-70); Lateranense I (1123); Lateranense II (1139); Lateranense III (1179); Lateranense IV (1215); Lugdunense I (1245); Lugdunense II (1274); Viennense (1311); Florentinum (1439-45); Lateranense V (1512-17); Tridentinum (1545-63), et Vaticanum (1869). Quae omnia sequenti formula comprehenduntur:

Ni.-Co.,-E.-Cal.-Co. Co. — Ni.-Co.-La.,-La.-La.-La. — Lu.-Lu. — Vi.-Flo.-La.-Tri.-Va. His addunt nonnulli concilium Constantiense (1414-18), quo fiunt 20 numero Concilia.

Concilia Constantinopolitana I et II oecumenica sunt ob posteriorem Papae acceptationem.

CAPUT III

DE CARDINALIBUS

440. — I. Sanctae Ecclesiae Romanae Cardinales Senatum Romani Pontificis constituunt, eique tanquam praecipui consiliarii et cooperatores in Ecclesiae gubernatione assistunt (*can.* 230).

ARTICULUS I

EORUM ORIGO

441. **Etymologica origo.** — Vox *cardinalis* a latina *cardo, cardinis* derivatur, qui proprie est «fulcimentum illud quo fores incumbunt et vertuntur» (*Forcellini*, Lexicon, v. *Cardo*).

Primis Ecclesiae saeculis cardinalium nomine ii significabantur qui immobiliter ecclesiae alicui privatae adscripti erant (praecipue si de ecclesia cathedrali ageretur), et inter illos speciatim is qui ipsis praesidebat. Cfr. *Grisar*, Analecta Romana, I, 207. Juxta quosdam, ita vocabantur, quia illi erant velut cardo supra quem vertebatur ipsa ecclesia; juxta alios, quia ipsimet ecclesiae suae adhaerebant, quae velut illorum cardo erat. Cardinales itaque dicebantur eo tempore episcopi, canonici, parochi, etc. Vide hanc materiam latius tractatam et documentis fulcitam apud *Ferreres*, in opusculo La Curia Romana, *n.* 46 *seq.*

Eadem est etymologica origo vocabulorum *incardinare, incardinatus, excardinare, excardinatus,* quibus etiamnum designatur actus perpetuo dioecesi alteri incorporandi subditum alterius, e cujus jurisdictione in perpetuum extrahitur. Vide *nn.* 246-250, et *Ferreres*, l. c., *n.* 54.

442. — Sanctus Pius V Papa, sub data 17 febr. 1568, decrevit nomen *Cardinalis* solum pro Cardinalibus Sanctae Romanae Ecclesiae in posterum reservandum (*Ibid.*, *n.* 56).

In Hispania autem, usque ad annum 1851 in Cathedralibus Sancti Jacobi et Auriensi canonici nonnulli erant qui ex privilegio pontificio *Cardinales* vocabantur. Idem accidit in aliis Cathedralibus exterarum regionum, ut ex. c. Vesontione et Coloniae Agrippinae. Vide *Ferreres*, l. c., *nn.* 57-64.

443. **Cardinales Romani: eorum origo historica**. — Jam Romae primitus nomine *Cardinalium* ii sacerdotes significabantur qui, sicut nostri parochi, similibus etiam ac illi officiis occupati, praecipuis ecclesiis sive titulis praeerant, necnon septem diaconi, quos sanctus Fabianus Papa († 250) circa annum 240 creaverat, ut diaconias (quae velut nosocomia quaedam erant cum annexo sacello) administrarent, et in septem regionibus urbis pauperibus et aegrotis assisterent, necnon pias operas regerent et promoverent. *Ferreres*, l. c., *n.* 65.

In eodem *titulo* adscripti erant simul plures sacerdotes, e quibus unus tantum, scil. primus vel superior, titularis erat, atque hic per antonomasiam dictus est Cardinalis; ceteri vero ejus coadjutores erant, sive socii. *Ferreres*, l. c., *n.* 66.

444. — Episcopi pariter suburbicarii, seu urbium Romae finitimarum, jam ab antiquis temporibus numero Cardinalium Romanae Ecclesiae accensebantur, eo quod in ecclesia sancti Joannis in Laterano omnium ecclesiarum mundi matre et magistra velut *incardinati* aestimarentur. *Ferreres*, l. c., *n.* 67.

445. — Atque haec est origo divisionis Cardinalium in Cardinales ordinis Episcoporum, Cardinales presbyteros et Cardinales diaconos. Hinc est etiam quod quilibet Cardinalis presbyter, ut postea videbitur, habere debeat titulum aut ecclesiam Romae, sicut etiam in eadem urbe ecclesiam aut diaconiam suam quilibet Cardinalis diaconus habere tenetur. *Ferreres*, l. c., *nn.* 70, 71.

Notandum porro est, usque ad dimidiatum saeculum x nusquam legi in subscriptionibus vocabulum *Cardinalis,* sive subscriptiones sint Episcoporum, sive presbyterorum, sive diaconorum: solum scribitur nomen, et post id immediate sequuntur verba: *Episcopus N.*, vel presbyter tituli N., aut diaconus diaconiae N. *(Ferreres,* l. c., *n.* 106). Sixtus vero V, in const. *Religiosa sanctorum,* 13 april. 1587, jussit ut in omnibus apostolicis documentis ubi Cardinales subscripturi erunt, ita subscribant, ut praeter vocabulum *Cardinalis,* titulus, diaconia vel episcopatus sui Cardinalatus exprimatur. *Ferreres,* l. c., *n.* 106, *i*).

ARTICULUS II

TRIPLEX CARDINALIUM ORDO

446. **Cardinalium uniuscujusque Ordinis numerus.**—Sacrum Collegium in tres ordines distribuitur: *episcopalem*, ad quem sex

Cardinales sex dioecesibus suburbicariis praepositi unice pertinent; *presbyteralem*, qui quinquaginta Cardinalibus constat; et *diaconalem*, qui quatuordecim Cardinalibus constat, juxta Sixti V praescripta, a praesenti Codice confirmata (*can.* 231, § 1).

Animadvertendum est plures e Cardinalibus de Curia, quamvis tantum in ordine presbyterali Sacri Collegii versentur, de facto tamen esse Episcopos consecratos. Idem evenit in omnibus residentialibus Episcopis, Archiepiscopis etc., ad Cardinalatum evectis: pertinent enim ad ordinem presbyteralem Sacri Collegii, sed Episcopali consecratione insigniti sunt. Cardinales autem ordinis diaconorum non solent esse Episcopi.

Singulis Cardinalibus ordinis presbyteralis ac diaconalis suus cuique titulus aut diaconia in urbe Roma assignatur a Romano Pontifice (*Ibid.*, § 2).

Titulus presbyteralis *Sancti Damasi* Cardinali Cancellario, licet is ad ordinem diaconalem pertineat, semper tribuitur, eo quod sit in ipsa Cancellaria.

Praecedentia inter Cardinales determinatur aut ex ordine, aut ex antiquitate intra eumdem ordinem.

Qui in ordine episcopali sunt, presbyterali praecedunt; qui in presbyterali, praecedunt diaconali.

447. — Haud tamen adeo fixus est hic numerus Cardinalium can. 231, § 1 assignatus (cfr. *n.* 446), quin possit eum Pontifex immutare, et nonnunquam de facto immutet. Sic, ex. gr., in *Annuario* anni 1917, numerus Cardinalium presbyterorum erat 54, duo autem alii remanebant in pectore reservati, probabiliter ad ordinem presbyterorum pertinentes, quo eorum numerus ad 56 excresceret. Contra vero, ex ordine diaconali septem solum numerabantur; et quidem ultimo decennio ultra 8 nunquam progressi sunt, aliquibus autem annis quatuor tantum fuerunt.

Hujus ratio est, quia tantum ex libera voluntate Romani Pontificis qui pro tempore fuerit, pendet creatio majoris aut minoris numeri Cardinalium, prout Ecclesiae bono convenire judicaverit; quin eadem potestas limitari possit, vel propter decreta fortasse a praedecessoribus ejus edita, intra vel extra Concilium, vel propter quamcumque aliam in terris potestatem. *Ferreres*, l. c., *n.* 86, 3.°

Cum nonnisi 53 sint tituli presbyterales, et anno 1916, ut nuper dictum est, 54 Cardinales presbyteri forent, unus saltem novus presbyteralis titulus creandus, aut diaconia aliqua tanquam presbyteralis titulus danda erat.

Hoc postremum factum est, et duplex Diaconia, Sanctorum nempe Cosmae et Damiani et Sanctae Mariae *in Aquiro,* die 7 decembris 1915, Cardinalibus Frühwirth et Dubois attributae sunt, quorum primus in Consistorio 6 dec. 1915, alter in Consistorio 4 dec. 1916 creatus erat. In actu ipso attributionis Papa expresse enuntiavit, elevationem utriusque Diaconiae ad titulos presbyterales fieri «pro hac vice». Cfr. *Acta,* VIII, *pag.* 477.

Vacabat titulus presbyteralis S. Thomae *in Parione.*

Quamvis Sixtus IV et aliqui ex ejus successoribus Diaconias Cardinalibus Presbyteris, et titulos presbyterales Cardinalibus Diaconis assignaverint, Sixtus V id fieri prohibuit, et exinde id rarissime fit; fieri tamen potest cum Papae id conveniens videbitur, siquidem auctoritate gaudet praedecessorum suorum praescripta derogandi.

Notandum tamen titulum presbyteralem S. Laurentii *in Damaso,* ut dictum est, Cardinali Cancellario, licet is sit Ordinis Diaconalis, semper attribui.

Etiam Leo XIII, anno 1895, provisorie Diaconiam Sanctae Mariae *della scala* in titulum presbyteralem evexit, eumque titulum Card. Gotti assignavit, licet Cardinalium numerus 49 tunc non excederet.

448. **Suburbicariae sedes**. — Sex suburbicariae sedes sunt: Albanensis, Tusculana, Praenestina, Portuensis, Sabina et Veliterna.

Per Constitutionem Apostolicam Benedicti XV *Ex actis*, 1 febr. 1915 (*Acta*, VII, *pag.* 229 *seq.*), ea quae de dioecesibus suburbicariis anno 1914 a Pio X statuta fuerant, partim confirmantur, partim immutantur et reformantur.

Cum enim Veliterna dioecesis, jam ab octo saeculis, dioecesi Ostiensi annexa esset, ita ut utraque Cardinali Decano assignaretur, Pius X, fel. rec., motu proprio *Edita a Nobis*, 5 maji 1914, eas separavit: quare sedes suburbicariae, quae quidem a Cardinalibus Ordinis Episcoporum gubernantur, septem evaserunt.

Jussit Pius X ut Ostiensis, sicut traditionalis moris erat, Decano reservaretur. Singulis autem Cardinalibus Presbyteris qui ad Ordinem Episcopalem promoverentur, unam ex aliis sex sedibus, quae tunc vacaret, in assumptione eorum assignari jussit, quam perpetuo retinebit; ubi vero aliquis ex his Decanus Sacri Collegii nominaretur, praeter Sedem quam tunc habet, Ostiensem Sedem acciperet.

Id Pius X statuit, ut majore stabilitate tales dioeceses gubernarentur, quae, ratione juris **optionis** (vide *n.* 460), frequentibus mutationibus erant obnoxiae.

Hoc autem Pii X praescriptum a Benedicto XV praedicta constitutione confirmatur.

Praeterea, per Const. *Romanorum Pontificum*, 15 april. 1910, jusserat Pius X ut, ob multiplices occupationes quibus suburbicarii Episcopi Romae distinentur, singulis eorum Episcopus suffraganeus (hispanice *auxiliar*) deputaretur, quo dioecesibus illis majore cura provisum foret. Cardinalibus autem qui jam tunc dioecesibus suburbicariis praeerant, libertatem reliquit vel suffraganeum admittendi, vel per seipsos dioecesim gubernandi.

Benedictus autem XV, quoniam eaedem dioeceses et territorio exiguae, et Romae proximae sunt, itemque itinerandi per eas facilitas magna datur, constitutionem dictam 1910 abrogavit, ita ut non amplius teneantur Cardinales per suffraganeos eas dioeceses rege-

re, sed id possint facere per seipsos; quod facilius eis redditur stabilitate a Pio X decreta et ab ipso Bened. XV confirmata.

Si tamen alicui ex Cardinalibus Episcopis, ob aetatem, aut valetudinem, aut ob aliam causam, difficile sit dioecesim suam gubernare, is a Sancta Sede Episcopum suffraganeum petere potest, eumque facile impetrabit.

De sedibus suburbicariis, titulis cardinalitiis, et diaconiis, eorum numero, historia, vicibus, sicut etiam de numero totali Cardinalium diversis temporibus, cfr. *Ferreres,* La Curia Romana, *nn.* 72-87.

ARTICULUS III

CARDINALIUM CREATIO

449. **Ad quem ea pertinet.** — Ad Romanum Pontificem pertinet libere Cardinales creare quos ex toto terrarum orbe elegerit viros, saltem in ordine presbyterali constitutos, doctrina, pietate ac rerum agendarum prudentia praestantes (*can.* 232, § 1).

450. **Quinam Cardinales esse nequeunt.** — 1.° Illegitimis orti natalibus, licet subsequenti matrimonio legitimi evaserint; irregulares, vel habentes impedimentum canonicum ad sacros ordines, quamvis auctoritate apostolica ad ordines et dignitates, etiam episcopalem, cum ipsis dispensatum sit.

2.° Qui prolem, etiam ex legitimo matrimonio, susceptam, vel nepotem ex ea habent.

3.° Qui primo aut secundo gradu consanguinitatis alicui Cardinali viventi conjuncti sunt (*Ibid.*, § 2).

Hac autem genericae tantummodo normae sunt, quae impedire nequeunt quominus Pontifex, ubi potiore sua prudentia id convenire censebit, eas praeterire possit: qua ratione nuper aderant in Sacro Collegio duo Cardinales qui fratres germani erant, Seraphinus et Vincentius Vannutelli, quamvis hoc impedimentum jam inde a saeculo XVI in vigore fuisset.

451. **Ubi creantur, et quo effectu.** — Cardinales a Pontifice creantur in *Consistorio* secreto; sic autem creati et publicati, jus habent interveniendi in electione Summi Pontificis; et ceteris privilegiis gaudent de quibus infra, *n.* 466 *seq.* (*can.* 233, § 1).

Episcopi suburbicarii (*n.* 448) in sua dioecesi nullam jurisdictionem habent, neque Cardinales Presbyteri in ecclesia sui tituli, donec earum respective canonicam possessionem apprehenderint (*can.* 240, § 1, 2).

452. **Consistorii notio et divisio.** — Consistorium vocatur coetus omnium Cardinalium in Curia praesentium, praeside Summo Pontifice. *Ferreres*, l. c., *n.* 30.

Potest autem esse secretum, publicum et semipublicum. Consistorium *secretum*, pariter *ordinarium* dictum, interdum in anno celebratur, quoties id Papa jubet, quin diem aut mensem definitum habeat.

In eo conveniunt cum Papa soli Cardinales, ibique creari solent Cardinales, nominantur Episcopi, conceditur pallium (*n.* 575 *seq.*), creantur, uniuntur vel dividuntur dioeceses, etc. Inibi etiam habet Summus Pontifex *allocutiones* ad Sacrum Cardinalium Collegium, et cum eo deliberat de gravioribus orbis christiani negotiis. *Ferreres*, l. c., *n.* 41.

Interdum, licet raro, habetur Consistorium secretum extraordinarium, quod fit ubi negotium aliquod gravissimum et repentinum occurrit. (*Ibid.*, *nota*).

Consistorium *publicum* seu *extraordinarium* multo rarius celebratur, eique assistunt, praeter Cardinales, alii Praelati, principes saeculares, eorum oratores, etc. In eo traditur Cardinalibus galerus ruber, excipiuntur Legati, oratores principum, etc.; et ab advocatis consistorialibus recitantur dissertationes de beatificatione servorum Dei. *Ferreres*, l. c., *n.* 42 *cum nota*.

In Consistorio *semipublico* praeparatur quidquid ad canonizationem sanctorum spectat, de qua inibi Cardinales, Archiepiscopi et Episcopi suum votum pronuntiant.

453. **Creatio Cardinalium** *in petto*. — Interdum Romanus Pontifex aliquos Cardinales in Consistorio creat, ibique numerum eorum quos hac forma creat exprimit, attamen addit simul se nomen sic creatorum secretum servare (*in pectore*, *in petto*). Cardinales hoc modo creati, nullis juribus aut privilegiis Cardinalium fruuntur, donec eorum nomina a Pontifice evulgentur; tunc enim primo omnibus juribus et privilegiis cardinalitiis frui incipiunt; quantum autem ad praecedentiam, eam eodem modo obtinent, ac si in Consistorio in quo creati sunt in pectore publicati forent.

454. — Sicut Romanus Pontifex jure gaudet Cardinales creandi ea forma quae sibi bene visa fuerit, ita pariter nomina reservatorum *in petto* ea forma qua ipsi placuerit publicare potest; attamen ad ordinariam praxim quod attinet, sicut in Consistorio secreto ii creantur, sic etiam in alio Consistorio secreto nomina eorum publicantur.

Interdum Pontifex decrevit ut si ante publicationem horum nominum morte praeoccupatus ipse fuerit, ea tali vel tali documento quaererentur, et inibi nominatos tanquam Cardinales haberi pro futuri Pontificis electione se velle declaravit. Id fecit, v. gr., Pius IX in Consistorio 18 martii 1875, in quo sibi quinque Cardinales *in petto* reservavit.

Verum hunc publicationis modum doctores periculosum existimant, quia dubiis de authenticitate documenti designati, necnon

de mutatione aut alteratione nominum ansam praebet; unde merito in dubium revocabitur an hic aut hic verus Cardinalis sit; idque ulterius usque ad schisma in electione Pontificis pertingere posset. Id Pio IX propositum fuit, adeoque ipse pro 15 die septembris ejusdem anni 1875 Consistorium convocavit, et in eo nomina praedictorum Cardinalium aperuit. Nonnulli e Cardinalibus hac forma a Paulo II et Paulo III creati, a Sacro Collegio ut Cardinales admissi non sunt, licet ipsi Breve exhibuerint in quo de eorum nominibus constabat. Cfr. *Santi-Leitner*, *lib.* 1, *tit.* 31, *n.* 23.

455. **Papae in creandis Cardinalibus omnimoda libertas**. — Praeteritis temporibus accidit interdum ut Cardinales, occasione Conclavis et in eo, sese juramento obstrinxerint tali, ut electus Papa nonnisi usque ad certum numerum Cardinalium creare posset, vel neminem Cardinalem crearet nisi de consensu Sacri Collegii. Talibus pactis Summi Pontificis potestas coarctari nequit, sed libere Cardinales eos nominare potest quos ad bonum Ecclesiae convenire censebit, quin aliis limitibus circumscribatur, praeter eos quos prudentia sua illi suggeret. Nec solum jus Cardinales nominandi habet, sed insuper officio tenetur nominandi eos quos bonum Ecclesiae requisierit, atque ab hoc officio nullo quidem pacto absolvi potest.

Voluit quondam Julius II consensum Sacri Collegii ad Cardinales creandos requirere, et alterum e duobus Consistoriis 11 horis protractum est, alterum vero 9 horis, propter oppositionem inibi inventam; et tandem nonnisi transactione a Pontifice res composita est. Cfr. *Battandier*, Annuario, 1899, *pag.* 88.

Hujus formae Cardinales designandi de consensu Sacri Collegii, quaedam adest nunc reminiscentia; nam in Consistorio, Summus Pontifex prius propositum exponit quod habet creandi tot vel hos Cardinales, et eorum nomina recitat, etc.; tum ita Sacrum Collegium interrogat: «Quid vobis videtur?» Attamen nullo expectato responso, statim ait: «Itaque, auctoritate Dei Omnipotentis, etc., Cardinales creamus, etc.».

456. — Nulla *natio* jus habet ut ex ea Cardinalis aliquis a Papa eligatur et creetur; Pontifex tamen commendationis statuum catholicorum rationem habet, et aequitate quadam Cardinales e diversis nationibus seligit, prout id bonum Ecclesiae requirit.

457. **Cardinales qui dum creantur Roma absunt**. — Si creatus Cardinalis a Curia abfuerit cum is birretum rubrum accipit, tenetur jurare se intra annum a praestito juramento Papam aditurum, ni legitimo impedimento praepediatur (*can.* 234).

Quod ad birreti impositionem spectat, si Cardinalis creatus adest in urbe Roma, die sibi assignato Vaticanum adit, ibique Papa ei rubrum birretum seu pileum imponit. Si vero Roma abest, in statu cujus princeps catholicus sit, pileus per Ablegatum princi-

pi mittitur, et ab eo pileum Cardinalis accipit; ipsi autem Cardinali pileolus ruber (*solideo cardenalicio*) directe mittitur, ipseque sibimet eum imponit.

458. — Rubrum galerum singulis Cardinalibus Pontifex in Consistorio *publico* tradit praesentibus, eisque insuper *os claudit*, id est, prohibet ne in coetibus cardinalitiis loquantur vel votum emittant, quod ad commendandam eis modestiam institutum est.

Postea in alio Consistorio secreto eis os aperit, annulum ipsis cardinalitium tradit, titulum vel diaconiam respective necnon aliquas ex Romanis Congregationibus assignat in quibus uti judices sedeant.

Juxta Const. Eugenii IV *In eminenti*, Cardinales ut veri Cardinales non habebantur, nec electioni Romani Pontificis assistere poterant donec dignitatis suae insignia accepissent, eisque os apertum esset. Verum sanctus Pius V, decreto 26 januarii 1571, eos jura propria obtinere jussit a die creationis eorum, quamvis nec ruber galerus ipsis traditus, nec apertio oris facta fuisset, etc.

459. **Promotionis effectus.** — Per promotionem ad Cardinalatum (nisi contrarium in aliquo casu particulari Sancta Sedes jusserit) vacant *ipso facto* omnes dignitates ecclesiasticae et beneficia quae promotus possidebat, et ab eo amittuntur pensiones ecclesiasticae (*can.* 235).

460. **Jus optionis inter Cardinales.** — Sublato jure optionis inter Cardinales Ordinis Episcopalis, viget adhuc inter aliorum Ordinum Cardinales.

In hoc autem erat *jus optionis* inter Cardinales Ordinis Episcoporum, a Pio X, juxta dicta *n.* 448, sublatum, quod nempe quoties aliqua e suburbicariis Sedibus vacaret, quae nec Ostiensis nec Portuensis foret, seniori inter Cardinales Ordinis Episcoporum tribueretur jus *optandi* seu eligendi eam, propria relicta.

Portuensis dioecesis, cui annectitur dioecesis Sanctae Rufinae, ad Subdecanum pertinebat: quare, quoties ea vacabat, senior post Decanum, relicta Sede propria et accepto titulo Subdecani, ad eam transferebatur. Verum ab anno 1914 Sedes Portuensis jam Subdecano non reservatur, ideoque a reliquis Albani, Tusculi, Praenestis, Sabinae et Velitrarum nihil differt. Subdecanus autem in ea Sede perstat quae ipsi in assumptione ad Ordinem Cardinalium Episcoporum assignata est.

Saeculo XVI adeo frequentes Episcoporum translationes in Sedibus suburbicariis factae sunt, ut centum annis 43 Episcopos aliqua ex illis habuerit, et quidem aliquo anno bis Episcopum mutaverit (Cfr. *Battandier*, Annuaire Pontificale, 1908, *pag.* 138). Id inde ortum fuit, quod tales Sedes quamdam tunc dignitatis gradationem retinerent, ut dum una vacabat, inferiores Episcopi gradatim ascenderent, et recens ingressus, a Sabina, omnium infima, inciperet.

Postmodum cessavit in ceteris gradatio, eaque solum, ut notavimus, in Ostiensi dioecesi Decano, et Portuensi Subdecano reservata, remansit; attamen ceteri Cardinales optionis jus pro reliquis retinuerunt, idque adhuc frequentibus nimium mutationibus ansam dabat.

Sublata denique optione quae dioecesium mutationem inducat, aliae quaedam optiones retentae sunt. Jus optionis solis Cardinalibus Romae degentibus competit. Optio fit in Consistorio secreto, et a Papa approbanda est (*can.* 236, § 1).

Senior inter Cardinales Ordinis Presbyteralis optare potest ecclesiam suburbicariam, si ea vacet; quod si ipse optare eam nolit, id potest facere qui proxime eum sequitur, et ita porro (*Ibid.*, § 3).

Ut hoc jure fruatur, Romae praesens esse debet Cardinalis momento vacationis, aut ab ea absens ad tempus ob commissum sibi negotium aliquod a Romano Pontifice (*Ibid.*).

Cardinalis etiam ex ordine presbyterali potest alium titulum vacantem optare, dimisso proprio; et Cardinalis Diaconus aliam Diaconiam vacantem optare, dimissa propria (*Ibid.*, § 1).

Senior inter Cardinales Ordinis Diaconorum, si per integros decem annos in Ordine Diaconali permanserit, titulum presbyteralem vacantem optare potest (*Ibid.*), hac peculiari praerogativa, ut praecedentiam obtineat inter omnes illos Cardinales *Presbyteros* qui post ipsum ad sacrae purpurae honorem assumpti sunt (*Ibid.*, § 2). Cfr. *Ferreres* apud *Razón y Fe*, *vol.* 47, *pag.* 498-503.

Ut Cardinalis Diaconus titulum presbyteralem optare posset, et quidem cum praecedentia ante omnes Cardinales Presbyteros creatos postquam ipse Diaconalem Ordinem ingressus est, duplici conditione opus erat, juxta decretum Clementis VIII *Sanctissimus,* 18 aug. 1597 (1): 1.ª ut per integrum decennium in Ordine Diaconali permansisset; 2.ª ut in Ordine Diaconali decem alii Cardinales remanerent. Idem tradit *Wernz,* Jus Decretal., II, *n.* 629 (*pag.* 368) pro disciplina vigenti (ed. 3.ª Prati, 1915).

Hac tamen in re, sine dubio, Papa dispensavit; siquidem in *Annuario Pontificio* anni 1917, apparet, ex. gr., Cardinalis Cagiano de Azevedo, qui anno 1915 ad Ordinem Presbyterorum transivit, habens nunc praecedentiam super Cardinalem Rinaldini, Presbyterum Cardinalem creatum anno 1907; et quamvis Cardinalis Cagiano decem annis in Ordine Diaconali perseveraverat (ab 11 dec. 1905), tamen in eo Ordine non decem, sed sex tantum Cardinales Diaconi remanebant.

Pariter praecedentiae jus obtinent in *Annuario* Cardinales Pompili et Van Rossum supra Cardinales Presbyteros anno 1912 creatos, quamvis Card. Pompili solum anno 1914, Card. autem Van Rossum anno 1915 in Ordinem Presbyteralem transierint, et quidem primus post tres, secundus post

---

(1) «Ut qui in praesenti cardinales diaconi existunt, si in ordine diaconatus per integrum decennium a die eorum promotionis ad cardinalatum perseverarint, transeuntes ad ordinem presbyteratus, locum obtinere valeant ante omnes illos cardinales presbyteros, qui post illos ad cardinalatum assumpti fuerint; dummodo decem saltem cardinales diaconi in eodem ordine remaneant.» *Bull. Rom. Taurin., vol.* 10, *pág.* 364.

quatuor annos in Ordine Diaconali exactos; relictis tantummodo in eo Ordine sex Cardinalibus.

Verum tamen est a pluribus annis decem Cardinales Diaconos simul non adesse; nam in ultimo decennio, maximus eorum numerus fuit 8 (annis 1907, 1912, 1913); aliquo anno tantum 4 aderant (1908) aut 5 (1909-1911). Anno 1917 adsunt 7.

Notandus item casus est Emmi. Card. De-Lai, Cardinalis Diaconi in Consistorio 16 dec. 1907 creati, in *Annuario* 1911 adhuc ut Cardinalis Diaconus apparet, et in *Annuario* 1912 exstat jam inter Cardinales Ordinis Episcoporum, siquidem in Consistorio 27 nov. 1911 optavit, eique Suburbicaria Sedes Sabina collata est (*Acta*, III, *pag.* 591).

In commentario *Acta Apostolicae Sedis*, l. c., notatur ipsum paulo ante ad Ordinem Cardinalium Presbyterorum promotum fuisse «testè assunto al Ordine dei Cardinali Preti».

Ut Cardinalis Diaconus Ordinem Presbyteralem optare possit, Codex nullam aliam conditionem requirit nisi ut decem annis in Diaconali permanserit; et statim addit eum quoties per optionem ad Ordinem Presbyteralem ascenderit, praecedentiam habiturum supra omnes eos qui creati sunt postquam ille Diaconalem Ordinem est ingressus.

461. **Sacri Collegii Decanus**. — Praeses Sacri Collegii est Decanus, id est antiquior, non quidem Cardinalatu, sed promotione ad aliquam Sedem suburbicariam; qui tamen, nec jurisdictione aliqua supra ceteros Cardinales gaudet, sed est velut primus inter aequales (*can.* 237, § 1).

462. **Subdecanus**. — Ubi Decanatus vacat, jure ipso ad Subdecanum id munus spectat, tam si is in Curia adest, quam si in propria suburbicaria dioecesi residet, aut ad tempus abest in alio loco propter commissionem a Papa acceptam (*Ibid.*, § 2); non tamen si ob residentiam abesset in aliqua ecclesia Metropolitana aut Cathedrali, cujus regimen aut administrationem indulto pontificio obtinuerit. Clem. XII, const. *Pastorale officium*, 10 jan. 1731, § 4, 5.

ARTICULUS IV

CARDINALIUM RESIDENTIA

463. **Cardinales de Curia**. — Cardinales qui alicujus ecclesiae Episcopi non sint, in Curia residere tenentur, a qua eis exire non licet nisi de Pontificis licentia (*can.* 238, § 1).

Eodem officio tenentur Cardinales et Episcopi suburbicarii, qui tamen licentiam petere non tenentur ut in propriam dioecesim, quoties opportunum id judicaverint, pergere possint (*Ibid.*, § 2).

464. **Cardinales qui Episcopi residentiales sint.** — Cardinales qui alicujus non suburbicariae dioeceseos Episcopi sint, a lege residentiae in Curia eximuntur, cum in propria dioecesi residere debeant; at quoties Romam pergunt, Papam adire tenentur, nec Roma postea excedere, nisi licentia Sanctissimi ad id obtenta. (*Ibid.*, § 3).

465. **Quo tempore cardinalatus Episcopis residentialibus concessus est.** — Animadvertendum est ante saeculum XIII Episcopos residentiales in Cardinales Presbyteros assumptos non esse duplici de causa: primo, quia dignitas episcopalis ut cardinalitia nobilior tunc temporis aestimabatur; altera, quia cum ex lege residentiae Cardinales in suis titulis vivere et Romano Pontifici assistere tenerentur, episcopatibus renuntiare debuissent.

Postquam autem cardinalitia dignitas pluris quam episcopalis, imo, quam patriarchalis, haberi coepit, ea dignitate insigniti sunt plures Episcopi et Archiepiscopi residentiales; at vero, cum adhuc ex lege residentiae Romae vivere tenerentur, et consequenter episcopatui renuntiare deberent, accidit saepius ut eorum nonnulli dignitatem hujusmodi acceptare nollent, eique veteres suas sedes praeferrent. Haud raro etiam Papa dispensavit ut longiore aut breviore temporis spatio episcopatum retinerent; attamen, vel hac optione data, multi priores suas ecclesias jure proprio conservare et cardinalatum dimittere maluerunt.

Concilium Tridentinum (*sess.* 6, *c.* 1, *de ref.*; *sess.* 23, *c.* 1, *de ref.*) manifeste supponit jam Episcopos residentiales, etiamsi Cardinales fiant, proprias sedes retinere posse, quo casu in ipsis residere tenentur.

Hujus disciplinae effectus fuit augmentum numeri Cardinalium ad duplum usque, ita ut fere dimidia eorum pars (dicti *Cardinales de Curia*) Romae, ceteri in propriis sedibus resideant, unde, tanquam testes de visu, circa statum disciplinae in universa Ecclesia Papam informare valeant. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 107.

ARTICULUS V

CARDINALIUM PRIVILEGIA

466. **Privilegia omnibus communia.** — Sequentia enumerantur:

1.° Audiendi ubique terrarum confessiones etiam religiosorum utriusque sexus et absolvendi ab omnibus peccatis et censuris etiam reservatis, exceptis tantum censuris Sedi Apostolicae specialissimo modo reservatis et illis quae adnexae sunt revelationi secreti S. Officii.

2.° Sibi suisque familiaribus eligendi sacerdotem confessionibus excipiendis, qui, si jurisdictione careat, eam ipso jure obtinet, etiam quod spectat ad peccata et censuras, reservatas quoque, illis tantum censuris exceptis de quibus in num. 1.

3.° Verbum Dei ubique praedicandi.

4.° Celebrandi vel alii permittendi ut coram se celebret unam

Missam in feria V majoris hebdomadae ac tres Missas in nocte Nativitatis Domini.

5.° Benedicendi ubique, solo crucis signo, cum omnibus indulgentiis a Sancta Sede concedi solitis, rosaria, aliasque coronas precatorias, cruces, numismata, statuas, scapularia a Sede Apostolica probata, eaque imponendi sine onere inscriptionis.

6.° Sub unica benedictione erigendi, in ecclesiis et oratoriis etiam privatis aliisque piis locis, stationes *Viae Crucis* cum omnibus indulgentiis, quae hujusmodi pium exercitium peragentibus impertitae sunt; necnon benedicendi, pro fidelibus qui causa infirmitatis vel alius legitimi impedimenti sacras stationes *Viae Crucis* visitare nequeant, Crucifixi icones cum applicatione omnium indulgentiarum devoto exercitio ejusdem *Viae Crucis* a Romanis Pontificibus adnexarum.

7.° Celebrandi super aram portatilem, non solum in domo propriae habitationis, sed ubicumque degunt; et permittendi ut alia Missa, ipsis adstantibus, celebretur.

8.° Celebrandi in mari, debitis cautelis adhibitis.

9.° In omnibus ecclesiis et oratoriis Missam celebrandi proprio calendario conformem.

10.° Fruendi altari privilegiato personali quotidiano.

11.° Lucrandi in propriis sacellis indulgentias ad quas acquirendas praescripta sit visitatio templi alicujus vel publicae aediculae civitatis seu loci in quo Cardinales actu commorentur, quo privilegio etiam eorum familiares frui possunt.

12.° Benedicendi ubique populo more Episcoporum; sed, in Urbe, in ecclesiis tantum, piis locis et fidelium consessibus.

13.° More Episcoporum gestandi crucem ante pectus, etiam supra mozetam, atque utendi mitra et baculo pastorali.

14.° Sacrum celebrandi in quolibet privato sacello sine praejudicio illius qui indulto gaudet.

15.° Pontificalia cum throno et baldachino peragendi in omnibus ecclesiis extra Urbem, Ordinario praemonito, si ecclesia sit cathedralis.

16.° Honoribus locorum Ordinariis tribui solitis fruendi quocumque se conferant.

17.° Fidem faciendi in foro externo, de oraculo pontificio testantes.

18.° Fruendi sacello ab Ordinarii visitatione exempto.

19.° De reditibus beneficiariis libere disponendi etiam per testamentum, salvo praescripto can. 1298.

20.° Consecrationes et benedictiones ecclesiarum, altarium, sacrae suppellectilis, Abbatum aliasve similes, excepta oleorum sacrorum consecratione, si Cardinalis charactere episcopali careat, ubique locorum, servatis servandis, peragendi, firmo praescripto can. 1157.

21.° Praecedendi omnibus Praelatis, etiam Patriarchis, imo ipsis Legatis Pontificiis, nisi Legatus sit Cardinalis in proprio territorio residens; Cardinalis autem Legatus a latere praecedit extra Urbem omnibus aliis.

22.° Conferendi primam tonsuram et ordines minores; dummodo promovendus habeat dimissorias proprii Ordinarii litteras.

23.° Ministrandi sacramentum Confirmationis, firmo onere inscriptionis nominis confirmati ad normam juris.

24.° Concedendi indulgentias ducentorum dierum, etiam toties quoties lucrandas, in locis vel institutis ac pro personis suae jurisdictionis vel protectionis; item in aliis locis, sed a praesentibus solummodo, singulis vicibus, lucrandas (*can.* 239, § 1).

Haec privilegia maxima ex parte (1.m, 2.m, 4.m, 5.m, 6.m, 8.m, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 20, 22) a Pio X jam concessa fuerant 20 dec. 1911. Plura ex illis nova tunc erant. Cfr. *Ferreres,* ap. *Razón y Fe, vol.* 33, *pag.* 243 *seq.*

Quae autem ibi contenta non erant a Cardinalibus adhiberi possunt ex die 20 aug. 1917 (ideoque ante Codicis promulgationem), quo Benedictus XV indulsit ut praescripta vigerent canonum 859, § 2; 1108, § 3; 1247, § 1; 1250, 1251, 1253, 1254; et in favorem Cardinalium, can. 239, § 1; 240; 600, 3.°; 1189, 1401. Vide antea dicta, *nn.* 152, 153.

467. **Privilegia specialia.** — Cardinalis Decanus gaudet privilegio ordinandi et consecrandi electum Pontificem, si hic ordinatione vel episcopali consecratione indigeat, et tunc *pallio* (vide *n.* 575 *seq.*) utitur; quod privilegium, absente Cardinali Decano, competit Subdecano, eoque etiam absente, antiquiori Cardinali Episcopo suburbicario (*can.* 239, § 2).

Cardinalis Proto-diaconus pallia Archiepiscopis et Episcopis privilegio fruentibus eorumve procuratoribus, vice Romani Pontificis, imponit; et nomen novi Pontificis populo annuntiat. (*Ibid.*, § 3).

ARTICULUS VI

CARDINALIUM POTESTAS

468. **Quam potestatem in dioecesibus suis Cardinales Ordinis Episcoporum, et in suis titulis ceteri Cardinales habeant.** — I. Cardinalis ad sedem suburbicariam promotus, postquam ejusdem canonicam possessionem apprehendit, est verus Episcopus et Ordinarius suae dioeceseos, eamque inibi potestatem habet quam ceteri Episcopi residentiales habent in propria dioecesi (*can.* 240, § 1).

II. Ceteri Cardinales possunt in propriis titulis vel diaconiis, postquam earum possessionem apprehenderint, quidquid in suis

ecclesiis possunt Ordinarii locorum, exceptis iis quae ad judiciorum ordinem pertinent, et excepta jurisdictione supra fideles; habent tamen jus in iis quae ad disciplinam, morum correctionem et servitium ecclesiae pertinent (*Ibid.*, § 2).

III. Cardinalis Ordinis presbyteralis pontificalia in titulo suo cum throno et baldachino peragere potest; eademque pontificali solemnitate Cardinalis ex Ordine diaconorum in propria diaconia assistere potest, et nemo alius ibidem id potest sine Cardinalis assensu; attamen in ceteris ecclesiis urbis Romae, Cardinales thronum et baldachinum habere non possunt, nisi de licentia Summi Pontificis (*Ibid.*, § 3).

469. **Cardinalium et Curiae Romanae potestas, Sede Apostolica vacante.** — Est ea quae ipsis in Const. *Vacante Sede Apostolica* 25 dec. 1904, assignatur; juxta quam, eo tempore Congregationes ordinariam jurisdictionem retinent, qua libere uti possunt quoad gratias minoris momenti concedendas. Quoad graviora autem negotia vel res controversas, si haec differri queant, ab ipsis non determinantur, sed futuro Pontifici decidenda reservantur.

Si tamen negotium dilationem non patitur, Sacrum Collegium id Praefecto et nonnullis e Cardinalibus illius Congregationis ad quam probabiliter Papa remisisset, committit; qui, re examinata et discussa, id provisorie, donec novus Papa eligatur, quod consultissimum et juri consonum ipsis videbitur, definient. Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 262, 263.

Ubi autem res nec est gravis nec urgens, tempore Conclavis, negotia cum subscriptione Cardinalis Praefecti expediri non solent. Card. *De Luca*, Relatio Curiae Romanae, *disc.* 3; *Analecta juris pont.*, l. c., *col.* 2371 *seq.*

Negotia quae subscriptione sola Secretarii expediri solent, eadem subscriptione etiam vacante Sede Apostolica expediri pergunt. *Lega*, l. c., *n.* 28 (*pag.* 26); *Ferreres*, La Curia, *nn.* 267, 268.

470. — Priscis temporibus, juxta decreta Sancti Gregorii Magni, absente Papa, Ecclesiam Cardinalis Archidiaconus, Cardinalis Archipresbyter et primus Notariorum gubernabant. *Ferreres*, l. c., *n.* 105.

ARTICULUS VII

DE CARDINALITIIS ORNAMENTIS ET TITULIS HONORIS

471. **A quo, et quando ea concessa fuerant.** — Innocentius IV († 1254) Cardinalibus galerum rubrum concessit; Bonifacius VIII († 1303) eis purpuram; Paulus II anno 1464 birretum rubrum iis qui Regulares non essent, et Gregorius XIV anno 1591

etiam Regularibus, concesserunt; Urbanus VIII, die 10 junii 1630, titulum Eminentiae eis assignavit, et Pius X, 24 maji 1905, decrevit omnes Cardinales, licet ordine episcopali praediti non essent, crucem pectoralem eodem modo ac Episcopi deferre posse.

472. **Tituli nobiliarii saeculares**. — Per const. *Militantis* (19 dec. 1644) decrevit Innocentius X Cardinales, quibuscumque titulis saecularibus ratione familiae insignitos, alio titulo uti non posse nisi Eminentiae Reverendissimae; et a gentilitiis stemmatibus coronas et reliqua signa tollenda esse, praeter ea quibus, intra ipsum scutum, notae essentiales stemmatis familiaris constituuntur. *Ferreres*, l. c., *nn.* 103, 104.

Haec autem quae de stemmatibus dicta sunt Benedictus XV per decretum Sacrae Congregationis Consistorialis 15 januarii 1915 latius extendit, ita ut Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi, tum residentiales, tum titulares, in sigillis, stemmatibus gentilitiis, vel edictorum inscriptione, titulos nobiliarios, coronas aut alia insignia et symbola saecularia, quae nobilitatem familiae declarent, usurpare non possint. Non tamen prohibentur tituli saeculares qui Sedi Archiepiscopali aut Episcopali adhaerent (v. gr. *Principis Andorrae*, Sedi Urgellensi adnexus); neque tituli Ordinis Equitum Sancti Joannis hierosolymitani aut Sanctissimi Sepulchri; sicut nec illi qui intra tesseram gentilitiam notas essentiales stemmatis familiaris constituunt. Cfr. *Ferreres*, apud *Razón y Fe*, *vol.* 42, *pag.* 240.

CAPUT IV

DE CURIA ROMANA

ARTICULUS PRAEVIUS

EJUS NOTIO ET HISTORIA: PRINCIPIA DE MODO IN EA PROCEDENDI

473. **Notio**. — Nomine Curiae designari solet complexus personarum physicarum et moralium quae principibus assistunt eosque in regimine nationis adjuvant, aut Summo Pontifici et Episcopis in gubernandis suis respective subditis assistunt eisque auxilium praestant. Cfr. *Ferreres*, La Curia Romana, *n.* 140.

In Codice nostro (*can.* 242 *seq.*), nomine Curiae significatur ordinatus complexus Congregationum, Tribunalium et Officiorum, quibus communiter utitur Romanus Pontifex in regimine Ecclesiae universalis. *Ferreres*, l. c., *n.* 141.

474. **Notae historicae**. — Ad faciliorem intelligentiam eorum quae nunc de Curia Romana dicentur, haec prae oculis habenda sunt. Quemadmodum Apostolica Sedes, ob amplitudinem suae jurisdictionis, quae ad universum orbem protenditur, plurima semper habuit negotia auctoritate sua decidenda, ita prudentium virorum consilia in difficilioribus quaestionibus exquirere consuevit, memor illius sententiae Prov., XI, 14: *Salus autem, ubimulta consilia.*

Quamvis enim Vicario suo in terris Christus Deus adsit, eumque, ubi *ex cathedra* loquitur, praerogativa infallibilitatis securum reddat, non tamen eum ab obligatione exemit media naturalia et ordinaria quae juvare possunt prudenter adhibendi.

475. *a*) **Vetus presbyterium**. — A primis saeculis consueverat Papa *presbyterium suum*, sc. clerum romanum, secum habere, quem consuleret de rebus majoris momenti, ut sunt ea quae fidem, disciplinam etc. respiciunt, ad eum modum (*servatis servandis*) quo ceteri Episcopi *presbyterium* (1) suum, id est clerum suae civitatis, de rebus suis consulebant, et etiamnum Capitulum aut consultores dioecesanos audiunt.

Praeter clerum romanum Pontifex Episcopos etiam in consilium vocabat, qui casu tunc Romae adessent. Cfr. *Ferreres*, La Curia, *n.* 18 *seq.*

Presbyterium, ut videtur, non sacerdotibus et diaconis solis tunc constabat, sed etiam inferiori clero: «*Facto* igitur *presbyterio* constitit doctrinae nostrae, id est, Christianae legi, esse contrariam (*haeresim Joviniani*). Unde Apostoli secuti praeceptum (*Gal.,* I, 9), quia aliter quam quod accepimus, annuntiabant, omnium nostrum, tam *presbyterorum* et *diaconorum,* quam etiam *totius cleri,* unam scitote fuisse sententiam, ut Jovinianus, Auxentius, Genialis, Germinator, Felix, Plotinus, Martianus, Januarius et Ingeniosus, qui incentores novae haeresis et blasphemiae inventi sunt, divina sententia et nostro judicio in perpetuum damnati extra Ecclesiam remanerent.» *Migne,* P. L., *vol.* 13, *col.* 1171; *Jaffé, n.* 260 (70); *La Fuente,* Hist. eclesiást. de España, *vol.* 1, *pag.* 375, ed. Madrid,1873.

Alli opinantur presbyterium romanum primis temporibus vigintiquinque presbyteris constitisse vigintiquinque titulis urbis incardinatis, una cum septem regionariis diaconis. Cf. *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 2, *nn.* 623, 767, IV, *not.* 17.

476. *b*) **Antiqua Concilia romana**. — Subinde, data occasione, Concilia Romae a Pontifice convocabantur, iisque assistebant Episcopi suburbicarii, clerus romanus et praeterea Episcopi (maxime

(1) De Episcopi *presbyterio* loquitur S. Ignatius Antiochenus in epistola ad Ephesios (ann. 107), quos hortatur (*c.* 2, *n.* 2) ut *Episcopo et presbyterio* subjiciantur: ὑποτασσόμενοι τῷ ἐπισκόπῳ καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ. *Funk,* Patres Apostolici, *vol.* 1, *pag.* 214 (Tubingae, 1901). Ejusdem presbyterii episcopalis meminit in epistola ad Magnesianos (*Ibid., pag.* 232), et in cap. 7 epistolae ad Philadelphenses (*Ibid., pag.* 270). Cfr. etiam epist. S. Pauli ad Titum, *cap.* 4, *vers.* 14, et *Michielis,* L'origine de l'Episcopat, *pag.* 154, 397 (Louvain, 1900).

ex Italia), qui quavis de causa Romae aderant, aut ad Papae jussum aut invitationem concurrebant.

Hujusmodi Concilia frequentissime celebrabantur, et haud raro in eis magnus erat numerus Episcoporum.

Eorum indoles fuit propria et peculiaris, nec enim proprie oecumenica, nec nationalia erant, nec provincialia. *Ferreres*, l. c., *n.* 22 *seq.*

477. *c*) **Antiqua Consistoria**. — Processu temporis, ubi negotia multiplicata sunt, dignitas autem et auctoritas Collegii Cardinalitii crevit, mos fuit Apostolicae Sedis res occurrentes in Consistorio pertractare.

Concilii convocatio, praesertim si frequens sit, plures secum fert difficultates; quare, ut summum, singulis annis ea fiebat; et frequenter plures anni, imo decennia elapsa sunt, quin concilium haberetur. At Consistorium multo facilius convocatur. Bis in hebdomada a Leone IV, ter autem saeculo XIII illud celebrabatur.

Eo tempore jam suburbicarii Episcopi ad Collegium Cardinalitium pertinebant, quare Consistorium veterum Conciliorum romanorum speciem quamdam retinuit.

In Consistorio graviora negotia agitabantur, etiam contentiosa, quibus procuratores et advocati utriusque partis intererant; Papa autem, auditis, tantum consilii causa, Cardinalibus, rem per se ipsum definiebat.

Simile admodum erat hoc Consistorium audientiis quibus saeculares principes subditis suis justitiam administrabant, et etiam *Consistoria* dicebantur; quo nomine item selectae et graves personae eorum consilium constituentes designatae sunt. *Ferreres*, l. c., *n.* 30 *seq.*

Id, ut apparet, gravissimum erat onus Romano Pontifici, cui per se ipsum negotia cuncta totius orbis christiani decidere necessarium erat. Crescente autem in dies fidelium numero et commeatus facilitate, major semper erat Romae negotiorum numerus et onere caput ipsum Ecclesiae obruebatur.

478. **Curia praesenti formae similis**.—Ideo, secuti consilium Moysi a socru suo Jethro datum (*Exod.*, XVIII, 17, *seq.*; *Deut.*, I, 12) ut gubernii curam partim aliis demandaret, unde septuaginta senes elegit, eosque judices constituit (*Num.*, XI, 16), partem etiam gubernationis Summi Pontifices Cardinalibus commiserunt: ex iis enim congregationes seu collegiata tribunalia constituerunt, in quibus Cardinales proprie judices sunt, et pontificia auctoritate gaudent; Papae tamen suprema resolutio in gravioribus negotiis reservatur. *Ferreres*, l. c., *n.* 36 *seq.*

479. — **Praecipuus Curiae auctor**. — Praecipuus Romanarum Congregationum auctor et ordinator fuit Sixtus V const. *Immensa*, 22 jan. 1587. Ante ipsum exstabant jam Congr. S. Officii, a Pau-

lo III creata 23 julii 1542; Congr. Concilii, a Pio IV 2 aug. 1564; Congr. Indicis a S. Pio V, prout id Bened. XIV tradit in Const. *Sollicita ac provida*, 9 julii 1753, et Congr. Episcoporum a Gregorio XIII (1572-1585) instituta. Cf. *Ferreres*, l. c., *n.* 8 *seq.*

480. — Negotiis hoc modo inter diversas Congregationes distributis, Consistorii celebratio minus necessaria, et in dies minus frequens evasit: quare nunc raro jam in toto anno Consistorium quod *ordinarium* aut *secretum* audit, celebratur, scilicet, quoties illud Papa indicit, sine statuto mense aut die.

Non omnia negotia in Consistorium afferebantur, sed ex iis aliqua Papa definiebat in capella sua, capellanibus stipatus, qui propterea *Palatii Apostolici auditores* nominabantur. Hi e Pontificis manibus preces ad eum directas accipiebant, et auditis partibus, id quod a partibus allegabatur ad Papam referebant: audita autem relatione, rem Papa definiebat. Atque ex hac capella ortum Rota Romana habuisse videtur.

Jam etiam eo tempore Sacra Poenitentiaria et Dataria Apostolica exstabant.

481. **Recens instauratio.** — Curia Romana a Pio X per constitutionem *Sapienti consilio*, 29 jun. 1908 nova forma et ordine donata est; Codex autem partim illum ordinem confirmat, partim immutat simul et perficit.

482. **Congregationum, Tribunalium et Officiorum scopus.** — *Congregationum* praecipuus scopus est resolutio dubiorum ad praxim spectantium, authentica sacrorum canonum interpretatio et applicatio, administratio justitiae in linea disciplinari, concessio gratiarum et ecclesiasticae disciplinae promotio.

Ex *Tribunalibus*, alia ad administrandam justitiam in foro externo contentioso, alia vero ad omnia quae ad forum internum spectant sive sacramentale illud sit, sive extrasacramentale, instituta sunt.

Officia denique ad documenta exaranda, ut Bullas, Brevia, etc., ad bona temporalia administranda, ad concedendas gratias et ad negotiorum plurium expeditionem materialem destinantur.

Officii tamen vox est generica, eaque ad conjunctim designandum Congregationes, Tribunalia et Officia etiam applicatur. *Ferreres*, l. c., *nn.* 143-146.

483. **Procedendi ratio.** — In singulis Congregationibus, Tribunalibus et Officiis servatur disciplina, et tractantur negotia secundum normas tum generales tum particulares, quas ipsis Romanus Pontifex praestituit (*can.* 243, § 1).

484. **Secretum.** — Omnes qui ad Congregationes, Tribunalia, Officia Romanae Curiae pertinent, ad secretum servandum tenentur intra fines et secundum modum ex disciplina unicuique propria determinatum (*can.* 243, § 2).

485. **Principia de modo procedendi.** — I. Principium fundamentale est pro omnibus Congregationibus, Tribunalibus et Officiis, nihil grave et extraordinarium in iis agi posse, quin prius de re ad Romanum Pontificem referant (*can.* 244, § 1). Vide etiam Const. *Sapienti consilio* in fine, et *Ferreres*, l. c., *n.* 254.

Hoc principium substantialiter convenit cum praescripto Sixti V in Const. *Immensa*, § 2, pro Congregationibus: «Ita ut graviores difficilioresque consultationes ad nos referant.» (*Bull. Rom. Taurin., vol.* 8, *pag.* 986). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 254.

II. Omnes gratiae et resolutiones indigent pontificia approbatione, praeter eas pro quibus Praefectis Congregationum, Tribunalium aut Officiorum speciales facultates tributae sint. Excipiuntur item sententiae Rotae Romae et Signaturae Apostolicae (*can.* 244, § 2). Cfr. Const. *Sapienti consilio*, l. c., et *Ferreres*, l. c., *n.* 255.

III. Controversiam, si qua exoriatur, de competentia inter Sacras Congregationes, Tribunalia vel Officia Romanae Curiae, dirimit coetus S. R. E. Cardinalium, quos Romanus Pontifex singulis vicibus designaverit (*c.* 245). Cfr. *n.* 496, *N. B.*

486. **Officiales majores et minores: Congressus.** — In omnibus Congregationibus, Tribunalibus et Officiis duplex adest officialium ordo: majorum et minorum. In omnibus pariter (excepta Rota) est id quod *Congressus* dicitur, et ex Cardinali praeside et officialibus majoribus constituitur (*Norm. comm., cap.* I, *n.* 3).

Ad Congressum pertinet minora negotia expendere et expedire; de ceteris disponere et ordinare ut agantur in pleno sui cujusque Officii conventu (*Ibid., n.* 4). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 257.

ARTICULUS I

DE CONGREGATIONIBUS

487. **Earum constitutio.** — Singulis Congregationibus praeest Cardinalis Praefectus, vel, si eisdem praesit Romanus Pontifex, eas dirigit Cardinalis Secretarius; quibus adjunguntur Cardinales quos Pontifex eis adscribendos censuerit, cum aliis necessariis ministris (*can.* 246).

Solis igitur Cardinalibus constant Congregationes, quatenus in eis tantum Cardinalibus conceditur votum decisivum; si tamen latiori sensu nomen Congregationis accipiatur, in ea comprehenduntur item officiales tum majores tum minores, qui Cardinales non sunt. *Ferreres*, l. c., *n.* 258.

Praefecti munus uni e Cardinalibus tribuitur, exceptis Congregationibus Sancti Officii, Consistoriali et pro Ecclesia Orientali, in quibus Praefectus est ipse Papa.

Praecipuus Praefecti adjutor est **Secretarius:** isque communiter, licet non semper, Archiepiscopus titularis esse solet. In Congregationibus quarum Praefectus est Papa, munus Secretarii datur Cardinali, qui Congregationi praeest in absentia Papae. In his Congregationibus per Assessorem exercetur maxima pars officiorum quae in ceteris ad Secretarium pertinent. *Ferreres*, l. c., *n.* 259.

488. **Procedendi ratio.** — Decisiones in Congregationibus fiunt ex majori parte suffragiorum; quod si suffragia sint paria, decisio differtur, et datur responsum *dilata*.

Mos est ut Cardinalis qui prima vice Congregationem ingreditur, a suffragio dando propter modestiam abstineat. *Lega*, De judiciis, *vol.* 2, *n.* 104 (*pag.* 111).

Quoniam Congregationes ad modum Tribunalium collegialium procedunt, ad validitatem in eis requiritur saltem trium Cardinalium assistentia (Sixtus V, const. *Immensa*).

Tamen Sanctum Officium procedere potest quamvis sessioni tantum duo Cardinales adsint, dummodo hi, ut supponitur, de resolutione conveniant (S. Pius V, Motu proprio *Cum felicis*, an. 1566).

489. — A decisionibus Sacrarum Congregationum, cum ea Tribunalia Suprema sint, non est locus appellationi proprie dictae, sed tantum beneficium novae audientiae, quod intra decem dies a publicatione sententiae postulandum est (*Norm. pec., cap.* 4, *n.* 10).

Praedictum beneficium, perpensis adjunctis, concedere aut negare spectat ad Cardinalem Praefectum, audita sententia Congressus; si tamen decisio data fuerat cum clausula *et amplius* (non proponatur), concessio ad plenam Congregationem spectat (*Ibid.*).

Pro ampliore explicatione cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 269-282.

490. — Tum in reformatione Pii X, tum in praesenti Codice, pro viribus curatum est, ut **cumulativa jurisdictio** supprimeretur; contentiosa a voluntaria et fori interni a fori externi jurisdictio separata fuit. Congregationes novae creatae, et ex antiquis aliquae suppressae sunt; et tandem cuilibet claris et definitis terminis propria competentia assignata, talisque proportio servata fuit, ut aequitate quadam negotiorum pondus inter omnes distribueretur. Vide *Ferreres*, l. c., *n.* 148 *seq.*, ubi latius haec omnia tractantur.

I. *Congregatio Sancti Officii.*

491. **Ejus constitutio.** — Haec Congregatio dignitate prima est. Ejus Praefectus sive Moderator vel Praeses est Summus Pontifex (*can.* 247, § 1). Secretarius est Cardinalis, communiter senior inter omnes qui ad eam pertinent. Jurisdictio autem ejus in omnes mundi regiones, sine ullius territorii exceptione, protenditur. *Normae pec., cap.* 1, 1.° *a.*

Officiales majores Sancti Officii, post Cardinalem Secretarium, sunt Assessor et Commissarius.

Assessor Praelatus saecularis communiter est, isque negotia Sti. Officii praeparat simili modo ac Secretarii aliarum Congregationum in eis faciunt. *Ferreres*, l. c., *n.* 302.

Commissarius perpetuo ex Ordine Sti. Dominici sumitur, duosque ex eodem Ordine socios habere solet, qui nomine primi et secundi socii designantur. Cfr. *Acta A. Sedis*, *vol.* 1, *pag.* 110. Commissario causae criminales praeparandae et instruendae committi solent, in quibus Sanctum Officium sententiam ferre debet. *Ferreres*, l. c., *n.* 303.

Praeter *Consultores*, habet etiam *Qualificatores*, a quibus interdum requiritur ut scripto notam, qualificationem aut censuram theologicam assignent, quam, eorum judicio, propositio aliqua, liber aut scriptum mereatur. *Ferreres*, l. c., *n.* 301.

Quoniam autem ad Congregationem Sti. Officii translata est materia de censura et prohibitione librorum, quae prius Congregationi Indicis commissa erat, idcirco magnopere numerus Qualificatorum adauctus est.

Habet insuper *Relatorem* qui communiter coram S. Congregatione de libris informat quorum examen illi commissum fuit. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 602.

492. **Ejus competentia.** — Ipsi assignatur:

1.° Defensio doctrinae de fide et moribus (*can.* 247, § 1); et praeter ea quae ad doctrinam dogmaticam spectant, pertinent exclusive ad eam judicia de haeresi et ceteris criminibus quae haeresis suspicionem inducunt (*Ferreres*, l. c., *n.* 309). In his autem causis non solum decidendi in gradu appellationis a tribunali Ordinarii loci, sed etiam in prima instantia judicandi, si causae ad eam Congregationem directe deferantur, potestatem habet (*can.* 247, § 2).

2.° Facultas exclusiva cognoscendi ea quae sive directe sive indirecte, in jure aut in facto, **privilegium**, uti ajunt, **Paulinum** et matrimonii impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis respiciunt (*Ferreres*, l. c , *n.* 316), itemque dispensandi in his impedimentis. Quare ad Sanctum Officium omnes de hac materia quaestiones sunt deferendae; poterit autem haec S. Congregatio, si id opportunum duxerit et casus ferat, quaestionem ad aliam Congregationem aut ad Tribunal Romanae Rotae remittere (*can.* 247, § 3).

Privilegium Paulinum dicitur illud de quo S. Paulus agit (I *Cor.*, VII, 12, 15), juxta quod, si infidelis aliquis convertitur, et alter conjux converti nolit nec pacifice cum eo cohabitare sine Creatoris offensione, potest conversus, opportunis peractis interpellationibus, infidelem dimittere et cum alio christiano matrimonium contrahere, quo novo matrimonio illud quod antea in infidelitate contractum erat, dissolvitur.

493. —3.° Ad eamdem pertinet *a*) non solum libros ipsi denuntiatos tanquam periculosos examinare, et si id expediat, prohibere, verum etiam *b*) ex officio opportuniore ratione inquirere de scriptis cujuscumque generis quae in lucem edantur damnatione dignis, et in memoriam Ordinariis revocare curam qua vigilare tenentur, et libros aut scripta perniciosa prohibere, eaque Sanctae Sede denuntiare, juxta praescripta can. 1397. Pariter ad eam spectat *c*) licentiam ad libros prohibitos legendos concedere (*can.* 247, § 4).

Materia de prohibitione librorum, jam ante ipsam Curiae reformationem a Pio X peractam, magna ex parte ad Sacram Indicis Congregationem pertinebat, quae nunc in Codice supprimitur, ita ut totum hoc munus integre ad Sanctum Officium translatum sit, ad quod jam antea partim spectabat, eo quod prohibitio ipsa cum defensione fidei, quae Sancti Officii propria est, haud raro connectitur. Inde facultas tributa fuerat ut Cardinales, Consultores et Officiales utriusque Congregationis omnia haec negotia secum mutuo communicare possent. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 608.

De modo quo in his prohibitionibus agi solet, cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 611-629. Ibi etiam *nn.* 636-647 traditur quidquid ad Indicem librorum prohibitorum spectat.

4.° Ipsi praeterea commissa sunt ea omnia quae jejunium eucharisticum pro sacerdotibus Missam celebrantibus respiciunt (*can.* 247, § 5).

N. B. Quae ad indulgentias referuntur et ipsi S. Officio a Pio X commissa erant (cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 329-338), Codex committit S. Poenitentiariae, ut postea dicetur.

II. *Sacra Congregatio Consistorialis.*

494. **Ejus constitutio.** — Ejus Praefectus est Papa. Inter alios ad eam ex officio spectat Card. Secretarius Sti. Officii, Praefectus Congregationis de Seminariis et Universitatibus studiorum et Secretarius Status (*can.* 248, § 1).

Inter Consultores illius adsunt semper Assessor Sti. Officii, Secretarius Congregationis pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis et Secretarius Congregationis de Seminariis et Universitatibus studiorum (*Ibid.*). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 343.

Ejus *Secretarius* est Cardinalis aliquis, ejusque *Vicesecretarius* est *Praelatus* qui *Assessor* vocatur.

495. — Ejus *officiales majores* sunt Assessor et ejus substitutus (*Norm. pec.*, *cap.* 8, *a.* 2, 1.°). Assessor autem Secretarii Collegii Cardinalitii munere fungi solet.

Ob hoc autem postremum munus, Assessor praedictus fit etiam Secretarius Conclavis quoties Sedes Apostolica vacat, et Conclavi finito, officio fungitur Secretarii Status, donec Pontifex Cardinalem aliquem pro hoc munere designet.

Ipse etiam, quatenus Secretarius Conclavis, Papae recens electo pileolum album offert, et vicissim Papa (si quidem antea Cardinalis fuerit, ut in electis omnibus a saeculo XIV exeunte accidit) pileolum suum rubrum praedicto Secretario tribuit, et ipsum paulo post ad cardinalitiam dignitatem promovet. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 342.

496. **Ejus competentia.** — Duo negotiorum genera haec Sacra Congregatio complectitur:

1.° *Negotia consistorialia, dioecesum erectiones*, etc. Ad hoc primum genus pertinent non solum ea quae in Consistoriis tractanda sunt praeparare, sed etiam (in regionibus Sacrae Congregationi de Propaganda Fide non subjectis) novas dioeceses et Capitula, tum Cathedralia, tum Collegialia constituere; dioeceses jam constitutas dividere, etc. Itemque Episcopos, Administratores Apostolicos, Episcoporum Coadjutores et Auxiliares cum aut sine futura successione proponere; canonicas informationes seu *processus* circa eligendos decernere, eosque diligenter excutere; de ipsorum scientia et doctrina periculum instituere, salvo praescripto can. 255 (*can.* 248, § 2).

2.° *Generalis dioecesum gubernatio.* In hoc altero genere comprehenduntur ea quae ad constitutionem, conservationem et statum dioecesum spectant: inde Congregatio invigilat rationi qua singuli Ordinarii suis officiis satisfecerint; expositiones ab ipsis scripto exaratas de statu suarum dioecesum discutit; visitationes apostolicas indicit, easque postquam perfectae jam sunt examinat, transmissis in utroque casu ad singulas Congregationes negotiis quae ad eas pertinent, ut de ipsis deliberent (*Ibid.*, § 3).

N. B. Juxta Pii X instaurationem, hujus Congregationis munus erat item ea quae ad disciplinare Seminariorum regimen, administrationem temporalem et studia spectant, ordinare.

Insuper, dubia circa competentiam inter Congregationes dirimere, excepta Congregatione Sti. Officii (Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 351, 352 *seq.*). Cfr. antea dicta, *n.* 485, III.

De modo procedendi hujus Congregationis proprio, vide *Ferreres*, l. c., *nn.* 359, 375.

III. *Congregatio de disciplina Sacramentorum.*

497. **Ejus constitutio.** — Haec Congregatio, sicut etiam singulae quae sequuntur (excepta Congr. Ecclesiae Orientalis), Praefectum habent Cardinalem, qui Congregationi praeest. E quibusdam Cardinalibus a Papa electis constat. Ejus Secretarius est Praelatus aliquis.

Officiales majores sunt Praelatus Secretarius et tres Subsecretarii.

Plures theologos et canonistas habet *consultores*, itemque competentem numerum *Officialium minorum*.

498. **Tres Subsecretarii**. — E tribus Subsecretariis, unus praecipue curat de *petitionibus* circa dispensationes impedimentorum matrimonialium.

Alter, de *ceteris petitionibus ad matrimonium spectantibus*, ut de sanatione in radice, prolis legitimatione, quaestionibus de validitate aut nullitate matrimonii, dispensationibus de matrimonio rato et non consummato, dubiis de hujusmodi materiis, etc.

Tertius, de rebus ad Ordinem et ad reliqua sacramenta, praeter matrimonium, spectantibus.

Singuli Subsecretarii adjutorem et convenientem numerum amanuensium habent (*Norm. pec.*, *cap.* 7, *a.* 3, *nn.* 1-6).

499. **Regiones ejus jurisdictioni subjectae**. — Hujus Congregationis jurisdictio circa matrimonium etiam ad regiones extenditur quae Congregationi de Propaganda Fide subditae sunt; in ceteris, tantum ad eas quae jure communi reguntur (*Norm. pec.*, *cap.* 1, *n.* 1.°).

500. **Ejus competentia**. — Huic Congregationi committitur: *a*) munus leges ferendi de **septem sacramentorum** *disciplina*, salvo jure Congregationis S. Officii ad privilegium Paulinum quod attinet, de quo vide *n.* 492, 2.°, salvo item Congregationis Sacrorum Rituum jure de ritibus et ceremoniis quae in sacramentis conficiendis, administrandis et recipiendis servanda sunt (*can.* 249, § 1).

Hinc ad eam pertinet quidquid decerni et concedi solet tum in matrimonii tum in aliorum sacramentorum disciplina, itemque in Missae celebratione, praeter ea quae ceteris Congregationibus reservantur (*Ibid.*, § 2). Itaque, ab ipsa dispensationes matrimoniales, sive pro pauperibus sive pro non pauperibus, et reliquae aliorum sacramentorum dispensationes conceduntur, exceptis iis quae S. Officio aut alteri Congregationi peculiariter reservantur.

b) Ad ipsam praeterea pertinet, idque exclusive, de **inconsummatione** matrimonii et de exsistentia causarum ad dispensationem ob matrimonium *ratum non consummatum* concedendam et de iis omnibus quae cum illis connexa sunt cognoscere. Quorum omnium cognitionem, si id expedire judicaverit, ad Sacram Rotam Romanam remittere potest.

c) Pariter ad hanc Congregationem deferri possunt quaestiones de validitate matrimonii, quas tamen, si accuratiorem disquisitionem aut investigationem exigant, ad tribunal competens remittet.

d) Ad eamdem pertinet videre **de obligationibus** *ordinibus majoribus* **adnexis**, atque examinare quaestiones de **validitate** sacrae ordinationis aut eas ad tribunal competens remittere.

Quae omnia pariter locum habent in ceteris Sacramentis (*Ibid.*, § 3).

501. **Animadversio de ejusdem origine et competentia.** — Congregatio haec est respective recens, quippe quae a Pio X anno 1908 per const. *Sapienti consilio* creata fuit.

Dispensationes matrimoniales prius a Dataria concedebantur, itemque si res foret de pauperibus extra Hispaniam et Lusitaniam, a Sacra Poenitentiaria. Cfr. *Razón y Fe, vol.* 3, *pag.* 384 *seq.*

A Congregatione autem de Propaganda Fide pro regionibus sibi subjectis prius concedebantur.

Decisiones vero de validitate aut nullitate matrimonii, dispensationibus matrimonii rati et non consummati, legitimatione prolis, dispensationibus ordinandorum, etc., ad S. Congregationem Concilii spectabant. Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 389-391.

502. **Dispensationum taxae.**—In concedendis matrimonii dispensationibus, eleemosyna major aut minor facienda exigitur, nomine *taxa*, quae, post expensas officiorum inde solutas, in opera pia deputatur. Finis autem est matrimoniis inter cognatos obicem aliquem opponere, e quibus, ut experientia docet, gravia physiologica damna pro filiis enasci solent.

503. — In omnibus dispensationibus pro iis qui *quasi pauperes* aestimantur, dimidium taxae, ut minimum, imminuitur; imo et *integra taxa* remittitur vere pauperibus, nec solvere tenentur nisi omnino necessarias expensas tabellariorum, chartae, amanuensis, etc. Condonantur etiam ipsis in hoc ultimo casu jura agentis. Quare pauperibus est magis quam antiqua favens nova haec disciplina. Vide *Razón y Fe, vol.* 3, *pag.* 384, *nn.* 57-59.

Pauperes vel quasi pauperes interim aestimantur iidem qui ante 1908: ideoque in Italia pauperes habentur ii quorum bona libellas 1.612,50 non excedunt, et quasi-pauperes si 5.375 liras non excedant. Extra Italiam vero, pauperes vel quasi-pauperes, si 2.821,87 aut 9.406,32 respective non excedunt. Cfr. *Gury-Ferreres, vol.* 2, *n.* 879, *q.* 4.

Expresse declaratum est, ob involuntarium errorem circa paupertatem, dispensationem invalidam non esse; erit tamen illicita si error voluntarius fuerit: et in utroque casu remanet in impetrantibus dispensationem officium justitiae compensandi S. Congregationem ob fraudatam pecuniam ratione erratae allegationis. — Hac decisione antiquantur controversiae de valore aut nullitate hujusmodi dispensationum quae impetrantur *in forma pauperum*, quin tamen contrahentes pauperes sint (1).

504. **Gratiarum expeditio.** — Conceduntur gratiae per Breve,

---

(1) Vide *Razón y Fe, vol.* 3, *pag.* 389, *n.* 73 *seq; Corradus, lib.* 8, *c.* 6, *n.* 68 *seq.; De Justis, lib.* 1, *c.* 7, *n.* 72 *seq.; Gousset, vol.* 2, *n.* 866, 12.°; *S. Alph.*, Hom. Apost., *tr.* 18, *n.* 87; *Feije, n.* 695; *Giovine, t.* 2, *pag.* 181 *seq.; Gasparri*, 1, *n.* 319. Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 411-413.

exaratis in Secretaria hujus Congregationis omnibus dispensationibus matrimonialibus quorumcumque graduum, dummodo honestae sint et taxis majoribus subjiciantur. Reliquae per rescripta expediendae sunt.

Etiam per Breve expediuntur indulta Oratorii privati; scribitur autem Breve ipsum in respectiva sectione Secretariae Status.

Sacerdotibus tamen senibus aut aegrotis qui pauperes sint, gratia Oratorii privati in forma rescripti conceditur, servatis item regulis cap. XI e *Norm. comm.*, sc. imminuta medietate aut amplius in assignata taxatione.

Indulta ad Eucharistiam adservandam per Breve aut per rescriptum expedientur, prout gratia perpetua sit aut tantum temporalis.

In primo casu, Breve in sectione Brevium e Secretaria Status quaerendum est, ad quam pertinet illud scribere, et cujus Cancellario opportunam notitiam Secretarius aut Substitutus Congregationis Sacramentorum praebere debet. Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 420-423.

IV. *Sacra Congregatio Concilii.*

505. **Origo**. — Congregatio haec a Pio IV per const. *Alias Nos* 2 aug. 1564 creata est (V. *Bull. Taurin*, *vol.* 7, *pag.* 300). Nomen ejus ab exclusiva competentia derivatum est quae circa exsecutionem, observantiam et interpretationem Concilii Tridentini ipsi data fuerat. Attamen per instaurationem Pii X plures in ea res immutatae sunt. Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 450-466.

506. **Ejus praesens competentia**. — Huic Sacrae Congregationi ea pars negotiorum commissa est quae ad *a*) *cleri saecularis* et *b*) *populi christiani disciplinam* spectat (*can.* 250, § 1).

Hinc 1.° ipsius proprium est curare ut serventur praecepta vitae christianae, in iisque cum fidelibus opportune dispensandi facultatem habet, ex gr., in jejuniis, abstinentiis, festis colendis.

2.° Item moderari quae parochos et canonicos spectant; aut quae ad sodalitates, congregationes, pias uniones, pia legata, pia opera, Missarum stipendia, beneficia aut officia, bona ecclesiastica, ad montes item pios seu arcas nummarias, ad tributa dioecesana, taxas Curiarum episcopalium aliaque similia referuntur. (*Ibid.*, § 2).

507. — Ejus competentiae sunt quae ad **immunitatem ecclesiasticam** pertinent, itemque ad controversias de **praecedentia**, salvo jure Congregationis de Religiosis et Congregationis Caeremonialis (*Ibid.*, § 3).

Ad Congr. de Religiosis pertinent res quae ad religiosos spectant; ad Caeremonialem vero quae Pontificium Sacellum, pontificiam Aulam et Cardinalium praecedentiam respiciunt.

508. — Curat item Cong. Concilii de spectantibus ad celebra-

tionem et **recognitionem** *Conciliorum*; itemque ad Episcoporum coetus seu *collationes*, extra loca quae subsunt Congregationi de Propaganda Fide *(Ibid.*, § 4).

509. — Est etiam haec Congregatio competens *tribunal* in omnibus controversiis de negotiis eidem commissis quas *modo disciplinari* tractandas censuerit; cetera ad tribunal Rotae deferenda sunt (*Ibid.*, § 5). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 448 *seq.*

510. — **Facultates et dispensationes ab ipsa concedendae.** — Inter dispensationes quas concedere potest, numeratur *compositio* pro usurpatoribus bonorum ecclesiasticorum, licet hujusmodi bona ad Instituta religiosa pertineant.

Dispensat item super conditionibus requisitis ad assequenda beneficia quorum collatio libere ad Ordinarium spectet.

Potest item facultatem tribuere ad tribunam habendam quae ecclesiam prospectet, aut ad privatam januam pro ingressu in illam aperiendam; item super gradu doctoris vel licentiati, qui ex fundatione vel jure communi ad beneficium provisionis Ordinarii requiratur, dispensare potest. Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 442-447.

V. *Sacra Congregatio de Religiosis.*

511. **Origo.** — Ejus praesens forma Pio X tribuenda est. Ea Congregationi antiquae Regularium successit, quae a Sixto V fundata fuerat 17 maji 1586; quae quidem postea, conjuncta cum Cong. Episcoporum, Congregationem Episcoporum et Regularium constituit (1). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 468 *seq.*

512. **Ejus competentia.** — *a*) Congregatio Religiosorum ea sibi exclusive vindicat quae in ritu latino respiciunt regimen, disciplinam, studia, bona et privilegia *religiosorum* utriusque sexus, sive in religione sint votorum solemnium, sive votorum simplicium, sive in sodalitate sine votis vitam communem agente more religiosorum, sive in aliquo tertio Ordine saeculari, salvo in omnibus jure Congregationis de Propaganda Fide (*can.* 251, § 1). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 488 *seq.*

b) Quaestiones omnes suae jurisdictionis *in linea disciplinari* dirimere potest, tam si religiosi actores sint, quam si sint rei; si

---

(1) Ratio vero cur nunc *Religiosorum*, non autem sicut antea *Regularium* dicatur, clara est. Nam Sixti V tempore omnia aut fere omnia instituta religiosa Regularium erant, id est, votorum solemnium. Vide *Razón y Fe, vol.* 5, *pag.* 254, *n.* 13; *Ferreres*, Las Religiosas, *com.* IV, *n.* 13. Nunc vero multa jam sunt instituta votorum simplicium, quibus denominatio quidem Religiosorum convenit, non vero nomen Regularium.

Quamobrem denominatio generalis adhibita est, quae communis sit omnibus institutis, tam solemnium, quam simplicium votorum, imo et quibusdam piis associationibus quae votis carent, licet more religiosorum in communitate degant. Accipitur itaque hic vocabulum *religiosi* eo amplissimo sensu quo in Motu proprio *Dei providentis*, 16 jul. 1906, ipsi tribuitur. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 476.

tamen quaestio vertatur inter religiosum sodalem et personam non religiosam, potest, praesertim ad instantiam partis, eamdem quaestionem, si id aequum judicaverit, ad aliam Congregationem aut tribunal remittere (*Ibid.*, § 2).

c) Quaestiones autem quae non disciplinari forma sed judicialiter tractandae sunt, ad tribunal competens remittat oportet; et in ipsis quas ipsa resolvit, integrum semper manet jus Congregationis S. Officii et Congregationis Concilii in negotia ad ipsas spectantia (*Ibid.*).

513. **Dispensationes.** — *a*) Habet pariter exclusivam facultatem concedendi dispensationes a jure communi pro sodalibus religiosis, salvo tamen praescripto can. 247, § 5, de jejunio eucharistico sacerdotum (*Ibid.*, § 3).

b) Inter facultates et dispensationes quas concedere valet, haec enumerantur: transitus ad strictiorem Ordinem, conventus aut domus religiosae nova fundatio, translatio novitiatus, visitatorum designatio, agenda ad novi alicujus instituti approbationem praeparandam, mutatio regularum vel constitutionum, etc. Episcopis facultatem tribuit ad approbanda instituta dioecesana, etc.

c) Dispensationes omnes religiosis necessarias concedit, v. gr., ad alienationem suorum bonorum, ad Ordines ante aetatem a jure assignatam accipiendos, etc... Concedit item decreta saecularizationis, dispensat ut moniales intra clausuram papalem alumnas recipiant; item ut quaevis religiosae majorem numerum religiosarum recipere possint, quam in Constitutionibus assignatum habent; ut confessor ultra triennium officium suum exercere pergat; dispensat in votis simplicibus perpetuae castitatis et religionis quoad religiosas, etc. Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 489-494.

VI. *Sacra Congregatio de Propaganda Fide.*

514. **Origo.** — A Gregorio XV fundata est per bullam *Inscrutabili*, 22 jun. 1622 (*Martinis*, Jus Pont. de Propaganda Fide, *vol.* 1, *pag.* 1 *seq.*: Romae 1888. *Bull. Rom. Taurin.*, *vol.* 12, *pag.* 690). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 114.

515. **Competentia.** — *a*) Praeest Missionibus ad Evangelium et doctrinam catholicam praedicandam, ad idque ministros necessarios constituit et mutat, facultatemque habet tractandi, agendi et exsequendi omnia in hac re necessaria et opportuna (*can.* 252, § 1).

b) In regionibus sibi subjectis curat ea omnia quae ad celebrationem et recognitionem Conciliorum pertinent (*Ibid.*, § 2). In reliquis, ut supra dictum est, id curat S. Congreg. Concilii.

516. — *c*) Jurisdictionem suam in eas regiones protendit in quibus nondum sacra hierarchia constituta est, ita ut adhuc in

statu missionum perseverent; item ad alias in quibus constituta quidem est hierarchia, sed in statu velut incipienti (*Ibid.*, § 3).

Ut autem plenius dicta intelligantur, meminisse oportet Ecclesiam alicubi per hierarchiam ordinariam gubernari, alicubi autem per regimen missionibus accommodatum.

Ubi hierarchia viget, gubernatio fit per Episcopos residentiales proprios, qui proprio nomine, propriaque auctoritate, licet sub Pontificis dependentia, dioeceses suas regunt. Ubi autem viget regimen Missionum, gubernatio fit per Episcopos titulares, qui Apostolici Delegati, Vicarii aut Praefecti vocantur, et nomine Papae, tanquam ipsius delegati, territoria ipsis commissa regunt, quae quidem ex iis esse solent in quibus infidelium aut haereticorum magna frequentia est. Quaenam autem singillatim sint hae regiones, videsis apud *Ferreres*, l. c., *nn.* 529-238.

Quoties vero Summus Pontifex ecclesiasticam hierarchiam in aliqua regione statuit aut redintegrat, simul determinat utrum haec sub ditione Congreg. de Propaganda Fide conservanda, an ad jus commune reducenda sit.

517. — *d*) Ab eadem Congregatione pendent ecclesiasticorum associationes seu collegia vel seminaria, quae exclusive fundata sunt eo fine ut inibi missionarii ad exteras regiones formentur: ei autem subsunt speciatim quod attinet ad eorum regulas, administrationem atque opportunas concessiones ad sacram ordinationem alumnorum requisitas.

e) Quae vero ad *fidem* aut *mores* pertinent, ad Stum. Officium remittere debet; sicut etiam quae *matrimonium* vel *sacros ritus* spectant ad suas quasque Congregationes remittet (*can.* 252, § 4).

De cetero, adeo ampla gaudet competentia, ut etiamnum in regionibus ipsi subjectis, auctoritati quam in reliquis nationibus omnes aliae Congregationes conjunctim exercent, aequipollere quodammodo videatur.

f) Super **religiosos** regionum ad eam spectantium, jurisdictionem tum singillatim tum collective *quatenus missionarii sunt* exercet; in reliquis ii Congregationi Religiosorum subjiciuntur, quamvis ad eas virorum aut mulierum congregationes pertineant, quarum constitutiones a Sacra Congr. de Propaganda Fide probatae fuerint (*Ibid.*, § 5).

VII. *Sacrorum Rituum Congregatio.*

518. **Origo.** — A Sixto V ea fundata fuit.

519. **Constitutio.** — Ejus officiales sunt Praelati, inter quos *Sacrista* Summi Pontificis, *tres Rotae auditores*, scil. Decanus et duo alii seniores; unus e *Protonotariis Apostolicis*, Magister Sacri Palatii, Promotor Fidei, Assessor et Subpromotor Fidei. *Ferreres*, l. c., *n.* 649.

Ad eam pertinent Magistri caeremoniarum Sacri Palatii ut consultores ad liturgica. *Ferreres*, l. c., *n.* 650.

520. — *Promotor Fidei* is est cui in causis beatificationis et canonizationis munus incumbit rationes et dificultates omnes inquirendi et urgendi quae beatificationi et canonizationi obstant, ne ob omissum causarum examen et studium, altarium honores aliquis immeritus obtineat.

In totum orbem jurisdictio illius extenditur, at solummodo pro Ecclesia latina.

521. **Competentia.** — Ad eam pertinet *a*) videre et statuere ea omnia quae sacros ritus et caeremonias *Ecclesiae Latinae* spectant (non autem quae tantum lato sensu ritus sunt, v. gr. praecedentia et similia), idque sive ordine judiciario sive in linea disciplinari agendum sit (*can.* 253, § 1).

Ejus proinde est advigilare sacris ritibus et caeremoniis in Missa celebranda, sacramentis ministrandis, divinis officiis, et iis omnibus quae divinum cultum in Ecclesia latina respiciunt (*Ibid.*, § 2).

b) Proprium ejus est super his *dispensationes* concedere, itemque *insignia* et *honoris privilegia*, tam personalia et ad tempus, quam localia et perpetua, quae ad ritus et caeremonias pertineant, et cavere ne in haec abusus irrepant (*Ibid.*).

c) Denique ad eam pertinent quae ad beatificationem et **canonizationem** servorum Dei vel ad sacras **reliquias** quoquo modo referuntur (*Ibid.*, § 3).

N. B. De beatificatione et canonizatione Sanctorum dicetur *lib.* IV, *tit.* 22-26.

VIII. *Sacra Congregatio Caeremonialis.*

A Sixto V fundata videtur, ut Congr. S. Rituum complementum.

522. **Ejus constitutio.** — Ejus Praefectus Cardinalis *Decanus* esse consuevit, utpote recepti usus, consuetudinis et praxis maxime omnium peritissimus.

Secretarii munere unus e magistris caeremoniarum Sacri Palatii perpetuo fungitur. Adest item *Subsecretarius. Consultores* sunt reliqui magistri caeremoniarum Sacri Palatii. *Ferreres*, l. c., *n.* 783.

523. **Ejus competentia.** — *a*) Ad eam pertinet caeremonias in Sacello et Aula pontificali, itemque sacras functiones quas Eminentissimi Cardinales extra pontificale sacellum peragunt, moderari (*can.* 254).

b) Quaestiones insuper resolvit de praecedentia, tum Cardinalium, tum oratorum quos variae Nationes ad Sanctam Sedem mittunt (*Ibid.*).

c) De caeremoniis et ritibus ubique gentium adhibendis curat

quotiescumque Nunciis, Cardinalibus Legatis *a latere*, Episcopis, cum Regibus, Principibus, supremis Status imperantibus aut corpore diplomatico agendum est.

Ab ejus Secretario necessarias normas pro munere suo exsequendo accipiunt sive missi e nobilium custodia qui pileolum rubrum Cardinalibus extra Curiam recens creatis deferunt, sive ablegati pontificii qui pileum rubrum principibus cujusque Status tradunt ut illud ii praedictis Cardinalibus imponant. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 787 *seq.*

IX. *Sacra Congregatio pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis* (1).

524. **Constitutio**. — Praefecto caret, cujus vicem gerit Emmus. Secretarius Status, qui eam convocat, eique praesidet, non ut Congregationis Praefectus, sed ut Status Secretarius. Cfr. *Lega*, De judiciis, *vol.* 2, *nn.* 218, 221.

Habuit antea *consultores*, at post const. *Sapienti consilio* iis caret. Caret etiam congressu, omnia enim ejus negotia gravia sunt. *Ferreres*, l. c., *n.* 803.

525. **Competentia**. — *a*) Ad eam spectat dioeceses constituere vel dividere, et ad vacantes dioeceses idoneos viros promovere, quoties hisce de rebus cum civilibus Guberniis agendum est.

b) Ad eam praeterea pertinent negotia quae ejus examini a Summo Pontifice per Cardinalem Secretarium subjiciuntur, praesertim ex illis quae leges civiles aut concordata sive celebrata jam sive celebranda cum variis Nationibus respiciunt (*can.* 255).

X. *Sacra Congregatio de Seminariis et Universitatibus studiorum.*

526. **Constitutio**. — Ad ipsam inter Cardinales pertinet *Secretarius* Sacrae Congreg. Consistorialis; inter Consultores autem *Assessor* ejusdem Congregationis (*can.* 256, § 2).

527. **Competentia**. — *a*) Competit ei vigilare super his quae ad regimen, disciplinam, temporalem administrationem et studia Seminariorum pertinent, salvo jure Congregationis de Propaganda Fide (*Ibid.*, § 1).

b) Muneris sui sunt etiam quaecumque studia respiciunt in Universitatibus Pontificiis aut Facultatibus auctoritati Sanctae Sedis subjectis, iis quae ab aliquo Ordine religioso reguntur et administrantur non exclusis (*Ibid.*).

c) Consilia ad novas erigendas institutiones pariterque mutationes in jam erectis faciendas perpendit et approbat, gradus academicos conferendi facultatem largitur, et, ubi agitur de viro sin-

(1) De origine hujus Congregationis vide *Ferreres*, l. c., *n.* 117.

gulari doctrina commendato, potest eos ipsa conferre (*Ibid.*). Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 808, 809 *seq.*

d) Quaestiones quae ad temporalem administrationem Seminariorum et Universitatum, ad subsidia professorum, ad studiorum rationem spectant, resolvit; electionem eorum qui in collegia Doctorum sunt cooptandi, confirmat, et ad ipsorum aut professorum remotionem in casibus a jure praevisis, assensum praebet, etc. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 810.

XI. *Congregatio pro Ecclesia Orientali.*

528. **Origo et constitutio.** — Congregatio haec nunc primum in Codice independens apparet; hucusque enim Congregationi de Propaganda Fide annexa erat sub titulo *Congregationis pro negotiis ritus orientalis*. Eodem Praefecto regebatur, sed diverso Secretario.

Nunc ejus Praefectus est Papa.

529. **Competentia.** — *a*) Ei reservantur omnia cujusvis generis negotia quae vel personas, vel disciplinam vel ritus Ecclesiae orientalis respiciant, etiamsi sint mixta, quae scilicet latinae etiam Ecclesiae res aut personas attingant (*can.* 257, § 1).

Quare pro Ecclesiis ritus orientalis (1) omnibus facultatibus potitur quas aliae Congregationes pro Ecclesiis ritus latini obtinent, salvo jure Congr. S. Officii ad normam canon 247 (*Ibid.*, § 2).

b) Controversias autem dirimit via disciplinari; quas vera forma contentiosa dirimendas judicaverit, ad tribunal remittet quod ipsa Sacra Congregatio designaverit (*Ibid.*, § 3).

ARTICULUS II

DE CURIAE ROMANAE TRIBUNALIBUS

530. — Triplex illud est, ut jam supra dictum: primum pro foro interno, duo vero alia pro foro externo.

---

(1) Ritus orientales sunt graecus, armenus, syriacus et coptus, qui iterum in alios subdividuntur. Ita, *ritus* graecus subdividitur in graecum *purum*, graecum *rumenum*, graecum *slavum* et graecum *melchitam*. Omnes quatuor eamdem liturgiam habent; in ea tamen primus lingua veteri graeca utitur, secundus rumena, tertius slava (apud bulgaros et rutenos), quartus arabica. Ritus *armenus* est unicus, nec subdividitur. *Coptus* dividitur in *aegyptium* et *aethiopicum* seu *abissinum*. *Syriacus* in syriacum purum, siro-chaldaicum, siro-maronitam et siro-malabaricum. Hoc ultimum etiam in India orientali exstat. Quatuor ritus syri non tantum idiomate, sed liturgia etiam ipsa differunt.

Cfr. *Colomiatti*, Addenda, *pag.* 779, ex Actis S. C. de P. F. L'Eglise catholique à la fin du XIX siècle, *pag* 397. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 584 cum nota.

I. *Sacra Poenitentiaria.*

Ejus constitutio. — Ejus Praeses est Cardinalis Poenitentiarius major (*can.* 258, § 1).

Adest praeterea *Regens*, qui veluti Vicarius Generalis est Poenitentiarii majoris; quinque Praelati Signaturae Sacrae Poenitentiariae, scilicet: *theologus*, *datarius*, *corrector*, *sigillator* et *canonista* (1); *secretarius*, *substitutus* et plures minores officiales.

531. **Poenitentiarii minores.** — Velut pars integralis Sacrae Poenitentiariae haberi possunt qui poenitentiarii minores dicuntur, qui, facultatibus a Majore Poenitentiario acceptis, in tribus majoribus basilicis, ad Vaticanum (2) nempe Minores Conventuales, ad Sanctae Mariae Majoris Franciscani, et ad S. Joannis in Laterano Dominici, confessiones audire solent. Cf. *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 2, *n.* 674.

Horum confessorum facultates ampliores sunt aut minus amplae, juxta prudens Cardinalis Poenitentiarii judicium. Collegia tria constituunt, quorum quodque propriam domum habet; nec a munere suo removeri, aut ipsi illud dimittere, sine Cardinalis Poenitentiarii licentia, possunt. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 899.

532. **Competentia**. — *a*) Ejus jurisdictio ad forum internum, tum sacramentale, tum extrasacramentale (*n.* 361) coarctatur (excipe materiam de indulgentiis) (3), et pro solo hoc foro gratias, absolutiones, dispensationes matrimoniales et non matrimoniales (ex. gr. votorum, irregularitatum), sanationes, commutationes, condonationes largitur; excutit praeterea quaestiones conscientiae easque dirimit (*can.* 258, § 1).

b) Ejusdem insuper est de iis omnibus judicare quae spectant ad usum et concessionem indulgentiarum (4), salvo jure S. Officii

---

(1) Munere theologi S. Poenitentiariae religiosus e Societate Jesu ab anno 1569 perpetuo fungitur, qui mos nequidem eo tempore interruptus est quo suppressio ipsius Societatis perseveravit, tunc enim illi eligebantur qui Societatis Jesu sacerdotes fuerant. Cfr. *Bened. XIV,* const. *In Apostolicae,* 13 april. 1744, § 15; *Arendt* Guillelmus, S. I. Aequiprobabilismus ab ultimo fundamento discussus: Romae, 1909, *pag.* 123-126. Cfr. *Ferreres,* l. c., *nn.* 838-839.

(2) Usque ad extinctionem Societatis Jesu, anno 1773 a Clemente XIV decretam, poenitentiarii minores in Vaticano erant jesuitae.

(3) Ab instauratione Pii X competentiam amisit, qua pro foro externo gaudebat, dispensationes matrimoniales largiendi pro pauperibus et quasi pauperibus extra Hispaniam et Lusitaniam; hi enim ad Datariam recurrere tenebantur. Cfr. *Ferreres,* l. c., *n.* 848.

(4) Materia de indulgentiis ad S. Officium translata fuerat anno 1907 per const. Pii X *Sapienti consilio*. Usque ad ann. 1904 ea ad Congr. de Indulgentiis et Sacris Reliquiis pertinebat, quam 18 jan. dicti anni 1904 Pius X Congregationi Rituum adnexuit. Vide *Razón y Fe, vol.* 23, *pag.* 366; *Ferreres,* La Curia, *n.* 133. Eamdem materiam ad S. Poenitentiariam transtulit Ben. XV, motu proprio *Alloquentes* 25 mart. 1917; idque admodum opportune, cum indulgentiae Sacramenti Poenitentiae velut complementum sint, ad remissionem enim poenarum post dimissa peccata remanentium tendunt. Ibidem jubet Papa sectionem de Indulgentiis, quae Sancto Officio adhaerebat, ad Sacram Poenitentiariam transferri, et Cardinali Poenitentiario majori curam eam sectionem ordinandi committit, consulto de re ipso Pontifice. Cfr. *Razón y Fe, vol.* 48, *pag.* 228 *seq.*

videndi ea quae ad doctrinam dogmaticam de eisdem indulgentiis vel de novis orationibus pertinent (*Ibid.*, § 2).

Qui a Romano Pontifice indulgentias pro cunctis fidelibus obtinuit, tenetur, sub poena nullitatis gratiae impetratae, authenticum exemplar concessionis ad S. Poenitentiariam deferre (*can.* 920). Cfr. *Ferreres,* l. c., *n.* 331 *seq.;* et ap. *Razón y Fe, vol.* 48, *pag.* 228 *seq.*

Potestatem igitur habet haec sectio de Indulgentiis «omnem difficultatem ac dubietatem in Sanctorum reliquiis aut indulgentiis emergentem, quae ad fidei dogma non pertineat (Nobis tamen et Romano Pontifice pro tempore exsistente circa graviora difficilioraque consultis) expediendi; ac, si qui abusus in eis irrepserint, illos, judicii forma plane postposita, corrigendi et emendandi; causas vero judicialem formam requirentes ad proprios judices remittendi; falsas, apocryphas indiscretasque indulgentias typis imprimi vetandi, impressas recognoscendi et examinandi, ac, ubi Nobis seu Romano Pontifici pro tempore exsistenti retulerit, nostra seu illius auctoritate rejiciendi;... ac in concedendis indulgentiis Sanctorumque reliquiis donandis moderationem adhiberi... curandi». Cfr. Clem. IX, const. *In ipsis pontificatus,* 6 jul. 1669. Vide *Ferreres,* l. c., *n.* 330.

533. — Ad S. Poenitentiariam pro casibus conscientiae recurritur fictis nominibus, ne in notitiam poenitentis quis venire possit. Unicum verum nomen proponi solet, illius sc. cui respondendum est, vel saltem inscriptio pro responsione accurate indicanda est. Scriptio quolibet idiomate fieri potest. Cfr. haec omnia late tractata ap. *Ferreres,* l. c., *nn.* 862-868.

II. *Rota Romana et Signatura Apostolica.*

534. — Omnes causae quae judicialiter agendae sunt, ad **Sacram Rotam Romanam** aut ad Tribunal **Signaturae Apostolicae,** intra normas et limites can. 1598-1605 praescriptas deferendae sunt, salvo jure S. Officii et S. Rituum Congregationis in causis sibi pertinentibus (*can.* 259).

In libro IV de utroque Tribunali dicetur.

ARTICULUS III

DE CURIAE ROMANAE OFFICIIS

535. — Sex juxta Codicem sunt Officia ad Curiam spectantia, nempe: Cancellaria, Dataria, Camera Apostolica, et triplex Secretaria: Status, Brevium ad Principes et Epistolarum latinarum.

I. *Cancellaria Apostolica.*

536. **Officii hujus origo et nomen.** — Est antiquissimus omnium Officiorum in Curia Romana exstantium; adeo ut initio ipsum solum negotia omnia, quae postea inter omnes distributa sunt, expediret. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 1037.

Cancellariae nomen a voce *cancelli* ducitur: olim enim cancellata seu clathrata septa, sive fixa, sive mobilia, e ligno, marmore, metallo, etc., praestitui solebant, quibus aut in tribunali judices a plebe, aut in concionibus oratores ab auditoribus, aut in officiis officiales a concurrentibus dividerentur.

In tribunalibus *cancellarius* dictus est officialis qui ad cancellos stabat ad turbam excludendam, judicum praecepta transmittenda, jussa exsequenda.

Postea secretarii et notarii eadem voce *cancellarii* designati sunt, quia intra cancellum et ad cancellum scribebant, qui sensus in Gallia praesertim invaluit.

Nomen tandem *cancellarii* a remotissimis inde temporibus apud civilem curiam usurpatum est, ita ut interdum cancellarius praeesset secretariae administrationis justitiae, interdum vero cancellarius magnus primus esset administer in regio palatio. Cfr. *Leclerq*, Dictionnaire d'archéologie chrétienne et de liturgie, v. Cancel, Cancellarius, *col.* 1821-1832 (Paris, 1909); *Du Cange*, Dict. v. Cancellarius; *Ferreres*, l. c., *nn.* 1037-1097.

537. **Cancellariae Apostolicae constitutio.** — Cancellariae Apostolicae praeest Cardinalis Cancellarius (1) Ecclesiae Romanae (*can.* 260, § 1). Adsunt praeterea Regens, Substitutus et Protonotarii Apostolici participes de numero (2), ad quos pertinet bullas subscribere; itemque plures officiales.

In Consistoriis, Cardinalis Cancellarius Notarium agit. Ad Regentem spectat bullas perpendere, et corrigere errores in eis forte commissos.

538. **Competentia.** — Ejus proprium est expedire bullas pro beneficiorum consistorialium provisione, pro erectione novarum dioecesum aut capitulorum et pro aliis gravioribus Ecclesiae negotiis (*can.* 260, § 1). Cf. *Ferreres*, l. c., *n.* 1139.

---

(1) Usque ad instaurationem Pii X, Cardinalis hic dicebatur *Vice-Cancellarius*. Vices historicas hujus nominis vide ap. *Ferreres*, l. c., *nn.* 1048-1113.

(2) In *Annuario Pontificio* 1917 nondum enumerantur hi Protonotarii, sed interim nomine eorum bullas subscribunt quinque Protonotarii adjuncti.

Protonotarii participes de numero collegium septem Praelatorum constituunt. Hujus origo ad septem notarios regionarios reducitur, quorum munus fuit acta martyrum prinis Ecclesiae temporibus describere. Proprium reditum seu assignationem habent; *participes* tamen vocantur, quia olim de mensa Papae participabant. In praesenti eorum munus est acta graviora quae Papam aut Ecclesiam respiciunt, exarare, ut ex. c., actum acceptationis Papae recens electi, actum posessionis tituli aut diaconiae alicujus Cardinalis, protocolla pro beatificatione et canonizatione pro episcopali consecratione etc.

Hae bullae expediendae non sunt nisi jussu Sacrae Congregationis Consistorialis in negotiis ad illam pertinentibus, vel jussu Papae in reliquis, servatis in singulis casibus ipsius mandati terminis (*can.* 260, § 2). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 1143 *seq.*

Cancellarius bullas subscribit simul cum Cardinali praeside Officii ad quod spectat negotium in bulla contentum. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 1140. Cfr. ex. gr., bullam *Providentissima* initio Codicis, a Cardinali Cancellario et a Secretario Status subscriptam.

539. **Bullae: hujus nominis origo.** — Nomen *bullae* oritur a plumbeo sigillo quod ex his documentis pendebat.

Etymologice *bulla* significat tumorem globosum qui in aqua ex ebullitione producitur, unde etiam *bullire* de aqua ipsa propter ignem fervente dicitur. Cfr. *Forcellini*, Totius latinatis lexicon, v. Bulla, *pag.* 592 (Prati, 1858-1860).

Olim *bulla* dictum est ornamentum quoddam aureum vel argenteum, quasi inflatum, bullis aquae simile: «omnia ornamenta aurea vel argentea quae fiunt quasi inflata, bullae dicuntur» (*Joannes a Genova*); «bullae ornamenta regalium puerorum vel equorum dictae, quod sint similes bullis quae in aqua inflantur.» (*Papias*). Cf. *Du Cange*, v. Bulla.

Hoc nomen ad sigillum, quod e quibusdam documentis pendebat, ac inde ad documenta ipsa translatum est. Et licet hodie nomen bullae documentis papalibus reservetur, olim et per totum medium aevum, omnia documenta, tum Imperatorum (Romae, Byzantii, carolingiorum, Germaniae), tum Regum (Hispaniae, Lusitaniae, Siciliae, Angliae, Hungariae, etc.), tum Episcoporum, quae pendulum haberent sigillum, *bullae* dicta sunt. Cfr. *Du Cange*, l. c.; *Mabillon*, De re diplomatica, *lib.* 1, *cap.* 14 (*vol.* 1, *pag.* 130 *seq.*, ed. 3.ª Neapoli, 1789).

Tum in pontificiis, tum in aliorum Regum et Imperatorum bullis quaedam sunt quae *aureae* aut *argenteae* dicuntur, propter sigillum, non plumbeum, sed aureum vel argenteum ex eis pendens.

540. **Litterarum character et sigillum in bullis usurpatum.** — Usque ad finem saec. XIX, bullae charactere gothico seu longobardo scribebantur, omissis diphtongis, interpunctione, etc. Ast Leo XIII, const. *Universae Ecclesiae*, 29 dec. 1878 (*Acta S. Sedis*, *vol.* 11, *pag.* 465), jussit ut ab eo die charactere latino scriberentur, gothicus enim, quia parum vel nihil in usu est, bullarum lectioni et cognitioni difficultatem ingerebat.

Character gothicus tempore commorationis Avenionensis in Curiam introductus videtur.

Praeterea, cum plumbeum numisma seu sigillum bullarum expeditioni per publicos tabellarios obesset, jussit ibidem Leo XIII hoc sigillum bullis tantum collationis, erectionis et dismembra-

tionis majorum beneficiorum et aliis Sanctae Sedis solemnibus actibus reservari.

Pro reliquis vero documentis, praesertim pro his quae beneficia minora et dispensationes matrimoniales respiciunt, speciale sigillum confici jussit, imaginem referens SS. Apostolorum Petri et Pauli, inscriptione nominis regnantis Pontificis circumductam, quod in charta ipsa pergamena, rubro adhibito attramento, imprimendum est.

541. **Differentia inter Bullam et Breve.** — Documenta secreta saec. XIII et XIV mittebantur in forma Brevis et *sub annulo piscatoris*, qui idcirco *secretus* etiam dictus est: *sub annulo nostro secreto.*

Reliqua Brevia et Bullae sigillum plumbeum pendens ferebant, donec Callistus III (1455-1458) jussit omnibus Brevibus secretum antea dictum sigillum apponi. Cfr. *Lega*, l. c., *n.* 249, *nota* 2; *Mabillon*, De re diplomatica, *vol.* 1, *pag.* 134.

Mos instrumenta annulo obsignandi antiquissimus est apud omnes populos, ut ex Sacra Scriptura constat. Cfr. *Gen.*, XLI, 42; *Esth.*, VIII, 2, 8; *Dan.*, VI, 17; XIV, 10. Postea alia majoris amplitudinis sigilla inventa sunt. Cfr. *Mabillon*, l. c., *pag.* 131.

Brevia a Bullis differunt quia a tempore Callisti III nunquam sigillum pendens habuerunt, sed in ipsa membranacea aut papiracea charta illud impressum deferunt, Bullae autem usque ad Leonem XIII ipsum pendens ferebant; Bullarum sigillum imaginem, seu potius caput, S. Petri ad sinistram et S. Pauli ad dextram, cruce inter utrumque interposita, refert; at sigillum Brevium habet tantum imaginem Petri intra naviculam et mittentis retia in mare, unde dicuntur dari *sub annulo piscatoris:* nomen Papae legitur hic in parte superiore, at in numismate quod e Bullis pendet, nomen legitur in dorso. Cfr. *Battandier*, Annuaire, 1899, *pag.* 26, 30, 34, 453, 454.

Brevia semper latino charactere, Bullae theutonico seu gothico usque ad Leonem XIII scripta sunt.

In Brevibus plurimae e clausulis seu formulis Bullarum omittuntur, et expediri dicta sunt *per viam brevem*, seu *breviorem*, unde a majore brevitate *Brevium* nomen acceperunt. Cfr. *Mabillon*, l. c., *pag.* 133, 134.

In Brevibus datum apponitur a Nativitate D. N. Jesu Christi computatum, assignata die modo nunc ordinario; at in Bullis datum ab Incarnatione computandum, et dies per calendas, nonas et idus more antiquo romanorum assignanda erat.

Bullae (et a saec. X ad XV omnia instrumenta) nomine Pontificis regnantis incipiunt, omisso numero ordinali, v. gr.: *Leo, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.* In Brevibus, a saec. XV, ordinalis exprimitur: *Leo PP. XIII salutem et apostolicam benedictionem.*

Cfr. *Ferreres*, La Curia, *nn.* 1151-1167. *Ibid.*, *nn.* 1167-1173 modus anni computandi in pontificiis instrumentis declaratur.

II. *Dataria Apostolica.*

542. **Ejus constitutio.** — Eam moderatur Cardinalis Datarius Sanctae Romanae Ecclesiae (*can.* 261). Usque ad reformationem Pii X, quia munus Datarii non Cardinalium, sed Praelatorum erat, ideoque cardinalitiae dignitati inferius, Cardinalis eo fungens dicebatur Prodatarius, sicut etiamnum Pronuntius dicitur is qui, evectus ad cardinalatum, adhuc Nuntii munus exercere pergit. De facto, usque ad finem saec. XVIII, moderator erat Praelatus, et Datarius appellabatur. Cfr. *L'Église catholique*, *pag.* 462, *Ferreres*, l. c., *n.* 1194.

Praeter Datarium adest Subdatarius, qui Praelatus est, et fere in cunctis Datarium supplere potest. Post ipsum, primum locum inter officiales tenet Praefectus, quem sequitur Substitutus ac septem alii officiales. *Ferreres*, l. c., *n.* 1196.

Institutum est hoc Officium sub finem saec. XIII aut initio saec. XIV; nomenque duxit a verbo *datare*, *datum* (sc. diem et locum) *apponere*. Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 1181, 1182 *seq.*

543. **Competentia.** — Proprium ejus est cognoscere de idoneitate promovendorum ad beneficia non consistorialia Sanctae Sedi reservata; conficere et expedire Apostolicas Litteras pro eorum collatione; eximere in eis conferendis a conditionibus requisitis; curare pensiones et onera a Summo Pontifice in ipsa collatione imposita (*can.* 261).

III. *Camera Apostolica.*

544. **Ejus constitutio.** — Ei praesidet Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Camerarius (1) (*can.* 262).

De *Camerario* Sedis Apostolicae sermo est jam saec. XI aut XII. Successit is veteri Archidiacono, et fuit velut supremus bonorum Ecclesiae administrator, cum tribunali, auditore, etc., sicut haec eadem Archidiaconus habuerat. Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 1216, 1217.

Exstant etiam in Camera tres Praelati, quorum primus Vicecamerarius Sanctae Romanae Ecclesiae dicitur (v. *Ferreres*, l. c., *n.* 1227), alter Auditor Reverendae Camerae Apostolicae, tertius Thesaurarius generalis Reverendae Camerae Apostolicae. Munus Thesaurarii generalis ab anno 1870 vacat. Cfr. *Ferreres*, l. c.,

(1) Differt hic Camerarius a Camerario Sacri Collegii, cui administratio bonorum S. Coll. Cardinalium commissa est.

nn. 1228, 1229. Ad hoc etiam Officium pertinet Collegium Praelatorum clericorum de Camera, quorum unus est Decanus, et ipsi plenarium tribunal Camerae constituunt. *Ferreres*, l. c., *n.* 1230 *seq.*

545. **Competentia.** — Ad eam pertinet cura et administratio bonorum ac jurium temporalium Sanctae Sedis, praesertim cum ea vacat. Eo tempore adamussim servare debet normas a Pio X statutas in const. *Vacante Sede Apostolica*, 25 dec. 1904 (*can.* 262).

Vacante Sancta Sede, clerici de Camera Cardinali Camerario in suis muniis assistunt et auxiliantur, Palatiorum Apostolicorum cum eo possessionem capiunt; alter inventariis praeest, alter conservationi et custodiae bonorum mobilium in cubiculis Pontificis invigilat; alii de familia curant, de hortis, de privata administratione palatii, etc.

Dum Conclave durat, inspiciunt et examinant res quae in Conclave ipsum introducenda sunt, etc. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 1248 *seq.*

IV. *Secretaria Status.*

546. **Constitutio et competentia.** — Huic Officio praesidet Cardinalis Secretarius Status (1).

Triplici sectione constat Secretaria Status. *Prima* versatur in negotiis extraordinariis quae Sacrae Congregationi, cui haec negotia competunt, transmittenda sunt; reliqua autem suum cuique Congregationi remittit; *secunda* negotiis ordinariis incumbit, et ad eam pertinet insignia quaelibet honoris, tum ecclesiastica tum civilia, concedere, iis exceptis quae Praelato seu Oeconomo Palatii Apostolici reservantur (v. *Ferreres*, l. c., *n.* 1283); *tertia* Brevibus sibi a Congregationibus commissis expediendis vacat (*can.* 263).

547. **Sectionum praesides.** — Primae sectioni praesidet Secretarius Congregationis pro Negotiis extraordinariis; secundae, *Substitutus* pro negotiis ordinariis; tertiae, Cancellarius Brevium Apostolicorum. Hi tres praecedentiam inter se habent eodem ordine quo nunc enumerati sunt (*Ibid.*).

Primae sectioni assistit etiam Subsecretarius, qui est idem ac Subsecretarius Congregationis pro Negotiis extraordinariis.

548. **Secretarius cifrae.** — Substitutus secundae sectionis dicitur etiam *Secretarius cifrae*, id est, Secretarius pro litteris *cifratis*, quae vocabulis pactis, nonnisi ab iis qui *clavem* noscant intelligendis, scribuntur. Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 1254-1257.

De origine, constitutione, competentia, etc., Secretariae Status, cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 1251-1271.

---

(1) Loco Cardinalis nepotis successit Cardinalis Secretarius Status, seu vetus *Segretario maggiore*, vir sc. cui Pontifex maxime fidit et cum eo frequentissime et familiariter agit, ideoque is cessat statim ac Papa decedit. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 1253.

V. *Secretaria Brevium ad Principes.*

549. **Ejus competentia.** — *a*) Brevia et epistolas praeparat quae a Papa directe ad Imperatores, Reges, Principes, capita nationum et cetera membra familiarum regnantium sunt dirigenda (*can.* 264).

Dicitur Brevium, quia in ipsa, non solum epistolae, sed etiam Brevia exarantur. Vide supra, *n.* 541.

b) Secretario etiam committi solet scriptio *Allocutionum* et *Encyclicarum* pontificalium. Ad hoc munus eximius humanista, latinae linguae maxime peritissimus, eligitur.

Litterae scribuntur in charta papyracea, easque subscribit Papa; nec sigillo Piscatoris, sed sigillo Secretarii aut etiam ipsius Officii, obsignantur (*Richard*, Origines... de la Secrét. d'Etat en *Revue d'Histoire ecclesiastique*, 1910, *pag.* 525). Brevia in tenui membrana aut in pergamena scribuntur, a Secretario subscribuntur, et armis et nomine Papae obsignantur. Tum Brevia tum epistolae intra involucrum clausum et sigillo privato Papae obsignatum mittuntur. Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 1292-1295 *seq.*

VI. *Secretaria Epistolarum latinarum.*

550. **Ejus competentia.** — Ejus munus est latine litteras Papae scribere in rebus quae nec a Status aut Brevium ad Principes Secretaria, nec ab ullo ex aliis Officiis pendent (*can.* 264). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 1300.

CAPUT V

DE ROMANI PONTIFICIS LEGATIS

Legatos Romani Pontificis jurisdictionem hujus, idque jure ecclesiastico participare, planum est.

ARTICULUS I

JUS ROMANI PONTIFICIS IN LEGATIS MITTENDIS

551. Romanus Pontifex jus habet a civili potestate independens, in quamlibet mundi partem Legatos, seu viros qui vicem suam repraesentent, cum vel sine ecclesiastica jurisdictione mittendi (*can.* 265).

552. **Fundamentum juris.** — Oritur hoc jus ex ipsa natura Ecclesiae, et ex plena, ordinaria et immediata potestate suprema quae Romano Pontifici competit supra totam Ecclesiam et supra singulos omnium nationum fideles eorumque immediatos pastores; unde nascitur jus et officium cognoscendi et, si necessarium fuerit, corrigendi ea quae, in qualibet mundi plaga, Ecclesiam afficiunt; ideoque, ad id investigandum, et opportunum remedium adhibendum, jus pariter habet mittendi viros quibus ipse fidat, quique, potestate ab eo accepta, ad obsistendum malis, ubi opus sit, et ad bona procuranda, quantocius accurrere valeant.

Praeterea, amicitiam inter Ecclesiam et Status fovere, missis legatis quibus apud Gubernia fides habeatur, profecto res magni momenti est ad bonum animarum. — Insuper, quoniam Ecclesiam, societatem perfectam et universalem, quae ex mandato Christi in universum orbem est propaganda, praedicta potestate suprema Summus Pontifex regere debet, jure omnino independenti gaudet cum subditis suis communicandi, virosque ad eos mittendi qui nomine ipsius ea quae necessaria sint exerceant. — Ubi autem Pontificis Legati ad quamlibet pergunt nationem, a spirituali dominio Papae non discedunt; ideoque licentia non indigent capitis illius Status ad illuc ingrediendum, cum intra territorium Papae versentur, quod ei immediate pro negotiis religiosis jure divino subjacet. — Quae omnia plurimorum saeculorum usu confirmata sunt.

Planum est Legatos Summi Pontificis, *quatenus diplomatica munia exercent*, capiti nationis, cum quo acturi sunt, acceptos esse oportere; atque in ea ratione, nullum comitatis officium Romanus Pontifex omittit erga nationes, quae relationes diplomaticas cum Apostolica Sede, omnium potestatum quae in mundo sunt altissima, fideliter retinuerunt.

ARTICULUS II

LEGATORUM SPECIES DIVERSAE

553. — Legati Papae, juxta Codicis enumerationem, sunt: *Legati a latere*, *Nuntii*, *Internuntii* et *Delegati Apostolici*.

554. **Legati a latere, eorumque potestas.** — Dicitur *Legatus a latere* Cardinalis qui a Summo Pontifice tanquam *alter ego* cum hoc titulo mittitur; ejusque potestas ea est quam in singulis casibus ipsi Romanus Pontifex confert (*can.* 266).

Legati *a latere* tantum ad negotia gravia et extraordinaria mittuntur, quibus expeditis, iterum Romam revocantur.

Veteres doctores late de facultatibus Legatorum *a latere* dis-

serebant. Ex Codice apparet ipsos nunc tantum ea potestate gaudere quam eis Papa singulis casibus concedat.

Unde sequitur locutionem hanc v. gr., Nuntius Apostolicus Hispaniae *potestate* Legati *a latere* gaudet, vigente Codice, id solum in genere significare, eum valde amplam potestatem habere, et interdum merum titulum honoris designare.

555. **Nuntii, Internuntii et Delegati Apostolici**. — Legatorum qui titulo *Nuntii* aut *Internuntii* mittuntur, haec est potestas ordinaria: 1.° fovent, juxta normas a Sancta Sede receptas, relationes inter Sedem Apostolicam et civilia Gubernia apud quae legatione stabili funguntur (*can.* 267, § 1, 1.°).

2.° In territorio sibi assignato statui Ecclesiarum invigilant et de eo Papam certiorem reddunt (*Ibid.*, 2.°).

3.° Praeter has duas potestates, quae ordinariae sunt, et muneri ex ipso jure annexae, alias plerumque facultates obtinent, quae tamen sunt omnes delegatae (*Ibid.*, 3.°).

Qui vero mittuntur cum titulo *Delegati Apostolici*, non aliam ordinariam facultatem habent nisi advigilandi statui Ecclesiarum, et de eo Pontificem certiorem reddendi; habent tamen alias facultates, a Sancta Sede sibi delegatas (*Ibid.*, § 2).

Omnes praedicti dicuntur communiter *legati missi*.

556. **Legatorum hujusmodi origo ac vicissitudines.** — Nuntiaturae Apostolicae stabiles cum munere diplomatico exstant in Ecclesia ab exordiis saec. XVI, sicut etiam munia ordinaria et consueta legatorum et missorum ex parte cujuslibet civilis gubernii.

Usque ad 8 maji 1916, Sanctae Sedis missi apud varia Statuum gubernia, alii Nuntii, alii Internuntii, alii Delegati Apostolici, juxta suum cujusque ordinem, dicebantur.

In audientia vero eo die a Benedicto XV Cardinali Gasparri, Secretario Status, concessa, decrevit Papa in posterum omnes missos a Pontifice ad diversas nationes, qui stabili legatione apud earum gubernium fungantur, Internuntios Apostolicos esse vocandos, reservato nomine Delegati Apostolici pro iis qui diplomatica potestate carent (*Acta*, VIII, *pag.* 213).

Aderant tunc Nuntii in Hispania, Lusitania (1), Gallia (1), Austria, Belgica, Bavaria et Brasilia.

Internuntii erant in Argentina, Chile, Peruvia, Bolivia et Hollandia.

Delegati Apostolici, in Colombia, Costa Rica, Nicaragua, Honduras, Haiti et Venezuela.

Hujusmodi Apostolici Delegati titulo simul donati erant Missi Extraordinarii, quo apud gubernium diplomatice agere poterant. Ipse etiam Internuntius Chilensis tali titulo auctus erat.

---

(1) Nunc vacant ob dissidium circa relationes diplomaticas.

A praedicto die, Delegati Apostolici illi jam *Internuntii* vocantur, adeoque omnes missi diplomatici Sanctae Sedis sunt Nuntii aut Internuntii, prout in Codice legitur.

Nomen *Delegati Apostolici* reservatur in praesenti pro iis qui a Sancta Sede ad Praelatos mittuntur, non jam indole diplomatica, sed ad res pure ecclesiasticas. Hi a Sacra Congregatione Consistoriali (1), aut a Congr. de Propaganda Fide (2) pendent; Nuntii vero et Internuntii pendent a Secretaria Status.

Nuntiaturae Hispaniae, Lusitaniae, Galliae et Austriae sunt primae classis, siquidem qui eas exercent, in fine muneris sui, Cardinales creari solent, nec ad aliam Nuntiaturam transferri.

Nuntii ut ministri primae classis (sc. Legati, etc.) reputantur; Internuntii, ut ministri secundae classis.

Novissime autem Internuntiaturae Argentina (1916), Colombiana (20 jul. 1917: *Acta*, IX, *pag.* 413), Chilensis (1916) et Peruviana (20 jul. 1917: *Acta*, IX, *pag.* 413) ad Nuntiaturas evectae sunt.

Nuntius Apostolicus Hispaniae amplissimis facultatibus gaudet, quarum nonnullae apud *Gury Ferreres, vol.* 2, *pag.* 805, ed. 7.ª videri possunt. Potestatem habet Legati *a latere* (vide antea dicta), itemque speciale tribunal, *Rotae hispanae* dictum, de quo suo loco lib. IV hujus operis agetur.

557. **Quo pacto munus Legati cesset.** — Legatorum munus cum omnibus facultatibus eisdem commissis, *non* exspirat vacante Sede Apostolica, nisi aliud in litteris Pontificiis fuerit statutum (*can.* 268, § 1).

Cessat tamen: *a*) expleto mandato; *b*) revocatione mandati eisdem intimata; *c*) renuntiatione a Romano Pontifice acceptata (*Ibid.*, § 2).

Legati et Ordinarii. — *a*) Legati Ordinariis liberum suae jurisdictionis exercitium relinquere debent (*can.* 269, § 1).

b) Licet forte charactere episcopali careant, praecedunt tamen omnibus Ordinariis qui Cardinales non sint (*Ibid.*, § 2).

Applicatur hic generalis doctrina de praecedentia, et altera de Cardinalium privilegiis. Nuntii autem, Internuntii et Delegati communiter Archiepiscopi sunt, et frequentius *titulares*.

Quoties charactere episcopali insigniuntur, possunt, sine Ordinariorum licentia, in omnibus eorum ecclesiis, excepta Cathedrali, populo benedicere, et officia divina, etiam in pontificalibus, adhibito quoque throno et baculo, peragere. Ut haec eadem in Cathedrali faciant, licentia Ordinarii indigent (*Ibid.*, § 3).

---

(1) Sc. Delegati ad Canada, Terramnovam, Cubam, Puerto Rico, Philippinas, Status Foederatos.

(2) Nempe Delegati ad Australiam, Constantinopolim, Aegyptum, Arabiam, Graeciam, Indias Orientales, Mesopotamiam, Kurdistan, Armeniam minorem, Persiam, Syriam.

ARTICULUS III

VETERES LEGATI NATI

558. — Episcopis qui, ratione Sedis, titulo Legati Apostolici decorantur, nullum exinde competit speciale jus (*can.* 270); est enim hic merus titulus honoris.

Tituli origo. — Ortus est hujusmodi titulus ex more antiquo: saepe enim Romani Pontifices, loco legati specialis mittendi, aliquem insignem Praelatum nationis designabant ut vices sui gereret titulo Legati Apostolici. Cum vero in nonnullis Sedibus diuturno tempore Praelati eximii successissent quibus idem honos concessus est, id quodammodo in ea Sede factum est haereditarium (haud secus ac nunc accidit in quibusdam Sedibus, Toletana, Valentina, Hispalensi, etc., ad Cardinalatum quod attinet); inde autem Pastores illarum Sedium Legati nati dicuntur. Plures autem etiamnum hujusmodi titulos servant, velut traditionis memoriam honorandam; cujusmodi sunt in Gallia Praelati Arelatensis, Metensis, Lugdunensis, Viennensis; in Hispania, Tarraconensis, Hispalensis, etc.

CAPUT IV

DE PATRIARCHIS, PRIMATIBUS ET METROPOLITANIS

559. — I. Quoniam ex divina institutione nonnisi duo jurisdictionis gradus sunt in tota Ecclesia, alia nempe universalis, quae ad Papam pertinet, alia vero particularis pro aliqua dioecesi a Papa assignata, quae Episcoporum propria est (vide infra, *n.* 640 *seq.*), sequitur inde Episcopum qui extra propriam dioecesim jurisdictionem aliquam exercet, jure ecclesiastico tantum, per participationem a Papa concessam suae universalis jurisdictionis, eam accepisse. Id accidit in Patriarchis, Primatibus et Archiepiscopis.

II. Patriarchae Primatibus praecedunt, Primates Metropolitanis, hi autem Episcopis, salvo praescripto can. 347 (*can.* 280).

ARTICULUS I

DE PATRIARCHIS

560. **Nota historica.** — Haec est omnium prima dignitas post Cardinalitiam et Legatorum Papae. Primis autem saeculis tres tantum Patriarchae aderant in Ecclesia, qui Sedes a S. Petro fun-

datas occupabant: Romanus nempe, seu Papa (v. *n.* 387). Alexandrinus et Antiochenus (1).

Serius haec dignitas, haud sine gravibus difficultatibus, Sedi Constantinopolitanae concessa est, itemque Hierosolymitanae, utpote Domini nostri Jesu Christi vita et morte specialiter sanctificatae.

561. **Patriarchatus orientales quatuor.** — Hi duo, simul cum Alexandrino et Antiocheno, quatuor Orientis patriarchatus magnos constituunt, qui *patriarchatus majores* vocantur.

Ex juribus adeptis, poterant hi Patriarchae: 1.° Post receptum *pallium* a Papa (vide *n.* 575 *seq.*), Archiepiscopos sui patriarchatus ordinare, eisque pallium *graecum* concedere, excepta prius ab ipsis professione fidei; 2.° provinciis sui patriarchatus advigilare, ut in eis disciplina ecclesiastica conservaretur, quare pastoralem in eis visitationem instituere poterant; 3.° eximere nonnulla monasteria a jurisdictione Ordinarii, sibique ea immediate subordinare (*jus stauropegii*); 4.° *appellationes* admittere contra sententias suorum Metropolitanorum, et querelas inter ipsos dijudicare, salvo recursu ad Sedem Apostolicam; 5.° eorum negligentiam in conferendis beneficiis supplere; 6.° Metropolitanos et Episcopos in patriarchale Concilium convocare, ei praesidere, et in eo leges pro toto patriarchatu validas condere, expetita ante convocationem licentia Papae.

562. **Patriarchae minores.** — In Occidente, praeter Papam, tantum minores Patriarchae fuerunt, qui nonnullis honoris privilegiis fruebantur. Hujusmodi fuere, Venetus, Indiarum Orientalium (is erat Ulyssiponensis Archiepiscopus), et Indiarum Occidentalium (qui in Hispania residebat).

563. **Codicis disciplina.** — Juxta Codicem, can. 271, praeter praerogativam honoris et jus praecedentiae ad normam can. 280 (vide *n.* 559, II), patriarchatus nullam annexam habet jurisdictionem, nisi in aliquo casu particulari aliud constet.

564. **Patriarchatus temporis praesentis in ritu latino.** — Hodie Patriarchatus *ritus latini* octo numerantur: *a*) Constantinopolitanus, Alexandrinus et Antiochenus, qui omnes pure *titulares* sunt, quorum Patriarchae Romae resident, nec jurisdictionem nec pallium habent (vide *nn.* 575 *seq.*; 585); *b*) Hierosolymitanus, qui a 23 julii 1847 residentialis est, vera jurisdictione et usu pallii (*n.* 575 *seq.*); *c*) Venetus (fundatus 8 oct. 1451), Ulyssiponensis (fundatus 22 oct. 1716) et Indiarum Occidentalium (fundatus an. 1540), qui tantum honoris privilegio gaudent, et *d*) Indiarum Orientalium, cujus Patriarcha Goae residet a 1.° sept. 1886, et ut talis aliqua jurisdictione praeditus est.

---

(1) Antiochenam Sedem per septem annos rexit S. Petrus; Alexandrinam ipse fundavit per discipulum suum S. Marcum eo missum.

565. **Animadversiones speciales de Patriarchis Indiarum.** — I. Indiarum **Occidentalium** Patriarchatus conjunctus est in praesenti cum Archiepiscopatu Toletano, cui illud adnexuit Leo XIII, 21 april. 1885. Antea, inde a plurimis annis, hoc munere fungebatur Episcopus non residentialis, qui communiter officium Vicarii Generalis Castrensis simul exercebat. Ultimus autem hujusmodi Patriarcha Indiarum fuit D. Joseph Moreno Mazón (1881-1885), qui anno 1885 Archiepiscopus Granatensis evasit. Patriarchatus ipse a fundatione sua fuit merus titulus honoris, et expresse Patriarchae vetitum erat Occidentales Indias adire, in quas nulla unquam jurisdictione praeditus fuit.

Concordatum 1851, art. 31. sequentia de Patriarchae Indiarum reditu statuit: «Titulari Indiarum Patriarchae, quando Archiepiscopatum aut Episcopatum proprium non habeat [«reditus annuus in dotem assignatus erit»] centum quinquaginta millium argentorum, vulgo *reales de vellón*, deducta ex hac quavis alia quantitate, quam ecclesiasticae pensionis vel altero quocumque titulo a publico aerario percipiat».

II. Indiarum **Orientalium** Patriarchatus fuit etiam ab initio titulus meri honoris, et, uti jam dictum est, usque ad an. 1886 Ulyssiponensi Sedi annexus erat; eo vero anno Ulyssiponensi concessus est titulus *Patriarchae Ulyssiponensis*, et titulus *Patriarchae Indiarum Orientalium* Goano Archiepiscopo fuit attributus, ex quo, praeter debitum honorem, privilegio gaudet Conciliis nationalibus omnium Indiarum Orientalium praesidendi, quae quidem in ipsa urbe Goa communiter celebranda sunt, salvo jure Summi Pontificis aliter disponendi. Id constat ex art. 2 Concordati inter Leonem XIII et Aloysium I, Regem Lusitaniae, 7 aug. 1886:

Art. 2. «In quanto alla Chiesa Metropolitana e Primaziale di Goa, l'Arcivescovo proseguirà ad esercitare i diritti metropolitani nelle diocesi suffraganee.

L'Arcivescovo *pro tempore,* per benigna concessione di Sua Santità, sarà elevato alla dignità di Patriarca *ad honorem* delle Indie Orientali, e godrà inoltre il privilegio di presiedere ai concilii nazionali di tutte le Indie Orientali, i quali ordinariamente si aduneranno in Goa, salvo al Papa il diritto di disporre altrimenti in circostanze particolari». (Conventiones de rebus ecclesiasticis inter S. Sedem et civilem potestatem initae sub pontificatu SSmi. D. N. Leonis PP. XIII, *pag.* 47).

566. **Hodierni Orientalis ritus Patriarchatus.** — Sunt sex: Alexandrinus coptorum (an. 1895 restitutus); Antiochenus graecus melchita (Damasci residet); Antiochenus maronita; Antiochenus syrus (residet in oppido Mardin); Ciliciae armenus, et Babyloniae (1) chaldaeus (a saeculo XVIII: sedes in urbe Mossul).

(1) Cfr. *Acta S. Sedis, vol.* 5, *pag.* 615 *seq.*

ARTICULUS II

DE PRIMATIBUS

567. — *Primatum* dignitas intermedium locum habuit inter Patriarchas et Metropolitanos, et certis Sedibus annexa erat.

Ejusdem originis fuisse videtur ac *Legatorum natorum* dignitas, quod sc. Papa vices suas pro certa regione aut pro natione tota alicui eximio Praelato commiserit, cui peculiarem jurisdictionem et privilegia contulit, et quoniam in aliqua Sede plures insignes Praelati hoc favore successive aucti sunt, idcirco dignitas in ea Sede velut haereditaria facta est.

568. — Quamvis Primatum potestas haud distincte in jure definiatur, haec tamen videntur in ea contineri, quae media sunt inter patriarchalem et archiepiscopalem jurisdictionem: 1.° jus inspectionis in provincias ecclesiasticas sibi subiectas; 2.° jus Metropolitanos propriae nationis consecrandi; 3.° Concilia nationalia et regionalia convocandi; 4.° appellationes contra Metropolitanorum sententias excipiendi; 5.° mos erat ut negotia quaedam totam regionem spectantia ipsis a Pontifice committerentur; 6.° jus praecedentiae ante Metropolitanos; 7.° jus reges nationis sibi subditae consecrandi.

569. — Plures sunt Sedes quae de primatu gloriantur aut gloriabantur, ut Toletana et Tarraconensis in Hispania; Bracarensis in Lusitania; Lugdunensis, Arelatensis, Bituricensis, Rhemensis, Senonensis, etc., in Gallia; Mechliniensis in Belgio; Cantuariensis et Eboracensis in Anglia, et quidem Cantuariensis Archiepiscopus *totius Angliae Primatus*, Eboracensis vero *Angliae Primatus* dicebatur; Dublinensis (inter alios) in Hibernia, etc.

In Concilio Tridentino Primatum nulla ratio habita est; at in Vaticano praecedentia supra Archiepiscopos concessa fuit iis omnibus qui jus ad primatialem dignitatem allegarunt, ita tamen ut id neque ad confirmandum neque ad infirmandum allegatum jus vim haberet (1).

Inter Primates suam sedem obtinuit tunc D. Franciscus Fleix et Solanes, Tarraconensis Archiepiscopus, itemque Archiepiscopi Salisburgensis, Antivarensis (Montenegro), Bracarensis (Lusitania), Salertinanus (Italia), Sancti Salvatoris (Brasilia), Gnesnen. et

---

(1) «Primum locum obtinebunt VV. FF. NN. S. R. E. Cardinales, Episcopi, Presbyteri, Diaconi; secundum Patriarchae; tertium, ex speciali Nostra indulgentia, Primates, juxta ordinem suae promotionis ad Primatialem gradum. Id autem pro hac vice tantum indulgemus, atque ita ut ex hac Nostra concessione nullum jus vel ipsis Primatibus datum, vel aliis imminutum censeri debeat.» Pius IX, const. *Inter multiplices,* 27 nov. 1879 (*Acta S. Sedis, vol.* 5, *pag.* 235).

Posnanien. (Borussia), Strigoniensis (Hungaria), Mechliniensis (Belgica), Armachanus (Hiberniae). Vide *Acta S. Sedis*, *vol.* 5, *pag.* 516.

Alii, ut Toletanus, sedem inter Cardinales obtinebant.

570. — In praesenti, titulus Primatis nonnisi honoris et praecedentiae praerogativam, ad normam can. 280, secum fert, sine ulla peculiari jurisdictione, nisi de aliquibus ex jure speciali aliter constet (*can.* 271), ut de nonnullis primatialibus juribus Strigoniensis Archiepiscopi, Primatis in Hungaria, constat.

In Hispania Toletanus Archiepiscopus, quatenus Primas, honoris praerogativam et jus praecedentiae tantum habet. Ideo quoties Episcopatus aliquem publicum actum conjunctim acturus est, ei competit praecedentia, eique directio committitur.

Reditus etiam annuus ejus Sedi in dotem ex Concordato assignatus omnium aliarum Sedium Hispaniae reditum excedit, pariterque reditus Decani Toletani aliorum Decanorum ejusdem nationis reditum superat.

ARTICULUS III

DE METROPOLITANIS SEU ARCHIEPISCOPIS

571. **Metropolitanus et suffraganei**. — Cuique provinciae ecclesiasticae *Metropolitanus* seu *Archiepiscopus* praeest. Haec dignitas adjungitur Sedi episcopali a Romano Pontifice designatae aut approbatae (*can.* 272).

Ceteri Episcopi provinciae *suffraganei* dicuntur.

Metropolitanus in propria dioecesi. — Salvo praescripto can. 275-280 (vide *nn.* 575-583 et 559, II), Metropolitanus in propria dioecesi eadem jura et officia habet ac reliqui Episcopi in sua (*can.* 273). Vide infra, *n.* 649 *seq.*, ubi haec officia et jura declarantur.

572. **Metropolitanus in dioecesibus suffraganeis**. — In dioecesi suffraganea Metropolitanus haec tantum agere potest:

1.° Institutionem canonicam praesentatis a patrono ad beneficia conferre, si suffraganeus intra tempus jure statutum, justo impedimento non detentus, id non fecerit (*can.* 274).

2.° Indulgentiam *centum* dierum, sicuti in propria dioecesi, concedere.

3.° Vicarium Capitularem deputare, ad normam can. 432, § 2 (*Ibid.*).

4.° Vigilare ut fides ac disciplina ecclesiastica accurate serventur, ac de abusibus Romanum Pontificem certiorem facere (*Ibid.*).

5.° Canonicam visitationem peragere, causa prius ab Apostolica Sede probata, si eam suffraganeus neglexerit. Tempore autem visitationis, potest praedicare, confessiones audire, etiam absol-

vendo a casibus Episcopo reservatis; de vita et honestate clericorum inquirere, clericos infamia notatos Ordinariis ipsorum, ut eos puniant, denuntiare; notoria crimina, manifestas et notorias offensas, tum sibi tum suis forte illatas, justis poenis, censuris non exclusis, punire (*Ibid.*).

6.° In omnibus ecclesiis, etiam exemptis, Ordinario loci praemonito, si Ecclesia sit Cathedralis, peragere pontificalia, uti Episcopus in proprio territorio, populo benedicere, cruce archiepiscopali ante se delata incedere, non autem alia exercere quae jurisdictionem importent (*Ibid.*).

7.° Appellationes recipere a sententiis definitivis aut interlocutoriis definitivarum vim habentibus, prolatis in Curiis suffraganeis, ad normam can. 1594, § 1 (*Ibid.*).

8.° Controversias prima instantia dirimere de quibus agit can. 1572, § 2, sc. de juribus aut bonis temporalibus Episcopi, aut Curiae episcopalis, aut Curiae dioecesanae (*Ibid.*).

N. B. Exstant etiam Archiepiscopi honorarii qui Archiepiscopatus honores habent, at suffraganeis carent, et ipsi immediate, non ab alio Archiepiscopo, sed a Rom. Pontifice pendent.

573. — **Metropolitanae Sedes hispanae, cum suis suffraganeis.** — Numerus Sedium archiepiscopalium et dioecesum quae singulis earum subjectae sunt, in Concordato an. 1851 designantur.

Art. 5.us ita praecipit: «Metropolitanae, quae nunc sunt, sedes Burgensis, Caesaraugustana, Compostellana, Granatensis, Hispalensis, Tarraconensis, Toletana et Valentina conservabuntur, et ad hunc ipsum gradum Cathedralis Vallisoletana evehetur.» — Et in art. 6.°:

«Assignabuntur in suffraganeas Metropolitanae Burgensi: Ecclesiae Calaguritana seu Lucroniensis, Legionensis, Oxomensis, Palentina, Santanderiensis et Victoriensis.

Compostellanae: Auriensis, Lucensis, Mindoniensis, Ovetensis et Tudensis.

Caesaraugustanae: Jacensis, Oscensis, Pampilonensis, Terulensis et Tirasonensis.

Granatensi: Almeriensis, Carthaginiensis seu Murciensis, Gienensis, Guadicensis et Malacitana.

Hispalensi: Canariensis, Cordubensis, Gaditana et Pacensis.

Tarraconensi: Barcinonensis, Gerundensis, Ilerdensis, Dertusensis, Urgellensis et Vicensis.

Toletanae: Cauriensis, Cluniensis, Conchensis, Matritensis, Placentina et Seguntina.

Valentinae: Majoricensis, Minoricensis, Oriolensis seu Alonensis, et Segobricensis seu Castilionensis.

Vallisolitanae: Abulensis, Asturiensis, Salmaticensis, Segoviensis et Zamorensis.

574. — **Archiepiscopi et nonnulli Episcopi Senatores.** — In Hispania omnes Archiepiscopi jure proprio sunt Senatores (Constitutio nationis hispanae an. 1876, *a.* 21). Praeterea quaelibet provincia ecclesiastica Senatorem unum deligit, et electus communiter esse solet aliquis e suffraganeis illius provinciae.

ARTICULUS IV

DE PALLII USU ET AUCTORITATE

575. **Notio**. — *Pallium* est insigne ecclesiasticum usus mere personalis, quod tantum in territorio propriae jurisdictionis usurpari potest intra Missam, solemnioribus diebus; quodque a Papa conceditur iis qui metropolitanam, primatialem aut patriarchalem jurisdictionem exercent, velut symbolum jurisdictionis supraëpiscopalis quam a Romano Pontifice acceperunt.

576. **Forma.** — Pallium (latinum), juxta praesentem ejus formam, est lanea fascia alba, tribus circiter digitis ampla, instar circuli aut torquis, duplici extremo pendenti, altero ante pectus, altero supra scapulas: sex gestat cruces serici nigri, quarum quatuor sunt in fascia collari, duae vero reliquae in singulis extremis pendentibus.

Pallium triplici acu aureo in tribus e quatuor crucibus fasciae torquis figitur.

577. **Graecum pallium.** — Exstat etiam pallium graecum, amplius longiusque latino, crucibus communiter rubris, quod Patriarchae ritus orientalis Metropolitis concedere solent, postquam ipsi Patriarchae a Papa decorantur pallio latino.

578. **Origo historica**. — Priscis temporibus omnes Episcopi (saltem in pluribus regionibus) pallium ut pastoralis sui officii signum adhibuisse videntur. Id in Oriente commune fuit, et a Constantinopolitano Concilio vocatur ποιμαντικὴ δορά seu pellis pastoralis. Cfr. *Mansi, vol.* 9, *pag.* 683.

Etiam in Gallia mos ille viguit, Concilium enim Matisconense omnibus Episcopis vetat Missas sine pallio celebrare (*can.* 581), idemque in Africa septemtrionali in usu fuisse videtur. Cfr. *Migne*, P. L. *vol.* 68, *col.* 1036.

Pallium ex eo ortum censetur quod apud latinos audit *lorum* seu *lorus*, scilicet fascia pretiosa quam ad collum gestabant nobiles viri in magnis solemnitatibus.

Attamen, decursu temporis, coepit Summus Pontifex velut signum honoris et jurisdictionis ab ipso acceptae, *pallium proprium* concedere, id est, pallium quod symbolice pallium Papae repraesentat, cessante interim in Occidente usu alterius pallii.

579. **Textura, benedictio et impositio**. — *Agni* qui die sanctae *Agnetis* in ecclesia ipsius Sanctae, via Nomentana in urbe Romae, benedicuntur, lanam ad palliorum texturam ministrant. Confecta pallia a Papa in vigilia S. Petri benedicuntur, eaque juxta corpus Sancti Apostoli asservantur, donec distribuenda sunt. Ideo *de*

corpore sancti Petri ea accipi dicuntur, sc. de loco corpori S. Petri immediato.

Inde ea Decanus Rotae Romanae extrahit.

Pallium a Papa imponitur si illud accepturus sit Cardinalis; et antiquior Cardinalis Diaconus ceteris Praelatis aut eorum procuratoribus illud imponit. Vide *n.* 467, et inibi canonem 239, § 3. Cfr. Ben. XIV, const. *Rerum ecclesiasticarum*, 12 aug. 1748; *Devoti*, *vol.* 1, *pag.* 181, *n.* 42; *Wernz*, l. c., *vol.* 2, *n.* 726.

580. **Pallii postulandi obligatio.** — Metropolitanus (idemque de Patriarchis et Primatibus dicendum, sunt enim Metropolitani) obligatione tenetur pallium, quo archiepiscopalis potestas significatur, per se vel per procuratorem, a Papa impetrandi. Petitio intra *tres menses* a die consecrationis Archiepiscopi facienda est, vel si jam consecratus fuerit, a provisione canonica ipsius in Consistorio (*can.* 275).

581. **Actus prohibiti ante receptum pallium.** — Cum ea sit pallii significatio, ut jurisdictionem a Papa supra provinciam collatam repraesentet, Archiepiscopus ante pallii impositionem licite nequit (secluso speciali indulto apostolico) actus jurisdictionis archiepiscopalis nec ordinis episcopalis peragere, in quibus usum pallii leges liturgicae requirunt (*can.* 276).

Licite itaque non poterit sancta olea consecrare, ordines conferre, Provinciale Concilium convocare, nec Episcopos consecrare. Pontificalia tamen exercere poterit diebus quibus usus pallii non permittitur; itemque alium Episcopum delegare qui ordines Metropolitani subditis in ipsa Metropolitani dioecesi conferat, ipse etiam, extra suam provinciam, de consensu Ordinarii loci poterit ordines conferre, etc.

582. **Normae pro usu pallii.** — Pallium, ut jam dictum est, ad usum pertinet proprium et personalem Metropolitani qui ipsum accepit; ejus usus ad solam provinciam pro quo impositum fuit, ad solos dies in *Pontificali* assignatos, et ad functiones intra Missam coarctatur.

Hinc infertur 1.° Archiepiscopum nemini alteri posse pallium proprium commodare, donare aut in morte relinquere (*can.* 279); 2.° si amittatur aut inutile reddatur, aliud esse postulandum (*can.* 278); 3.° novum etiam esse postulandum cum Archiepiscopus in aliam sedem transfertur (*Ibid.*); 4.° illud adhiberi posse in quavis ecclesia, etiam exempta, provinciae propriae ecclesiasticae, non tamen extra provinciam propriam, licet Ordinarius loci consentiat (*can.* 277).

583. **Dies quibus usus pallii conceditur.** — Dies quibus juxta Pontificale Romanum (*pag.* 53, Ratisbonae, 1891) pallii usus conceditur, sunt: Nativitas D. N. J. C.; S. Stephani Protomart.; S. Joannis Apostoli et Evangelistae; Circumcisio Domini; Epiphania Domini; Dominica in Pal-

mis; Feria V in Coena Domini; Sabbatum Sanctum; Dominica Resurrectionis cum duobus sequentibus diebus; Dominica in Albis; Ascensio Domini; Dominica Pentecostes; Festum Corporis Christi; Festivitates quinque Beatae Mariae semper Virginis: Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Immaculatae Conceptionis; Nativitas S. Joannis Baptistae; festum S. Josephi (19 martii); festum Omnium Sanctorum; festivitates Omnium Apostolorum; Dedicationes Ecclesiarum; principales festivitates Ecclesiae suae; Ordinationes clericorum; Consecrationes Episcoporum, Abbatum et Virginum; dies anniversarius Dedicationis Ecclesiae; et Consecrationis suae.

584. **Episcopi cum usu pallii.** — Interdum etiam nonnullis Episcopis pallium conceditur velut honoris insigne, quin tamen inde eorum jurisdictio augeatur. Hi tantum intra propriam dioecesim pallio uti possunt; ceterum, in usu ea servare debent quae nuper dicta sunt (*n.* 582), licet exceptionibus *n.* 581 obnoxii non sint.

Hac concessione fruitur Episcopus Barcinonensis ex concessione Pii X, facta an. 1904, dum Episcopus esset Emm. Card. Casañas, cui pallium a Nuntio Apostolico, Rmo. D. Rinaldini, die 12 febr. 1905, impositum est (1).

Vide *n.* 467 privilegium Cardinalis Decani.

585. **Patriarchae et Archiepiscopi sine usu pallii.** — Exstant etiam Patriarchae et Archiepiscopi mere titulares, qui, consequenter, pallio non utuntur, non enim jurisdictionem ullam habent.

CAPUT VII

DE CONCILIIS PLENARIIS ET PROVINCIALIBUS

ARTICULUS I

QUAE PROPRIA SUNT CONCILII PLENARII

586. **Notio.** — *Concilium plenarium* illud dicitur in quod plurium provinciarum ecclesiasticarum Ordinarii conveniunt (*can.* 281).

Si omnes provinciarum Ordinarii integrae unius nationis conveniunt, Concilia nationalia dici solent, qualia fuere antiqua et celeberrima Concilia Toletana in Hispania.

Eorum competentia est potius delegata, atque ut ea congregen-

(1) Cfr. *Analecta ecclesiastica*, an. 1904, *pag.* 325; *Boletín Eclesiástico de Barcelona*, an. 1905, *pag.* 151 *seq.*; *Revista Popular*, an. 1905, 12 febr.

tur, licentia Papae opus est, qui Legatum designat, ut Concilium convocet, eique praesit (*Ibid.*).

587. **Quinam eis assistere debent.** — I. Eis assistere debent, cum suffragio deliberativo, praeter Legatum Apostolicum, Metropolitani, Episcopi residentiales, Apostolici dioecesium Administratores, Abbates vel Praelati *nullius*, Vicarii Apostolici, Praefecti Apostolici et Vicarii Capitulares.

Metropolitani et Episcopi residentiales qui Coadjutorem vel Auxiliarem Episcopum habeant, sui loco eum in Concilium mittere possunt (*can.* 282, § 1).

II. Episcopi *titulares* in territorio degentes, adesse tenentur, si a Legato juxta proprias instructiones, vocentur; quo casu, suffragium deliberativum habent, nisi in convocatione aliud expresse caveatur (*Ibid.*, § 2).

III. Alii ex utroque clero viri, forte ad Concilium invitati, suffragio non gaudent nisi consultivo (*Ibid.*, § 3).

ARTICULUS II

QUAE PROPRIA SUNT CONCILII PROVINCIALIS

588. **Notio.** — *Concilium provinciale* illud est in quo legitime Episcopi unius provinciae ecclesiasticae coadunantur. Ejus competentia est ordinaria.

589. **Quis ea convocat, iisque praesidet.** – Convocat et praesidet Metropolitanus, aut, defectu ipsius, Suffraganeus antiquior promotione ad ecclesiam aliquam illius provinciae (*can.* 284, 2.°).

590. **Celebrationis locus.** — Est is quem convocans, auditis omnibus qui cum suffragio deliberativo assistere debent, designaverit. Si tamen impedimenta justa non adsint, praeferenda est ecclesia metropolitana (*Ibid.*).

591. **Quando celebrandum.** — Saltem vigesimo quoque anno (*can.* 283). Ex Tridentino (*sess.* 24, *c.* 2 *de ref.*), tertio quoque anno celebrandum erat; attamen id nunquam fieri potuit, et in plurimis provinciis, nequidem quinquagesimo quoque anno celebratum est. In Vaticano Concilio postulatum erat ut quinto quoque anno celebraretur, quod etiam maximae parti provinciarum impossibile videtur.

592. **Quinam assistere tenentur.** — Omnes ii qui ad Plenarium Concilium assistere debent (*n.* 587), et insuper, Episcopi exempti, Abbates vel Praelati *nullius*, et Archiepiscopi sine suffraganeis, qui hanc provinciam ad normam can. 285 elegerint (*can.* 286, § 1).

593. — Episcopi exempti, qui sc. nulli Metropolitano subjiciun-

tur, Abbates vel Praelati *nullius*, et Archiepiscopi suffraganeis carentes, aliquem viciniorem Metropolitanum, nisi forte jam elegerint, semel pro semper, praevia Sedis Apostolicae approbatione, eligere debent, cujus Concilio provinciali cum aliis intersint, et quae ibi ordinata fuerint. observent et observanda curent (*can.* 285).

Episcopi titulares qui in provincia degunt, *possunt* a praeside, cum consensu majoris partis illorum qui cum voto deliberativo intersunt, convocari. Si autem convocentur, votum habent deliberativum, nisi aliud in convocatione caveatur (*can.* 286, § 2).

Capitula cathedralia aut Consultores dioecesani (1) cujusvis dioecesis cujus Ordinarius, juxta antea dicta (*can.* 286, § 3), *n.* 592, vocari debet, invitandi sunt ad Concilium, et ipsi duos ex Capitularibus aut consultoribus collegialiter designatos, secretis nempe suffragiis, etc., mittere debent, qui tamen suffragium solummodo consultivum obtinent (*Ibid.*, § 3).

Majores quoque religionum clericalium exemptarum ac Congregationum monasticarum Superiores qui in provincia resideant, *invitandi sunt*. — Hi autem, ita invitati, *adesse debent*, aut impedimentum quo detinentur, Concilio notum facere. Attamen hi, quemadmodum et alii ex utroque clero viri ad Concilium forte vocati, consultivo tantum suffragio gaudent (*Ibid.*, § 4).

N. B. — In Hispania in praesenti nullus exstat Episcopus exemptus, nec verus Praelatus *nullius*, praeter Cluniensem et Pro-Capellanum Majorem Palatii Regalis; neque Archiepiscopus sine suffraganeis. Antea nonnulli exempti Episcopi exstiterunt, ut Ovetensis, qui Compostellanum pro Metropolitano elegerat; Legionensis, etc.

Praelati *nullius* plurimi erant, attamen fere omnes Concordato an. 1851 cessarunt, ut postea dicetur.

ARTICULUS III

QUAE UTRIQUE COMMUNIA SUNT

594. **Causae a praesentia excusantes.** — Qui Concilio plenario aut provinciali interesse debent cum suffragio deliberativo, si justo impedimento detineantur, 1.° impedimentum probare; 2.° procuratorem mittere debent (*can.* 287, § 1).

Procuratores eorumque suffragia. — In procuratorem eligi potest aliquis e Patribus qui Concilio interesse debent cum suffragio deliberativo; tunc tamen nonnisi unum suffragium, nempe

(1) De utrisque infra sermo erit. In Hispania consultores dioecesani non sunt, quia in omnibus dioecesibus adest Capitulum cathedrale.

suum proprium, obtinet. Si alius eligatur qui non sit e Patribus, suffragio tantum consultivo gaudet (*can.* 287, § 2). Vide dicta *n.* 433 de Concilio oecumenico, itemque *n.* 325, 2.°

595. **Permansio in Concilio.** — Concilio plenario vel provinciali inchoato, nemini eorum qui interesse debent, licet discedere, nisi justam ob causam a Legato pontificio vel a Concilii provincialis Patribus probatam (*can.* 289). Rationes sunt eaedem ac allatae pro Concilio oecumenico (*n.* 433).

596. **Competentia et modus procedendi in hujusmodi Conciliis.** — Ad praesidem spectat (de consilio Patrum, ubi agitur de Concilio provinciali) ordinem determinare in examine quaestionum servandum, Concilium aperire, transferre, prorogare et absolvere (*can.* 288).

Patres diligenter inquirere et decernere debent quae ad fidei incrementum, ad morum reformationem, ad corrigendos abusus, ad componendas controversias, ad unitatem disciplinae introducendam aut conservandam opportuna fore pro suo cujusque territorio videantur (*can.* 290).

Nihil decernere possunt quod communi juri opponatur; nec provinciale Concilium id quod plenario contrarium sit.

597. **Conciliorum recognitio et promulgatio.** — Absoluto Concilio plenario aut provinciali, praeses acta et decreta omnia ad Sanctam Sedem transmittere debet, nec eadem antea promulganda sunt, quam a Sacra Congregatione Concilii expensa et recognita fuerint (*can.* 291, § 1).

Recognitionem necessario faciendam primus jussit Sixtus V. Recognitio ab approbatione differt, quam interdum Papa, sive in forma communi, sive in forma specifica, tribuit. Revisio canonum valorem non mutat, nec validos facit eos qui forte irriti fuerint.

Ipsi Patres Concilii designare debent tum modum promulgationis decretorum, tum tempus quo decreta promulgata obligare incipiant (*Ibid.*).

Decreta Concilii promulgata (transacta vacatione, si qua concessa fuit) in suo cujusque territorio obligant, nec Ordinarii ab iisdem dispensare possunt, nisi in casibus particularibus, et justa de causa (*Ibid.*, § 2).

598. **Concilia plenaria et provincialia recentiora.** — Inter plenaria, celeberrimum est Concilium Plenarium Americae latinae, Romae celebratum anno 1899, quo Episcopi plus quam viginti nationum convenerunt. Insignia etiam sunt Concilia Baltimorensia in Statibus Foederatis, et Sydneyense in Australia.

Concilia provincialia recentiora plurima sunt, inter quae animadversione dignum est Manilanum I, anno 1907 celebratum.

In Hispania, diversas ob causas, raro Concilia habita sunt saeculis XVII, XVIII et XIX. Sub finem hujus postremi, anno 1887,

celebratum est Concilium provinciale Vallisoletanum, quod secuta sunt Valentinum (1891), Burgense (1898), Caesaraugustanum (1908), etc.

599. **Collationes episcopales.** — In omnibus ecclesiasticis provinciis, nisi ob peculiaria adjuncta aliter a Sede Apostolica provisum fuerit, Metropolitanus, eoque deficiente, antiquior e Suffraganeis, curare debet ut Ordinarii locorum, saltem quinto quoque anno stato tempore, in loco territorii Metropolitani aut alterius Episcopi comprovincialis conveniant; ut, collatis consiliis, videant quaenam in dioecesibus agenda sint ut bonum religionis promoveatur, eaque praeparentur de quibus in futuro Concilio provinciali erit agendum (*can.* 292, § 1). Etiam Episcopi exempti et ceteri de quibus in can. 285, una cum aliis Ordinariis convocari et convenire debent (*Ibid.*, § 2). Vide *n.* 593. Iidem Ordinarii congregati sedem proximi conventus designare debent (*Ibid.*, § 3).

Hujusmodi collationes minus necessariam reddunt convocationem Concilii provincialis, et ideo intervallum 20 annorum ei assignari potuit; eaeque voto Concilii Vaticani de intervallo quinque annorum practice satisfaciunt, siquidem quinto quoque anno habendae sunt. Juvabunt denique collationes ut de facto vigesimo anno Concilium celebretur.

Collationes hujusmodi a pluribus jam annis haberi solent.

CAPUT VIII

DE VICARIIS ET PRAEFECTIS APOSTOLICIS

600. — Ex his quae dicenda nunc sunt facile erit perspicere jurisdictionem pontificiam tum a Vicariis, tum a Praefectis Apostolicis jure ecclesiastico participari; omnes enim illi sunt institutionis ecclesiasticae, et jurisdictionem suam totam nomine et vice Pontificis exercent.

601. — Territoria quae erecta non sunt in dioeceses reguntur per Vicarios aut Praefectos Apostolicos (*can.* 293, § 1). Hi omnes ab una Apostolica Sede libere nominantur (*Ibid.*).

602. **Apprehensio possessionis per Vicarios et Praefectos.** — Vicarius et Praefectus Apostolicus sui territorii possessionem capit, ille Litteras Apostolicas, hic decretum Sacrae Congr. de Propaganda Fide, per se vel per procuratorem ostendentes ei qui territorium regit, ad normam can. 309 (*Ibid.*, § 2).

603. **Generale principium.** — Ut generale principium haberi potest, Vicarii et Praefecti jura et officia, juribus et officiis Episcoporum residentialium quam simillima esse, servata debita proportione, ut ex iis quae Codex declarat apparebit.

604. **Eorum facultates.** — Iisdem juribus et facultatibus in suo territorio gaudent, quae in propriis dioecesibus competunt Episcopis residentialibus, nisi quid Apostolica Sedes reservaverit (*can.* 294, § 1). Cfr. *nn.* 649-668.

Quo pacto Praelaturae hujusmodi formantur. — Ad rectam intelligentiam praesentium Codicis praescriptionum, animadvertere oportet morem esse ut in territoriis missionum, seu locis infidelium et haereticorum ubi introducta aut restaurata nondum fuit hierarchia ecclesiastica, prius *Missio* aliqua cum suo Missionis *Praefecto* instituatur. Postea, territorio Missionis dilatato, fit ea *Praefectura apostolica*, eique *Praefectus Apostolicus* ut praeses destinatur; et tandem, ubi status rerum perfectior est, ex ea fit *Vicariatus Apostolicus*, ejusque rector *Vicarius Apostolicus* vocatur. Atque ita gubernari pergit, donec in ea aut statuta aut renovata hierarchia ecclesiastica sit.

Vicarii Apostolici communiter *Episcopi titulares* sunt; at Praefecti Apostolici ordine episcopali insigniri non solent.

Non adest inter eos subordinatio quae inter Archiepiscopos et Episcopos residentiales viget, sed independentes sunt ad invicem.

Ratio hujusmodi graduum jurisdictionis. — I. Quoniam Papa, jure divino, ordinariam et immediatam jurisdictionem in omnia et singula Ecclesiae territoria, Episcopi autem tantum intra limites propriae dioeceseos obtinent; ideo, quoties in eorum territorio defecit ecclesiastica hierarchia (sive quia ab haereticis ea deleta est, sive quia nunquam ibi fuerat instituta, prout in terris infidelium accidit), deest inibi jurisdictio episcopalis, et consequenter, sola remanet Romani Pontificis jurisdictio, quam is per Vicarios et Praefectos Apostolicos exercet.

II. Etiam illi Vicarii aut Praefectus qui episcopali consecratione carent, possunt in suis territoriis et dum munus obtinuerint *a*) omnes benedictiones Episcopis reservatas, una pontificali excepta, impertiri; *b*) calices, patenas et altaria portatilia cum sacris oleis ab Episcopo benedictis consecrare; *c*) indulgentias quinquaginta dierum concedere; *d*) confirmationem, primam tonsuram et minores ordines conferre ad normam can. 782, § 3; 957, § 2 (*Ibid.*, § 2).

Ratio cur Papa Vicariis et Praefectis Apostolicis, etiam non Episcopis, has facultates omnes benedicendi et consecrandi, tonsuram etiam et ordines minores conferendi largiri possit, est quia omnes institutionis ecclesiasticae sunt, quas sicut Papa communiter Episcopis reservavit, ita aliis concedere potest.

Sacramentum autem Confirmationis, quamvis institutionis divinae, constat tamen ab iis etiam qui non sint Episcopi, ex speciali delegatione Papae, administrari posse.

III. Vicarii et Praefecti Apostolici possunt et debent exigere

ab omnibus sui territorii missionariis, etiam religiosis, ut suas patentes seu alias quasvis eorum missionis, destinationis, constitutionis ac deputationis litteras exhibeant, easque exhibere recusantibus exercitium cujusvis ministerii ecclesiastici prohibere (*can.* 295, § 1).

IV. Omnes missionarii, etiam regulares, licentiam sacri ministerii exercendi a Vicariis et Praefectis Apostolicis petere debent. Hi autem eam licite denegare nequeunt nisi singulis et gravem ob causam (*Ibid.*, § 2).

V. Etiam missionarii regulares subjiciuntur Vicarii et Praefecti jurisdictioni, visitationi et correctioni in iis quae pertinent ad missionis regimen, curam animarum, sacramentorum administrationem, scholarum directionem, oblationes intuitu missionis factas, et implementum piarum voluntatum in favorem ejusdem missionis (*can.* 296, § 1).

Vicariis et Praefectis Apostolicis nullo modo licet, praeter casus in jure praevisos, se in disciplinam religiosam ingerere, quae a Superiore religioso dependet. Si tamen in iis de quibus modo hoc n. V dictum est, conflictus oriatur inter mandatum Vicarii aut Praefecti Apostolici et mandatum Superioris, prius praevalere debet, salvo jure recursus in devolutivo ad Sanctam Sedem, et salvis peculiaribus statutis a Sancta Sede probatis (*Ibid.*, § 2).

VI. Deficientibus e clero saeculari sacerdotibus, Vicarii et Praefecti Apostolici possunt, audito eorum Superiore, cogere religiosos Vicariatui vel Praefecturae addictos, etiamsi exemptione gaudeant, ad animarum curam exercendam, salvis pariter peculiaribus statutis a Sede Apostolica probatis (*can.* 297).

VII. Si qua dissidia in iis quae ad curam animarum pertinent, sive inter singulos missionarios, sive inter diversas religiones, sive inter missionarios et alios quoslibet oriri contigerit, ea quamprimum componere curent Vicarii ac Praefecti Apostolici; quod si id opus fuerit, quaestiones dirimant, salvo jure ad Apostolicam Sedem recurrendi, in devolutivo tantum, non vero in suspensivo (*can.* 298).

605. **Obligationes.** — Iisdem obligationibus quibus residentiales Episcopi tenentur, de visitatione *ad Limina*, residentia, pastorali visitatione, tenentur etiam, servata proportione, Vicarii et Praefecti Apostolici.

a) **Visitatio ad Limina** — I. Vicarii (non vero Praefecti) Apostolici obligatione tenentur Sacra Limina beatorum Apostolorum Petri et Pauli visitandi, eadem lege qua Episcopi residentiales, ad normam *can.* 341 (Vide *n.* 653 *seq.*). Si quid tamen *graviter* obstet ne per se ipsi visitationem instituere possint, satisfacere possunt per procuratorem, etiam Romae degentem (*can.* 299). Ab Episcopis exigitur ut procurator ex ipsa eorum dioecesi Romam mittatur. Cfr. *n.* 657.

II. Ad normam can. 340 (*nn.* 653-656) pro Episcopis traditam, Vicarii ac Praefecti Apostolici tenentur obligatione Sedi Apostolicae exhibendi plenam accuratamque relationem de suo quisque pastorali officio, deque omnibus quae ad statum vicariatus vel praefecturae, ad missionarios, ad religiosos, ad populi disciplinam, ad scholarum frequentiam, ad fidelium denique ipsorum curae commissorum salutem quovis modo pertineant (*can.* 300, § 1).

Haec relatio scripta esse debet et subscripta, tum ab ipso Vicario aut Praefecto, tum ab uno saltem ex consiliariis de quibus in can. 302 (*Ibid.*).

III. Praeterea, sub cujusque anni exitum ad Sanctam Sedem mittere debent elenchum seu numerum conversorum, baptizatorum, annuaeque sacramentorum administrationis una cum aliis notatu dignioribus (*Ibid.*, § 2).

Obligationem hujus relationis mittendae efficacissimam fore ad zelum promovendum, indubium est; evulgatio etiam talium factorum catholicos totius mundi gaudio afficit, eorumque excitat desiderium ut vel in missiones ipsimet pergant, et proprio labore animarum necessitatibus opem laturi, vel erogatis eleemosynis, missionum ipsarum prosperitati provideant.

b) **Residentia**. — In regione sibi commissa commorari debent, a qua sine *gravi* et *urgenti* causa (ut v. gr., ob molestam persecutionem, gravem morbum, nisi statim e regione discedant, augendum, etc.) per notabile tempus iis abesse non licet, inconsulta Sede Apostolica (*can.* 301, § 1). Vide *n.* 651.

c) **Pastoralis visitatio**. — Regionem sibi concreditam, quandocumque sit opus, debent ipsi per se, vel si legitime impediti fuerint, per alium visitare, eaque omnia in visitatione expendere quae ad fidem, bonos mores, sacramentorum administrationem, praedicationem verbi Dei, festorum observantiam, cultum divinum, juventutis institutionem ac disciplinam ecclesiasticam referuntur (*Ibid.*, § 2). Vide *n.* 658.

d) **Consultores**. — Consilium ex tribus saltem antiquioribus et prudentioribus missionariis constituere debent, quorum sententiam, saltem per epistolam, audiant in gravioribus et difficilioribus negotiis (*can.* 302).

e) **Missionariorum collationes**. — Missionarios, saltem praecipuos, tum religiosos tum saeculares, proprii territorii, congregare debent, quatenus id per adjuncta fieri possit, saltem semel in anno, ut ex singulorum experientia et consilio cognosci queat quaenam perfectius ordinanda erunt (*can.* 303).

f) **Archivum**. — Quae de Archivo in can. 375-382 pro Episcopis praescripta sunt, ea Vicarii et Praefecti Apostolici, habita locorum personarumque ratione, aeque servare debent (*can.* 304, § 1).

606. **Concilia et synodi**. — Pariter ea quae de plenariis et pro-

vincialibus Conciliis can. 281-291 jubentur, Conciliis plenariis vel regionalibus et provincialibus in regionibus Sacrae Congr. de Propaganda Fide subjectis (vide *nn.* 586-597), debita servata proportione, applicanda sunt. Synodo pariter Vicariatus Apostolici ea applicabuntur quae de Synodo dioecesana jubent can. 356-362. Hae tamen sunt differentiae: *a*) nec Concilio provinciali nec Synodo tempus determinatum assignatur; *b*) canones Conciliorum, antequam promulgentur, recognosci debent a Sacra Congregatione de Propaganda Fide (*can.* 304, § 2).

Quod de plenariis, regionalibus et provincialibus Conciliis hic praescribuntur, eas regiones respiciunt quae hierarchiam quidem ecclesiasticam restitutam habent, adhuc tamen Sacrae Congr. de Propaganda Fide subditae sunt.

607. *g*) **Cleri indigenae educatio**. — Studiosissime Vicarii et Praefecti Apostolici curare debent, onerata graviter eorum conscientia, ut ex christianis indigenis seu incolis suae regionis probati clerici rite instituantur, ac sacerdotio initientur (*can.* 305).

Clericos et sacerdotes indigenas institui et ordinari, res est valde necessaria, ut religio catholica in regione aliqua radices agat, et velut naturalis soli ipsius planta crescat et vivat. Abjicienda est falsa opinio quae indigenas veluti adeo inferioris conditionis homines reputat, ut neque seipsos regendi, nec sacerdotii munera digne et fructuose exercendi capaces sint. Paulatim ex eis aliqui seligendi ac instituendi sunt, ut sic tota etiam gens tractu temporis in altiorem statum evehi possit. Aliter religio catholica in ea regione tanquam quid extraneum et addititium semper perseverabit.

608. *h*) **Missa pro populo**. — Missae sacrificium Vicarii et Praefecti pro populis sibi commissis applicare debent saltem *decem* diebus solemnibus, vid.: quinque in festis Domini, Nativitatis, Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes et Corporis Christi; duo in festis Beatissimae Virginis, Immaculatae nempe Conceptionis et Assumptionis; tres in festis Sanctorum, Sancti Joseph (19 martii), Sanctorum Petri et Pauli (29 junii) et Omnium Sanctorum, servato praescripto can. 339, § 2 *seq.* pro Episcopis (*can.* 306). Vide infra, *n.* 652.

609. **Quid missionariis concedere nequeant**. — Ipsis non licet, inconsulta Sede Apostolica, *a*) missionariis ab ea missis veniam concedere *in perpetuum* discedendi a Vicariatu aut Praefectura, vel *alio transeundi*, nec *b*) eos quoquo modo *expellere* (*can.* 307, § 1).

In casu autem publici scandali, possunt ipsi, audito suo Consilio, et si agatur de religiosis, praemonito, quantum fieri possit, Superiore, missionarium statim *removere*, facta tamen illico certiore Apostolica Sede (*Ibid.*, § 2).

610. **Privilegia honoris**. — Vicariis et Praefectis Apostolicis, charactere episcopali auctis, privilegia honorifica competunt, quae jus concedit Episcopis titularibus (*can.* 308). Si autem charactere episcopali careant, habent tantum, durante munere et in proprio territorio, insignia et privilegia Protonotariorum apostolicorum de numero participantium (*Ibid.*). Vide *n.* 537, *not.* 2; item *Ferreres*, l. c., *nn.* 1038 *nota*, 1048 *seq.*, 1118 *seq.*

De his privilegiis, cfr. const. Pii X, *Inter multiplices*, 21 febr. 1905 (*Acta S. Sedis*, *vol.* 37, *pag.* 491).

611. **Pro-vicarii et Pro-praefecti**. — I. Vicarii et Praefecti, ubi primum in territorium suum advenerint, ex uno vel altero clero Pro-vicarium vel Pro-praefectum deputare debent, nisi Coadjutor cum futura successione a Sancta Sede illis datus fuerit (*can.* 309, § 1).

II. Pro-vicarius aut Pro-praefectus, ad titularem quod attinet, *a*) *dum hic vivit*, eodem modo vices ipsius gerere potest ac *Vicarius Generalis* vices gerit Episcopi; *b*) *defuncto ipso titulari*, ille succedit ea potestate quam habet *Vicarius Capitularis* Sede vacante. Haec est hujus muneris indoles praecipua. Quae omnia in sequentibus declarantur.

III. Pro-vicarius aut Pro-praefectus nullam habet, vivente Vicario aut Praefecto, potestatem, nisi quae fuerit ab eodem sibi commissa (*can.* 309, § 2). Igitur, si quam habet hoc tempore jurisdictionem, *delegata* solum erit.

IV. Deficiente autem Vicario aut Praefecto, vel eorum jurisdictione impedita ad normam can. 429, totum debet Pro-vicarius aut Pro-praefectus regimen assumere, et in hoc munere permanere, donec a Sancta Sede fuerit aliter provisum (*Ibid.*). Itaque, jurisdictio illorum tunc fit ordinaria, muneri enim a jure annexa est.

612. **Pro-vicarii et Pro-praefecti successores**. — Pari modo Pro-vicarius aut Pro-praefectus qui titulari successerit, statim ecclesiasticum virum deputare debet, qui sibi succedat, eo modo quo ipse Vicario aut Praefecto succedere debuisset (*Ibid.*, § 3).

Si forte contingat ut nemo sive a titulari sive a pro-titulari uti administrator fuerit designatus, tunc senior in Vicariatu vel Praefectura censetur delegatus a Sancta Sede ut regimen assumat. Senior autem is esse intelligitur, qui sit praesens in territorio, et suas destinationis litteras in eodem prius exhibuerit; si autem plures sint in quibus haec adjuncta concurrant, ille qui sit antiquior sacerdotio (*Ibid.*, § 4).

613. — Qui, juxta modo dicta *nn.* 611, 612, Vicariatus aut Praefecturae regimen assumit, quamprimum certiorem facere Apostolicam Sedem tenetur (*can.* 310, § 1).

Interim uti potest omnibus facultatibus ordinariis ad normam can. 294, itemque delegatis, quibus Vicarius vel Praefectus polle-

bat, exceptis iis quae personam ejus afficiebant, sc. quae ipsi commissae sunt ob industriam personae (*Ibid.*, § 2).

614. **Temporis prorogatio.** — Qui vicariatui vel praefecturae apostolicae ad certum tempus praepositus est, debet in regimine cum omnibus facultatibus sibi concessis permanere, licet definitum tempus fuerit praeterlapsum, donec successor canonicam sui muneris possessionem ceperit (*can.* 311).

CAPUT IX

DE ADMINISTRATORIBUS APOSTOLICIS

Etiam in Administratoribus Apostolicis plane apparet adesse participationem jurisdictionis pontificiae; idque jure ecclesiastico.

615. — *Administrator Apostolicus* vocatur clericus, communiter Episcopus titularis, cui Papa, ob graves et speciales causas, regimen dioecesis canonice erectae, sive plena, sive vacante Sede, in perpetuum vel ad tempus committit (*can.* 312).

616. **Apprehensio possessionis.** — Administrator Apostolicus, *a*) si datus fuerit dioecesi *Sede plena*, canonicam administrationis possessionem init, ostendens litteras suae nominationis, tum Episcopo, si sit mentis compos et in dioecesi versetur, tum etiam Capitulo, ea forma quae *can.* 334, § 3, traditur (*can.* 313, § 1); *b*) si *Sedes* fuerit *vacans*, vel si Episcopus non sit mentis compos, aut in dioecesi non moretur, possessionem sumit instar Episcopi in casu dicti can. 334, § 3.

617. **Jura, obligationes et privilegia.** — Sunt ea quae in Litteris suae deputationis constant, vel, nisi in eisdem aliud caveatur expresse, ea quae hic sequuntur (*can.* 314):

a) Administrator Apostolicus, si *permanenter* constitutus est, iisdem juribus et honoribus fruitur, iisdemque obligationibus tenetur, quibus Episcopus residentialis (*can.* 315, § 1); *b*) si *ad tempus* datus sit, 1.° eadem *jura ac officia* habet ac Vicarius Capitularis, sed *Sede plena* potest dioecesim visitare ad tramitem juris, nec tenetur obligatione applicandae Missae *pro populo*, sed eam ipse Episcopus applicare debet; 2.° ad honorifica privilegia quod attinet, valet praescriptum can. 308 (*n.* 610); sed si Episcopus, ad aliam Sedem translatus, prioris administrationem retinet (ut, v. gr., aliquo temporis spatio Cardinalis Guisasola, Toletum translatus, Sedis Valentinae administrationem retinuit), in priori Sede omnibus Episcoporum residentialium honorificis privilegiis gaudet (*can.* 315, § 2).

618. **Relationes inter Administratorem Sede plena et Episcopum proprium, hujusque Vicarium Generalem.** — Statim ac

Administrator Apostolicus canonicam possessionem dioecesis *Sede plena* init, jurisdictio Episcopi proprii et ejus Vicarii Generalis suspenditur (*can.* 316, § 1).

Administrator Apostolicus Episcopi auctoritati non subest; sed neque causis Episcopum ipsum spectantibus se immiscere debet, nec in Vicarium ejus Generalem judicium seu processum instruere, nec reprehendere eum aut in eum animadvertere ob acta praeteritae administrationis (*Ibid.*, § 2).

619. **Jurisdictione suspensa**, etc. — Si impedita fuerit jurisdictio Administratoris Apostolici, aut si idem Administrator defecerit, Sedes Apostolica statim monenda est; et interim, si dioecesis vacet, aut Episcopus non sit sui compos, valent praescripta can. 429 *seq.* Secus, Episcopus proprius dioecesim reget, nisi Sancta Sedes aliud praestituerit (*can.* 317).

620. **Quomodo cessat.** — Administratoris Apostolici jurisdictio *non cessat a*) Romani Pontificis obitu, nec *b*) obitu Episcopi (*can.* 318, § 1). *Cessat* tamen, cum novus Episcopus, ad normam can. 334, § 3, possessionem dioecesis vacantis capit (*Ibid.*, § 2).

621. **Administratores Apostolici in Hispania.** — In Hispania, per Administratorem Apostolicum, qui communiter est Episcopus aliquis titularis, reguntur antiquae dioeceses Barbastrensis, Celsonensis et Civitatensis, nunc per Concordatum suppressae. Licet, ex Concordato, harum dioecesium territorium aliis dioecesibus annectendum erat, nec Episcopi illarum unionem obtinere satagunt, cum dioecesis propria omnes illorum labores occupet, nec populi, in quibus ipsae antiquae Sedes erant, facile suo praecipuo ornamento, Episcopali nempe Sede, se privari sinunt, ideoque necessariam stipem in dotem Administratoris Apostolici corrogarunt.

Terulensis Episcopus est simul antiquae diocesis Albaracinensis Administrator Apostolicus, sicut et Turiasonensis Administrator veteris dioecesis Tudelensis.

In dioecesi Malacitana, dum haec scribuntur (1.° sept. 1917), Episcopus titularis Olimpi est Apostolicus Administrator *Sede plena;* idem accidit in dioecesi Giennensi, quae, *Sede plena*, Administratorem Apostolicum habet Episcopum titularem Hamathensem; necnon in dioecesi Oscensi, cujus Administrator, *Sede plena*, est Archiepiscopus Caesaraugustanus.

CAPUT X

DE PRAELATIS INFERIORIBUS

622. Tres Praelatorum inferiorum species communiter a doctoribus designantur: 1.ª eorum qui solum in personas quae com-

muniter intra claustra domus, conventus, etc., degunt, jurisdictionem exercent: hos vocant Praelatos primae aut infimae classis; tales sunt praelati religiosi;—2.ª qui supra clerum et populum jurisdictionem exemptam habent, carent tamen territorio separato, quia eorum jurisdictio solum in personas exercetur, v. gr., in Hispania, jurisdictio Pro-vicarii generalis castrensis; hi vocari solent 2.ae seu mediae classis; — 3.ª seu suprema, de qua hic agitur, Praelatorum sc. qui jurisdictione exempta supra clerum et populum pollent, eaque territoriali, quia in territorio proprio separato exercetur.

623. — Praelati qui praesunt territorio proprio, separato ab omni dioecesi (id est, qui nullius dioecesis est pars) cum clero et populo, dicuntur Abbates vel Praelati *nullius*, nempe dioecesis. Si eorum ecclesia gaudet dignitate abbatiali, ipsi dicuntur Abbates; si tantum praelatitia, Praelati dicuntur (*can.* 319, § 1).

N. B. Si praelatura aut abbatia *nullius* saltem tribus paroeciis non constet, singulari jure regitur, nec eidem applicantur sequentes canones de abbatiis vel praelaturis *nullius* (*Ibid.*, § 2).

624. **Origo.** — Nonnullae ex his *abbatiis* vel *praelaturis nullius* ortae sunt ex oppidorum lenta formatione circa monasteria a ceteris oppidis valde remota, ita ut supra inchoatam habitantium congregationem Abbas jurisdictionem exerceret. Inde oppida paulatim creverunt, et Abbatis jurisdictio conservata et dilatata fuit, atque ex consuetudine (quae voluntate Papae vim legis habet, *n.* 169) aut ex privilegio apostolico confirmata est. Aliae *praelaturae* ex territoriis derivantur quae prius, nomine Episcopi, ab Archidiaconis aut Archipresbyteris regebantur; hi autem decursu temporis, sive ex consuetudine sive ex apostolico privilegio, ab omni Ordinario exempti et Romano Pontifici immediate subjecti evaserunt.

625. **Nominatio et dotes.** — A Papa nominationem et institutionem accipere debent.

Salvum tamen remanet jus praesentationis aut electionis, si cui legitime competit, quo in casu ab eodem Romano Pontifice *confirmari* aut *institui* debent (*can.* 320, § 1).

Si electio alicui competat collegio (ut, v. gr., communitati religiosae, capitulo canonicorum, etc.), ad ejus validitatem requiritur numerus suffragiorum absolute major, demptis suffragiis nullis, firmo peculiari jure quod majorem suffragiorum numerum (v. gr. duas tertias partes) requirat (*can.* 321). Quare hic norma generalis electionis post duo scrutinia sine majori suffragiorum numero absoluto non tenet.

Qualitates promovendi eae debent esse quas jus in Episcopis requirit (*can.* 320, § 2).

626. **Possessio: benedictio.** — Ad normam can. 334, § 3, Abbas vel Praelatus *nullius* nequit quovis titulo, sive per se sive per alios, in regimen abbatiae vel praelaturae se ingerere, antequam

ejusdem canonicam possessionem ceperit (*can.* 322, § 1). Si ex praescripto apostolico vel ex propriae religionis constitutionibus benedicendi sunt, benedictionem ab Episcopo quem maluerint infra tres meses a receptis Litteris Apostolicis, nisi legitimum impedimentum occurrat, accipere debent (*Ibid.*, § 2).

Benedictio hujusmodi ea est quam tradit Pontificale Romanum, tit. *De benedictione abbatis* (*pag.* 54 *seq.*: Ratisbonae, 1891). Ea communiter pro Abbatibus religiosis requiri solet.

627. **Ordinariae facultates; obligationes; insignia.** — *a*) Abbas vel Praelatus *nullius* easdem facultates ordinarias easdemque obligationes cum iisdem sanctionibus habet, quae competunt Episcopis residentialibus in propria dioecesi (*can.* 323, § 1).

b) Si charactere episcopali non sit ornatus, post benedictionem acceptam, si eam accipere debet, et praeter facultates can. 294, § 2 (*n.* 604, II) expressas, potest quoque ecclesias et altaria immobilia consecrare. Vide inibi observata (*Ibid.*, § 2).

c) Quod attinet ad Vicarii Generalis constitutionem, servanda sunt quae de hac re Episcopis residentialibus praescribuntur can. 366-371 (*Ibid.*, § 3).

d) Licet charactere episcopali careat, potest tamen 1.° *intra proprium territorium*, insigniis pontificalibus (sc. Episcopi) uti, cum throno, et jure ibidem officia divina pontificali ritu celebrandi; 2.° *etiam extra territorium*, crucem pectoralem, annulum cum gemma, ac pileolum violaceum deferre (*can.* 325).

628. **Capituli regimen; consultores.** — Capitulum religiosum abbatiae vel praelaturae *nullius* regitur propriis legibus ac constitutionibus; Capitulum saeculare, jure communi (*can.* 324).

Si praelatura saecularis Capitulo canonicorum careat, eliguntur consultores ad normam can. 423-428 pro dioecesi quae Capitulo caret (*can.* 326).

Vacatio abbatiae aut praelaturae. — Abbatia vel praelatura *nullius* vacante, si agatur de abbatia vel praelatura religiosa, succedit Capitulum religiosorum, nisi constitutiones aliud statuant; si de saeculari, Capitulum canonicorum. Utrumque Capitulum intra octiduum debet Vicarium Capitulare deputare, ad normam can. 432 *seq.*, qui abbatiam vel praelaturam regat usque ad novi Abbatis vel Praelati electionem (et canonicam possessionem) (*can.* 327, § 1).

Abbatia vel praelatura non vacante, sed impedita in exercitio jurisdictionis, servandum est praescriptum can. 429 (*Ibid.*, § 2).

Animadversio. — Ex hucusque dictis patet hujusmodi Abbates ab Abbatibus Collegiatae in nostra Hispania prorsus differre, qui omni exempta jurisdictione carent, et Capitulo Collegiali et parochis illius ecclesiae praesident.

N. B. Ad familiares Papae quod attinet, sive Praelati titulo gaudeant sive non, standum est privilegiis, regulis et traditionibus Palatii pontificii (*can.* 328).

CAPUT XI

DE PRAELATIS INFERIORIBUS IN HISPANIA

629. — Olim in Hispania plures praelaturae et abbatiae *nullius* fuerunt. In *Guía eclesiástica* anni 1828 exstabant adhuc praelaturae et abbatiae Ager, Fompuriae, Lermae, Olivares, Peñaranda de Duero, Sancti Facundi, Sancti Ildephonsi, Sancti Juliani de Samos, Sancti Aemiliani de Cuculla, et Manlianae.

Hi omnes Praelati titulum servabant Abbatis, praeter Agerensem, qui Archipresbyter audiebat; attamen tunc temporis tantum Sanctus Facundus, S. Julianus de Samos et S. Aemilianus de Cuculla abbatiae religiosorum erant. In praesenti solum remanet Prior Ordinum militarium, qui suum Prioratum seu clausum circulum (*coto redondo*) Cluniae habet, et Pro-Cappellanus major Palatii. De his nunc dicemus, et postea de castrensi jurisdictione, quae ad praelaturas 2.ae classis pertinet.

630. **Supprimuntur exemptae jurisdictiones.** — Articulo 11 Concordatus an. 1851 abolitae sunt omnes fere jurisdictiones exemptae, exceptis Castrensi, Pro-Cappellani majoris Palatii, quatuor Ordinum militarium, Praelatorum regularium, et ea quam in ecclesia et xenodochio italorum tunc exercebat Nuntius Apostolicus, quam eamdem nunc in ecclesia SS. Justi et Pastoris exercet.

En art. 11: «Omnes etiam jurisdictiones privilegiatae et exemptae, cujuscumque speciei sint, et quomodocumque nuncupentur, penitus cessabunt, ea non exclusa, quae ad Sancti Joannis Hierosolymitani Ordinem spectat. Subdita autem iisdem jurisdictionibus territoria propriis seu finitimis dioecesibus adjungentur in nova harum circumscriptione, prout art. 7.° statutum est, perficienda; salvis tamen ac in suo robore mansuris quae competunt:

1.° Pro-Cappellano Majori Majestatis Suae.
2.° Vicario Generali Castrensi.
3.° Quatuor Militiis Sancti Jacobi, Calatravae, Alcantarae et Montesiae, ad sensum eorum quae 9.° hujusce Conventionis articulo praedisposita sunt.
4.° Praelatis regularibus.
5.° Nuntio Apostolico pro tempore circa ecclesiam et xenodochium italorum in hac ipsa urbe [Matriti] erectum.

Vigebunt etiam speciales facultates quae Commissario Generali Cruciatae in rebus officium suum respicientibus, juxta delegationis Litteras, aliasque Apostolicas concessiones respondent.»

ARTICULUS I

PRIORATUS ORDINUM MILITARIUM IN HISPANIA

631. — Jurisdictio quam in dispersa territoria Ordines militares exercebant, per Concordatum (*art.* 9) ad unicum territorium separatum reducta fuit, quod *Prioratus Ordinum militarium* vocandum, ejusque Prior Episcopus *titularis* seu *in partibus*, ut tunc dicebatur, futurus erat (1). Clunia istiusmodi Prioratus sedes est.

632. — **Disciplina vigens** constitutione Pii IX *Ad apostolicam*, 18 nov. 1875, regitur.

I. Prior Ordinum militarium Episcopus titularis *Dorensis* semper erit (*aa.* 4 et 9). Gaudet omnibus facultatibus aliorum residentialium Episcoporum (*a.* 6).

II. Vicarium Generalem ipse nominat, gratum tamen Magno Magistro Ordinum militarium, sc. Regi Hispaniae (*a.* 7).

Ubi Episcopus decesserit, jurisdictio quasi-episcopalis apud Vicarium Generalem perseverat usque ad electionem alterius Episcopi-Prioris; quod si antea Vicarius Generalis decesserit, alterum nominabit Magnus Magister, sc. ipse Rex (*a.* 9).

III. Causae prima instantia in Curia Prioratus judicantur; secunda, in Tribunali Ordinum militarium; tertia, in Rota hispana (*a.* 8).

IV. Canonici et beneficiati omnes a Magno Magistro nominantur (*a.* 22), exceptis his qui sunt ex officio.

V. Capitulum Ecclesiae Prioratus omnibus privilegiis gaudet propriis cujusque Capituli Cathedralis; Vicarium tamen Capitularem non eligit (*aa.* 11, 12, 19), jurisdictio enim, Sede vacante, a Vicario Generali exercetur, ut dictum est. Cfr. const. praedictam ap. *Acta Pii IX*, *parte* I, *vol.* 7, *pag.* 121 *seq.*; versionem autem officialem hispanam ap. *Elías de Molins*, El Concordato, *pag.* 15-27.

---

(1) Art. 9: «Cum ex una parte necessitas urgeat opportune medendi gravibus incommodis quae in ecclesiastici regiminis detrimentum oriuntur ex dispersione territorii ad quatuor Militias Sancti Jacobi, Alcantarae, Calatravae et Montesiae hactenus pertinentis, ex altera vero deceat religiose servare et memoriam Instituti tantopere de Ecclesia ac re publica meriti, et praerogativas Catholicorum Regum, utpote Magnum ipsorum Militarium Ordinum Magisterium ex Apostolica concessione obtinentium, in nova Dioecesium circumscriptione definitus quidam assignabitur locorum numerus infra certum radium seu circulum *(que formen coto redondo)*, ut ibi Magnus praedictarum Militiarum Magister ecclesiasticam jurisdictionem exercere pergat, ad omnimodam eorum normam, quae in memorata concessione, aliisque Pontificiis Constitutionibus praescribuntur. — Novum hoc territorium *Militarium Ordinum Prioratus* nuncupabitur, et Prior charactere Episcopali titulo *in partibus* insignitus erit.

»Loca omnia quae nunc exemptae eorumdem Ordinum jurisdictioni subjacent, quaeque territorio illis, ut dictum est, assignando minime comprehendantur, suis seu proximis Dioecesibus aggregabuntur».

ARTICULUS II

JURISDICTIO PALATINA HISPANA

633. — Jurisdictio palatina hispana praelaturam *nullius* constituit, quae tamen peculiaribus legibus regitur (vide *n.* 623, *N. B.*).

Cappellani Majores Palatii. — Ut Cappellani majores Regum Hispaniae, jurisdictionem *habitualem* palatinam habent Archiepiscopi Compostellanus et Toletanus; primus, jam ex antiquo, alter, a 21 april. 1885.

Pro-Cappellanus. — Exercitium tamen *actuale* a Rege in aliam personam dignam et aptam delegari potest, quae dum has functiones exercet, *Pro-Cappellanus Major Palatii* vocatur, et a praedictis Toletano et Compostellano Archiepiscopis omnino independens est. Potest tamen Rex, in casibus peculiaribus et in Aulae Regiae solemnioribus actibus, ut baptismi, matrimonii, funerum et his similibus, uni ex dictis Cappellanis Majoribus *actuale* ipsum exercitium jurisdictionis palatinae committere (Leo XIII, 19 julii 1892).

Qui a Rege designatur ad munus Pro-Cappellani Majoris, ad episcopalem dignitatem evehi poterit, quoties illius dignus existimabitur (*Ibid.*). Cfr. *Salazar y La Fuente*, Disciplina eclesiástica, *vol.* 1, *pag.* 523.

Ab an. 1892 Pro-Cappellanus Major est Illmus. Episcopus titularis Sionensis, qui simul Pro-Vicarii Generalis Castrensis munere fungitur. Vide *n.* 636.

634. **Territorialis indoles.** — I. Indoles jurisdictionis hispanae palatinae deducenda est praesertim ex collectione cui titulus: *Bulas y Breves Pontificios relativas a la jurisdicción privilegiada de la Real Capilla, publicadas por la Real Casa* (Madrid, imprenta de Enrique de la Riva, 1878), et maxime ex const. Pii VI, *Vetus atque eximium*, 8 apr. 1777.

Ex ea Constitutione constat plane indoles *territorialis* dictae jurisdictionis, quamvis fundamentum, Regia nempe familia, personale sit.

II. Haec territorialis natura manifeste apparet ex eo quod Regia Cappella in paroeciam erigitur, iisdem juribus et praerog.. tivis ac reliquae territoriales paroeciae gaudens; et ex designatione *peculiaris et separati territorii* ipsius, quod accurate determinatur, ad instar aliarum parochiarum territorialium.

Jurisdictio in personas ex eo pendet quod *in dicto territorio degant aut non degant*, ad quod etiam pertinent quaedam ecclesiae, xenodochia, etc., ab ipso separata, et pariter jurisdictioni Pro-Cappellani obnoxia.

III. Jurisdictio ipsa est, non paroecialis tantum, sed etiam episcopalis, et consequenter ab Ordinario Matritensi exempta.

Ut de territoriali natura omne dubium removeatur, accurate describitur terrenum ipsum designatione paroeciali comprehensum; mutationes in ipso possibiles enuntiantur, et cui jurisdictioni nova aedificia attribuenda sint praestituitur. Et licet fundamentum hujus paroeciae, ut diximus, Regia Familia sit, et intuitu illius, omnes personae ipsius servitio addictae; tamen, adeo territorialis indoles praevalet, ut degentes intra designatos paroeciae limites, Pro-Cappellani subditi sint, licet ex servis et administris regiae domus non sint; et ipsi non subjiciantur, etsi de iisdem servis et ministris sint, dum extra fines paroeciales vivunt, licet domus in qua habitant, propria Regiae Familiae fuerit. Cfr. *Ferreres*, Los Esponsales, *nn.* 750-753.

ARTICULUS III

JURISDICTIO CASTRENSIS HISPANA

Jurisdictio castrensis hispana, ut supra dictum est, ad praelaturas 2.ae classis pertinet.

635. **Origo.** — Jurisdictioni ecclesiasticae *castrensi* hispanae ortum dedisse videtur Breve Innocentii X *Cum sicut majestatis tuae*, 26 sept. 1644 (aut 1645, quod datum in Bullario Romano *Taurinensi* assignatur). Hoc Brevi, rogatu Philippi IV, Cappellanis a Rege pro exercitu suo nominatis conceduntur, pro toto tempore belli, jurisdictio et peculiares facultates super viros militares qui extra propriam dioecesim versarentur. Vide *Novísima Recopilación, l.* 2, *tit.* 6, *lege* 1.ª, nota 1.ª (Cfr. *Ferreres*, El impedimento de clandestinidad, *n.* 103 *seq.*).

636. **Vicarius Generalis Castrensis.** — Per Breve Clem. XII, *Quoniam in exercitibus*, 4 febr. 1736, rogatu Philippi V datum, Cappellano Majori regii exercitus, jurisdictio castrensis *ad septennium* delegatur (Novísima Recopilación, l. c., *n.* 2). Inde autem *de septennio in septennium*, nulla facta interruptione, prorogata est.

Initio, jurisdictio castrensis terrestris exercitus et maritimi seorsim exercebantur. Ab anno 1705 utramque jurisdictionem conjunctim habebat D. Carolus de Borgia et de Centellas, Vicarius Generalis exercituum maritimi et terrestris, qui postea ad Cardinalatum evectus est. Iterum anno 1717 separatae sunt, iterumque conjunctae an. 1741, quo Illmus. Dnus. Vintimilla, Barcinonensis Episcopus, Cappellanus Major nominatus est, et Vicarius Generalis exercituum in mari et in terra (*Salazar y La Fuente*, Procedimientos eclesiásticos, *lib.* 2, *tit.* V, *cap.* 2, Madrid, 1868, *pag.* 101 *seq*).

A Brevi Clem. XIII, 10 martii 1762, uterque Vicariatus Patriarchatui Indiarum annexus fuit.

Pro-Vicarius. — I. In praesenti, Archiepiscopatui Toletano annectuntur, tum Patriarchatus Indiarum, tum Vicariatus Generalis

Castrensis; attamen *Pro-Vicarius* Generalis Castrensis est qui *actu* jurisdictionem castrensem *exercet*. Ab anno 1892, Pro-Vicarius Castrensis Generalis est Ilmus. D. D. Jacobus Cardona et Tur, Episcopus titularis Sionensis.

II. Pro-Vicarius, juxta Breve Leonis XIII 2 aug. 1897, facultate gaudet jurisdictionem castrensem ex toto vel ex parte certa cuilibet ex iis commitendi, qui actu ipsius Vicarii delegati sint, quique ei ad tale munus aptior videbitur.

III. Statuit item eo Brevi Leo XIII ut quoties translatione aut morte Vicarii aut Pro-Vicarii Generalis Castrensis munus vacaverit, omnes et singulae muneris facultates in eum Vicarii substitutum recidant, qui in urbe regni principe apud defunctum Vicarium aut Pro-Vicarium officio suo fungebatur.

Castrensis Clerus. — In Regio Decreto 27 martii 1901, inter alia, haec tria articula proponuntur:

«1.° Se reorganiza el Cuerpo del Clero Castrense, continuando como jefe superior del mismo el muy reverendo Vicario o Pro-Vicario General Castrense.

2.° Constituirán dicho cuerpo: un Teniente Vicario de 1.ª, tres tenientes vicarios de segunda, 11 capellanes mayores, 52 capellanes primeros y 72 capellanes segundos.

3.° El *Teniente Vicario de primera* será *asesor* del Vicariato General Castrense; representarán al muy reverendo Vicario o Pro-Vicario General Castrense en las regiones militares, Capitanía general de Baleares y Comandancias generales de Ceuta y Melilla, tenientes vicarios de segunda o capellanes mayores, los cuales serán jefes inmediatos del personal del cuerpo que se encuentre en los territorios respectivos. Los reverendos *Obispos de Canarias* y *Tenerife* ejercerán en aquel distrito, cada uno en su diócesis, el cargo de *subdelegado castrense,* Teniente Vicario.»

637. **Quinam ad hispanam jurisdictionem castrensem pertinent**. — Ex Brevi Pii X, 31 julii 1904, ejusque posteriore confirmatione, quatuor sunt tituli ex quibus aliquis in jurisdictione castrensi comprehendi potest:

1.° **Ratione servitii militaris actualis**, comprehenduntur omnes ii qui militiam, sive terrestrem, sive maritimam, actu exercent. Tales sunt civica militia (*Guardia civil*), finium custodes (*carabineros*), veterani et invalidi; item qui coetus exercitui annexos constituunt, ut corpus juridicum militare. Horum omnium familiae, legitimae nempe uxores, filii qui sub patria potestate manent, et personae in eorum servitio occupatae. Filii (tum masculi, tum foeminae) militum, de quibus modo diximus, castrensi ecclesiasticae jurisdictioni subjecti manent dum cum familia patris vivunt, *licet a patria potestate jam exempti sint.*

2.° **Ratione famulatus in bonum exercitus**, comprehenduntur ii qui quavis de causa aut titulo exercitum *comitantur eique serviunt* cum approbatione capitum et aliorum militarium supe-

riorum, licet hujusmodi personae servitii militaris obligatione non teneantur, idque in casu cujuscumque militaris excursus, etc., observandum est. Pariter, ii qui in bellicis navibus versantur, licet militiae nomen non dederint, aut alii jurisdictioni subdantur; item qui sunt in mercatoriis navibus quae bellicis auxilium praestant.

3.° **Ratione loci**, personae quae in quibuscumque arcibus, propugnaculis, castellis, contuberniis, navaliis, xenodochiis militaribus, fabricis et officinis usui Exercitus et Classis destinatis, et in collegiis militaribus degunt aut degere debent. Nomine arcis, propugnaculi et castelli ea loca muris septa et praesidio munita intelligenda sunt, intra quorum ambitum vicus, pagus, oppidum, urbs aut alia id generis non sunt.

4.° **Ratione muneris in Vicariatu**, includuntur viri ecclesiastici qui ibi aliquod officium obtinent, et saeculares qui ibidem munus aliquod legitime obeunt, v. gr. justitiae administrandae aut negotia Vicariatus tractandi, sicut etiam ipsorum uxores et filii nondum emancipati (imo et emancipati) qui cum patribus degunt; denique famuli.

638. **Jurisdictio haec exempta est.** — Inclusio in hispana jurisdictione castrensi *exemptionem* ab ordinaria jurisdictione secum fert.

Jurisdictionem castrensem ab ordinaria proprio sensu *exemptam* esse, constat primo ex verbis Concordati an. 1851, quod, art. 11, inter privilegiatas et *exemptas* jurisdictiones quae in suo robore mansurae sunt, *castrensem* enumerat.

Constat secundo ex apertis phrasibus Pii VII, in Brevi 12 jan. 1807, quibus asserit Carolum III a Clemente XIII postulasse ut viros militares *ab ordinaria jurisdictione eximeret* et *Vicarii Castrensis potestati subjiceret*, idque a Papa fuisse concessum; quam concessionem ipse Pius VII ratam habet.

Nec aliter sentiunt hispani canonistae, inter quos sat erit auctoritatem DD. Salazar et La Fuente allegare, qui in opere *Lecciones de disciplina eclesiástica* (*part.* 1, *lect.* XXXI, *n.* 1, Madrid, 1894) his decretoriis verbis scribunt: «*Vicariato,* porque el Prelado que la ejerce hace las veces del Romano Pontífice, el cual **se reserva la jurisdicción de los Ordinarios sobre las personas y cosas militares,** y formando un cúmulo de esta jurisdicción reservada, la delega al Patriarca de las Indias u otra persona eclesiástica.» Et *n.* 3: «Así que la jurisdicción castrense es el cúmulo de atribuciones que debían ejercer los Obispos sobre las personas y cosas de los militares en lo relativo a su salvación y bien espiritual; pero el Papa, por altísimas razones, *suspende a los Ordinarios el ejercicio de estos derechos y deberes, reservándoselos* a sí mismo y confiando al Patriarca de las Indias el ejercicio de este cúmulo de atribuciones reservadas y por tiempo limitado.»

639. — Cappellani castrenses sunt veluti parochi paroeciarum personalium. Eorum jurisdictio, ad matrimonium praesertim quod attinet, inferius declarabitur. Quid Codex de paroeciis personalibus

statuat, vide can. 216, § 4 (*n.* 164, 8.°). De castrensibus autem Cappellanis, tum majoribus, tum minoribus, id tantummodo dicitur, can. 451, § 3, «standum sc. peculiaribus Sanctae Sedis praescriptis».

TITULUS VIII

De potestate episcopali deque iis qui de eadem participant

640. Postquam de potestate suprema et de iis qui jure ecclesiastico eam participant, in titulo praecedenti actum est, doctrinam Codex in praesenti titulo proponit de potestate episcopali, quae, sicut et suprema, ex institutione divina procedit, et de his qui jure ecclesiastico eamdem participant. Quoniam autem suprema potestas et potestas episcopalis sunt duo soli jurisdictionis gradus ordinatione divina instituti, idcirco his duobus titulis comprehenduntur etiam omnes qui jurisdictionem institutionis divinae participant.

CAPUT I

DE EPISCOPIS

ARTICULUS I

GRADUS ET POTESTATIS EPISCOPALIS ORIGO

641. **Episcopi, ex divina institutione, successores Apostolorum sunt.** — Episcopi sunt successores Apostolorum, atque ex divina institutione peculiaribus Ecclesiis praeficiuntur, quas cum potestate ordinaria regunt sub auctoritate Romani Pontificis (*can.* 329, § 1).

Quo sensu successores sunt: duplex apostolica potestas. — Duplex in Apostolis potestas est distinguenda, utraque a Christo immediate habita: *ordinaria* sc. et *extraordinaria*.

Ordinaria seu pastoralis erat potestas dioeceses, quibus praeerant, regendi et gubernandi, sub dependentia Beati Petri. **Extraordinaria** erat ipsa **apostolica** potestas, ecclesias videlicet instituendi et institutas visitandi.

Ordinaria ad Episcopos, eorum successores, transmissa est, licet diversa ratione nunc acquirenda; Apostoli namque eam immediate a Christo acceperunt, et vi talis potestatis, ipsi dioecesibus a se fundatis aut visitatis se praeficiebant et ibidem jurisdictio-

nem exercebant; primi vero Episcopi ab Apostolis praepositi fuerunt dioecesi suae; ceteri autem a Papa, a quo immediate jurisdictionem accipiunt, dioecesibus ut praesides dati fuerunt et etiamnum dantur.

Extraordinaria seu apostolica potestas erat personalis pro ipsis Apostolis, ideoque in eorum successores non transiit. Tantum in Petro fuit ordinaria hujusmodi potestas, et idcirco ejus successoribus transmissa fuit et transmittitur, idque cum infallibilitatis praerogativa, licet charismata miraculorum, revelationis et inspirationis non transmittantur.

Vi hujus extraordinariae *missionis* habebant etiam Apostoli alia charismata successoribus incommunicata, sc. donum infallibilitatis, miraculorum, charitatis; confirmationem in gratia, unde nec unitatem Ecclesiae scindere poterant; potestatem novas ecclesias fundandi, quod praesertim apostolatum constituit; jurisdictionem illimitatam seu negative universalem, nam, licet singuli per se leges pro tota Ecclesia condere non possent, eas condere poterant pro ecclesiis a se fundatis aut visitatis; poterant autem omnes visitare, etiam ab aliis fundatas, salva charitate, itemque reverentia Sancto Petro debita.

Hinc est quod Apostoli in particulari, uno S. Petro excepto, successores non habuerunt.

Collegialiter Episcopi Collegio Apostolico succedunt, siquidem haec collegialis potestas erat in Apostolis ordinaria.

642. **Quo pacto Episcopi Papae subjiciantur.** — I. Erraret qui supponeret Episcopos propriam et ordinariam potestatem non habere, sed tantum a Papa delegatam, ita ut velut meri Vicarii Apostolici sint.

Erraret qui supponeret ordinariam Episcoporum potestatem Papae subditam non esse; itemque eam adeo coarctari posse ut velut ad meram umbram reducatur, vel posse Papam Hierarchiam ecclesiasticam ex Ecclesia tollere, eamque totam mediis Vicariis Apostolicis aut Praefectis Apostolicis regere.

II. Quamquam gradus episcopalis a Romano Pontifice pendet, ita ut quilibet particularis Episcopus a Papa institutionem seu missionem suam recipiat, et cujusvis seorsim jurisdictionem potest ipse Papa ad ampliores aut angustiores fines limitare, sicut quamlibet seorsim dioecesim limitare, eamque, si id opportunum existimaverit, per Administratores Apostolicos regere potest; attamen, **ex divina ordinatione**, Ecclesia universalis debet communiter regi et gubernari per Episcopos qui eis praesideant nomine proprio, et veluti veri pastores, qui vicem non gerunt Papae, ut Vicarii Apostolici, sed repraesentant gradum episcopalem a Christo institutum ut ecclesias particulares seu dioeceses sub potestate Summi Pontificis regat. Cfr. *Cavagnis*, l. c., *vol.* 2, *pag.* 111 *seq.*; 104 *seq.* (ed. 4.ª); *Wernz*, *vol.* 2, *n.* 731 *seq.*

ARTICULUS II

EPISCOPORUM NOMINATIO

643. — Episcopos libere nominat Romanus Pontifex (*can.* 329, § 2).

Si cui collegio (v. gr., Capitulo canonicorum) concessum sit jus eligendi Episcopum, servandus est can. 321 de numero suffragiorum absolute majori, nisi peculiari jure adhuc major numerus requiratur (*Ibid.*, § 3).

644. **Elementum in designatione essentiale.** — In Episcoporum nominatione sive designatione, elementum essentiale unicum est auctoritas Romani Pontificis, cui ea jure proprio et nativo competit, utpote soli qui immediata et universali in totam Ecclesiam jurisdictione pollet. Solus Romanus Pontifex a Deo jurisdictionem immediate recipit, ceteri vero ab eo jurisdictionem accipiunt, qui unicus inter homines eam in omnes mundi dioeceses habet.

Quare merito Innocentius I, *epist.* 29, *n.* 1: «*A qua* (Sede Apostolica) *ipse episcopatus et tota auctoritas nominis hujus emersit.*» Cfr. *Migne*, P. L., *vol.* 20, *col.* 583 (1).

Designatio itaque clerici alicujus in Episcopum determinatae dioecesis vim totam a tacito vel expresso Papae consensu mutuatur; per mandatum enim quo ad regendam determinatam dioecesim mittit suae curae commissam, ei jurisdictionem Papa communicat; idque facit ut officium sibi jure divino impositum impleat, Ecclesiam sc. per Episcopos proprios generatim regendi.

Historicae vicissitudines. — Varia decursu temporum designationis forma fuit. Priscis saeculis per clerum cujusque dioeceseos fieri solebat, et pontificia auctoritate a finitimis Episcopis confirmabatur, praesente populo, qui testimonio suo electi dignitatem comprobabat. Vide *n.* 396.

Alibi electionem Episcopi comprovinciales peragebant, eamque Metropolitanus approbabat, cleri assensu et populi testimonio requisito.

Subinde, ab exeunte saec. IX ad initium saec. XII, populi interventus amotus est, utpote tumultibus ansam praebens.

Pluribus in regionibus Ecclesia diu pugnare coacta est, ut libertatem suam in designandis Episcopis contra potestatis civilis invasionem tueretur, quae sibi jus investiturae arrogabat.

---

(1) Episcopos a Deo immediate hanc jurisdictionem accipere, sententia jam antiquata est. Cfr. *Syllab.*, prop. 19, 34, 50; *S. Th.*, Contra gentes, *lib.* 4, *cc.* 72, 76; 2 *d.* 44; 4 *d.* 20, *q. un.*, *a.* 4; *Suárez*, De fide, *disp.* 10, *sect.* 1, *n.* 3; De Leg., *lib.* 4, *c.* 3, *n.* 4 *seq.*; *Bellarmin.*, De Rom. Pont., *lib.* 4, *c.* 23 *seq.*; *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 2, *n.* 736 *seq.*; *Wilmers*, De Ecclesia, *l.* 3, *c.* 3, *a.* 2; *Muncunill*, De Ecclesia, *n.* 580 *seq.*

A Concilio Lateranensi I (1123) usque ad initium saec XIV, electio generatim a Capitulo Cathedrali fiebat, et a Metropolitano confirmabatur.

Postea, et generatim a saec. XV, jus hoc sibi Papa reservavit; concesso postea principibus catholicis, communiter per Concordata, jure praesentationis aut nominationis, et retenta semper apud Romanum Pontificem confirmatione et provisione.

645. **Disciplina vigens.** — I. In Hispania Rex gaudet privilegio praesentandi ad episcopatus.

Privilegium hoc in Concordato an. 1753 recognoscitur his terminis: «No habiendo habido controversia sobre la pertenencia a los Reyes Católicos de las Españas del Real Patronato, o sea nómina a los arzobispados, obispados, monasterios y beneficios consistoriales, es a saber: escritos y tasados en los libros de Cámara, cuando vacan en los reinos de las Españas, hallándose apoyado su derecho en las Bulas y privilegios apostólicos y en otros títulos alegados por ellos; y no habiendo habido tampoco controversia sobre las nóminas de los Reyes Católicos a los arzobispados, obispados y beneficios que vacan en los reinos de Granada... se declara deber quedar la Real Corona en su pacífica posesión de nombrar en el caso de las vacantes, como lo ha estado hasta aquí; y se conviene en que los nominados a los arzobispados, obispados, monasterios y beneficios consistoriales deban también en lo futuro continuar la expedición de sus respectivas Bulas en Roma, en el mismo modo y forma practicada hasta aquí sin innovación alguna» (1).

Imperatori Carolo V hoc privilegium Adrianus Papa VI primitus concesserat.

II. Simile privilegium per propria Concordata conceditur praesidibus rerumpublicarum Americae **Costae Ricae**, *a.* 7; **Guatemalae**, *a.* 7; **Haiti**, *a.* 4; **Aequatoris**, *a.* 12; **Nicaraguae**, *a.* 7; **Sancti Salvatoris**, *a.* 7. Et generatim, in tota latina America viget.

Eadem disciplina per se viget in Austria et Bavaria; eademque in Gallia et Lusitania vigere deberet, nisi suspensae essent diplomaticae relationes. Non tamen eadem forma in his omnibus regionibus designatio peragitur.

III. Electio per Capitulum Cathedrale in usu est apud nonnullas Austriae dioeceses, v. gr. Olomucensis et Salisburgensis, itemque in Borussia apud dioeceses principatuum provinciae ecclesiasticae Rheni superioris, et in Helvetia apud dioeceses S. Galli, Basileensis et Curiensis, etc.

IV. In Anglia, Hibernia, Belgio, Hollandia et in Canada, communiter fit nominatio per praeviam commendationem plurium candidatorum factam, aut ab insignioribus clericis dioecesis, suffragantibus Episcopis comprovincialibus, aut solo horum Episcoporum suffragio. Haec praevia commendatio vim electionis cano-

(1) Episcopi auxiliares sunt liberae provisionis Sanctae Sedis, praevia commendatione Episcopi, cui in auxilium dantur; insuper principi grati sint oportet.

nicae non habet, quamobrem adhuc Papa aliquem eligere potest, qui inter candidatos commendatos non sit comprehensus.

Simili ratione res in Statibus Foederatis agitur: ratio autem ipsa accurate in decreto S. Cong. Consistorialis 25 julii 1916 praescribitur (*Acta*, VIII, *pag.* 400-404). Episcopi cujusque provinciae, audita singillatim sententia consultorum dioecesis, et parochorum inamovibilium, singulis bienniis unum vel alterum candidatorum nomen quos Episcopatu dignos judicent, ad Metropolitanum mittunt: tum in coetum coëunt, et cujusque meritis discussis, secretis suffragiis definiunt quinam tandem illo gradu digni existimandi sint, addito aut non addito ordine praelationis. Elenchum conficiunt, quem ad Papam, simul cum actis electionis et discussionis, deferri curant. Omnia sub admodum stricto secreto fiunt. Ex his autem suo tempore Papa ad vacantes eligit.

V. Episcopos titulares, Vicarios Apostolicos cum charactere episcopali, et Episcopos Coadjutores cum futura successione Summus Pontifex libere generatim designat, itemque (saltem theorice) Episcopos Italiae.

De tota hac re cfr. *Wernz*, l. c., *vol.* 2, *n.* 740 *seq.*

ARTICULUS III

EPISCOPORUM QUALITATES

646. — I. Antequam quis in episcopatum assumatur, constare debet, secundum modum a Sede Apostolica determinatum, eum esse idoneum (*can.* 330).

II. Ut idoneus sit, sequentes qualitates in eo adsint oportet:

1.ª Ut sit natus ex legitimo matrimonio, nec sufficit si postea legitimatus fuerit, nequidem per subsequens matrimonium; 2.ª aetas saltem triginta annorum; 3.ª tempus sacri presbyteratus saltem a quinquennio; 4.ª probitas morum, pietas, animarum zelus, prudentia, ceteraeque dotes quae ipsum aptum efficiant ad gubernandam dioecesim de qua agitur; 5.ª laurea doctoris, vel saltem licentia in Sacra Theologia vel Jure Canonico, in athenaeo aliquo obtenta vel Instituto studiorum a Sancta Sede probatis; vel saltem vera peritia in his facultatibus; quod si ad religionem aliquam pertineat, a suis Superioribus majoribus vel similem titulum vel saltem verae peritiae testimonium habere debet (*can.* 331, § 1).

Eisdem qualitatibus pollere debet electus, praesentatus vel quoquo modo ab aliquibus designatus, qui privilegio a Sancta Sede concesso eligendi, praesentandi seu designandi gaudent (*Ibid.*, § 2).

Definitive autem judicare num quis idoneus sit, ad Apostolicam Sedem unice pertinet (*Ibid.*, § 3).

647. **Processus idoneitatis.** — Antequam Sancta Sedes clericum aliquem ad Episcopatum assumat, indaginem seu processum *de vita et moribus* promovendi conficiendum curat, proposito longo quaestionum catalogo, de cujus articulis tres saltem testes omni exceptione majores respondere debent. Alius item processus fit *de statu ecclesiae.*

Extra Italiam, in regionibus Congr. Consistoriali subjectis, processus a Nuntiis instruuntur ad norman constitutionum Gregorii XIV *Onus Apostolicae servitutis* (15 maji 1591: *Bull. Rom. Taurin., vol.* 9, *pag.* 419 *seq.*), et Urbani VIII *Si processus* (1627: *Bull. Rom. Taurin., vol.* 13, *pag.* 581 *seq.*). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 361 (1).

Processus Romam deferuntur, eosque discutit S. Congr. Consistorialis, si Sedes vacans ad jus commune pertinet; Congregatio autem de Propaganda Fide, si ei territorium subditum sit.

Si dioecesis ad quam candidatus promoveri debet, sit extra Italiam, documenta officialibus Secretariae Status traduntur, qui summarium ordinatum conficiunt, Congr. Consistoriali ad examen exhibendum. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 349.

In Hispania, decretum 6 aut 7 sept. 1868 sic ait: «Artículo 1.° Los Metropolitanos, oyendo a sus respectivos sufragáneos en la forma que creyeren más conveniente, me propondrán por la vía reservada y por conducto de mi Ministro de Gracia y Justicia, en el mes de diciembre de cada año, los eclesiásticos de sus respectivas diócesis que puedan ser indicados para obtener arzobispados y obispados; debiendo tener los sujetos propuestos las circunstancias siguientes:

»Ser mayores de cuarenta años de edad, graduados en Teología o en Derecho canónico o civil, o maestros de Ordenes religiosas; de ejemplar virtud; de notorias ciencia, prudencia, paz, mansedumbre y caridad, y de conocimientos especiales para el gobierno de la diócesis.

»Art. 2.° Con presencia de estas propuestas, y tomando mi Gobierno los informes reservados que crea convenientes, el Ministro de Gracia y Justicia formará, en el mes de enero, una lista de las personas que, reuniendo las condiciones expresadas en el artículo anterior, crea dignas de ser presentadas para los arzobispados y obispados.» Cfr. *Alcubilla,* v. Concordatos, *vol.* 4, *pág.* 171, edic. 6.ª

Censemus tamen hujusmodi elenchos in praesenti mitti non solere; quorum loco, ubi vacans occurrit, opportune conveniunt Nuntius Apostolicae Sedis et Minister Gratiae et Justitiae; hic autem declarat quinam sint candidatus aut candidati quos aptos existimat et praesentare intendit; et ex parte sua, Nuntius, indagine de qualitatibus facta, nisi jam de iis notitiam habeat, debitas observationes exponit, et mentem Sanctae Sedis explorat. Saepius autem aut rarius hujusmodi collocutiones iterantur, pro majore aut minore difficultatum numero. Interdum Nuntius alterum proponit candidatum, quaerens num forte Regi etiam sit gratus. Atque ita ulterius in negotiatione proceditur, donec utrinque concors sententia sit. Tunc enim tantum nominatio per *Gacetam* evulgatur, cum jam privatim Sancta Sedes rem probavit.

---

(1) De processibus eorum qui intra Italiam promoventur, vide constitutiones *Ben. XIV Ad Apostolicae* (17 oct. 1740) et Leonis XIII *Immortalis memoriae* (18 sept. 1878). Cfr. etiam *Colomiatti, vol.* 1, *pag.* 314 *seq.*

ARTICULUS IV

INSTITUTIONIS CANONICAE NECESSITAS-POSSESSIO

648. — I. Cuilibet ad episcopatum promovendo, etiam ab alio (v. gr., a Capitulo) electo, praesentato vel designato, necessaria est canonica provisio seu institutio, quam solus Papa dare potest, et qua Episcopus vacantis dioecesis constituitur (*can.* 332, § 1).

II. Ante canonicam institutionem seu provisionem, candidatus, praeter fidei professionem, de qua in can. 1406-1408; jusjurandum fidelitatis erga Sanctam Sedem, secundum formulam ab Apostolica Sede probatam, edere debet (*Ibid.*, § 2).

III. Promotiones Episcoporum a Papa, in Consistorio secreto (ubi, sicuti dictum est, Cardinales creantur) fieri solent. Quia vero diversis de causis diutius interdum Consistorii celebratio differtur, et Sedium vacationen procrastinari non expedit, hodie sat frequenter nominationes per Bullam aut Breve expediuntur, et in proxime sequenti Consistorio promotiones ita factae a Papa nuntiantur.

Praeconizatione seu nominatione, sive in Consistorio, sive per Bullam aut Breve, facta, exspectandae sunt adhuc Apostolicae Litterae, quae in Hispania hujusmodi esse consueverunt: 1.ª Bulla ad Regem; 2.ª Bulla ad vasallos; 3.ª Bulla ad electum; 4.ª Bulla consecrationis et jurisjurandi; 5.ª Bulla provisionis; 6.ª Bulla ad Metropolitanum; 7.ª Bulla ad Capitulum Cathedrale; 8.ª Bulla ad populum; 9.ª Bulla absolutionis; 10.ª Bulla ad clerum.—Vide *La Fuente*, Procedimientos eclesiásticos, *vol.* 1, *pag.* 70-93, item *pag.* 567 *seq.*; *Cadena y Eleta*, Tratado de procedimientos, *pag.* 241 *seq.*

IV. Praeterea, nisi legitimum obstet impedimentum, promotus ad episcopatum, etiamsi S. R. E. sit Cardinalis, debet intra tres menses a receptis Apostolicis litteris, episcopalem consecrationem suscipere, et intra quatuor (ab eadem litterarum receptione computandos) ad suam dioecesim pergere, salvo praescripto can. 238, § 2 (*can.* 333).

V. Episcopi residentiales sunt ordinarii et immediati pastores in dioecesibus sibi commissis (*can.* 334, § 1). In regimen tamen dioecesis neque per se neque per alios, nec ullo sub titulo sese ingerere possunt, nisi prius ejusdem dioecesis possessionem canonice ceperint; sed si ante suam ad episcopatum designationem Vicarii Capitulares, Officiales, Oeconomi fuerint renuntiati, haec officia etiam post designationem retinere et exercere possunt (*Ibid.*, § 2).

Hoc canone definitur quaestio antea disputata. Nonnulli, cum

Sanguineti, *n.* 346, ex gravissima prohibitione sese immiscendi in dioecesis regimen et gubernium ante exhibitas Litteras Apostolicas, etiam titulo Vicarii Capitularis, hanc inferebant conclusionem, teneri eum qui a Gubernio designatur aut praesentatur, propter hanc eamdem designationis causam, muneri Vicarii renuntiare.

Alii autem, ut *Wernz*, l. c., *vol.* 2, *n.* 795, IV, contrarium docebant: jura enim difficilius amittuntur quam acquiruntur, et *turpius ejicitur quam non admittitur hospes.* Haec igitur sententia in Codice praevaluit, quam etiam ad *praxim* deductam vidimus cum Illmus. D. Campins, Vicarius Capitularis Majoricensis, ad eamdem Majoricensem Sedem a Gubernio praesentatus fuit.

Canonicam dioecesis possessionem capiunt Episcopi residentiales simul ac in ipsa dioecesi vel per se vel per procuratorem Apostolicas litteras Capitulo Ecclesiae Cathedralis ostenderint, praesente Secretario Capituli vel Cancellario Curiae, qui rem in acta referet (*Ibid.*, § 3).

ARTICULUS V

EPISCOPORUM JURA ET OFFICIA GENERALIA

649. — I. Episcopis jus et officium competit gubernandi dioecesim, tum in spiritualibus tum in temporalibus, cum potestate legislativa, judiciaria, coactiva, ad normam sacrorum canonum exercenda (*can.* 335, § 1).

Leges episcopales statim a promulgatione obligare incipiunt, nisi aliud in ipsis caveatur (*Ibid.*, § 2).

Modus promulgationis ab ipso Episcopo determinandus est (*Ibid.*).

II. **Observantiam** legum ecclesiasticarum Episcopi *urgere* debent, nec in jure communi dispensare possunt, nisi ad normam can. 81 (*can.* 336, § 1). Vide *n.* 191.

Advigilare debent ne abusus in ecclesiasticam disciplinam irrepant, praesertim circa administrationem Sacramentorum et sacramentalium, cultum Dei et Sanctorum, praedicationem verbi Dei, sacras indulgentias, implementum piarum voluntatum. Curare item debent ut puritas fidei ac morum in clero et populo conservetur; ut fidelibus, praesertim parvulis ac rudibus, pabulum doctrinae christianae praebeatur; ut in scholis (itemque in collegiis altioris gradus et Universitatibus) puerorum ac juvenum institutio secundum catholicae religionis principia tradatur (*can.* 336, § 2).

Circa praedicationis munus, servandus est canon 1327 (*Ibid.*, § 3).

650. **Ubinam pontificalia exercere potest**. — Episcopus in

tota sua dioecesi, ecclesiis exemptorum religiosorum non exclusis, pontificalia exercere potest. Extra dioecesim id non potest sine expresso vel saltem rationabiliter praesumpto consensu Ordinarii loci, et si agatur de ecclesia exempta, de consensu Superioris religiosi (*can.* 337, § 1).

Exercere pontificalia in jure est sacras functiones peragere quae ex legibus liturgicis requirunt insignia pontificalia, id est, baculum et mitram (*Ibid.*, § 2).

Episcopus, licentiam concedens pontificalia exercendi in suo territorio, potest quoque permittere usum throni cum baldachino (*Ibid.*, § 3).

ARTICULUS VI

RESIDENTIA ET MISSA «PRO POPULO»

651. **Residentia**. — I. Episcopus (et pariter Archiepiscopi, Patriarchae, etc.) tenetur lege residentiae personalis in sua dioecesi, idque etiamsi Episcopum coadjutorem (*auxiliar*) habeat (*can.* 338, § 1).

Quocirca, a dioecesi abesse non potest, nisi *ut Sacra Limina* visitet (de quo postea), ut Conciliis quibus tenetur intersit, aut civile aliquod officium legitime suae Sedi annexum (v. gr., Senatoris pro Archiepiscopis in Hispania) exerceat.

Potest praeterea justa de causa discedere (v. gr., ad honestam laboris intermissionem), non tamen ultra duos vel ad summum tres menses intra annum, sive continuos sive discontinuos; idque his conditionibus: *a*) ut dioecesis ipsius absentia nullum detrimentum capiat; *b*) ut hoc tempus immediate non conjungatur sive cum tempore sibi a jure concesso occasione suae promotionis, vel visitationis Sacrorum Liminum, vel assistentiae Concilio, sive cum tempore vacationum anni subsequentis (*Ibid.*, § 2).

Quamvis Episcopus legi satisfaciat, dummodo intra dioecesim degat, licet in urbe suae dioecesis capite, ubi adest Cathedralis, non habitet; attamen, nisi ex gravi et urgenti causa excusetur, in ecclesia Cathedrali, tempore Adventus et Quadragesimae, diebus Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes et Corporis Christi, adesse debet (*Ibid.*, § 3).

Si illegitime ultra sex menses a dioecesi abfuerit, Episcopus a Metropolitano, ad normam can. 274, *n.* 4, Metropolitanus autem, ab antiquiore Suffraganeo, Sedi Apostolicae denuntiandus est (*Ibid.*, § 4).

652. **Missa «pro populo»**. — II. *a*) Tenetur, post captam Sedis possessionem, omni exiguitatis redituum excusatione, aut alia quavis exceptione remota, omnibus dominicis, aliisque festis diebus

de praecepto, etiam suppressis, Missam pro populo sibi commisso applicare (*can.* 339, § 1).

Ex Codice, festa praecepti sunt quae can. 1247 designantur, videlicet: dies Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis et sanctissimi Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis, Assumptionis, Sancti Joseph, Sanctorum Petri et Pauli et Omnium Sanctorum. Itaque, pro tota Ecclesia vigent iterum festa SS. Corporis Christi et Sancti Joseph. His diebus, et quocumque alio festo praecepto pro tota ejus dioecesi (sive illud in aliis ejusdem provinciae ecclesiasticae, nationis, etc., dioecesibus vigeat sive non), Missa ab Episcopo *pro populo* applicanda est.

Nomine festorum *suppressorum* intelligenda videntur eadem festa Codicis, si forte alicubi suppressa fuerint. Aliter incerta omnino et vaga lex evaderet, nec enim sciri posset an de suppressis quovis tempore, ab initio Ecclesiae, aut de suppressis ex iis quae in elencho Urbani VIII enumerabantur, aut de suppressis etiam in qualibet dioecesi a tempore suae fundationis, sermo sit.

b) Si festum Nativitatis aut aliud festum de praecepto in diem dominicam incidat, sufficit ut eo die una tantum Missa *pro populo* applicetur (*Ibid.*, § 2). Itaque, etsi die Nativitatis tres Missae celebrari possunt, non tamen nisi una *pro populo* ex obligatione est applicanda, sive in dominicam incidat hoc festum, sive non.

c) Si festum ita transferatur, ut in die *ad quem* non solum fiat officium cum Missa festi translati, sed serventur quoque obligationes audiendi Missam et abstinendi a servilibus, Missa pro populo applicanda est in die *ad quem;* secus in die *a quo* (*Ibid.*, § 3).

d) Episcopus Missam pro populo diebus supra indicatis *per se ipse* applicare debet; si ab ejus celebratione legitime impediatur (v. gr., ob morbum), *iisdem diebus* applicet per alium; si neque id praestare possit (ut si tunc aegrotavit, cum jam sacerdos cui celebratio committeretur nullus aderat), quamprimum vel per se ipsum vel per alium alio die applicare tenetur (*Ibid.*, § 4).

e) Sufficit ut modo dicto unam applicet Missam pro toto populo sibi commisso, licet duas vel plures dioeceses aeque principaliter unitas regat, aut praeter propriam dioecesim, aliam vel alias in administrationem habeat (*Ibid.*, § 5).

f) Episcopus qui dictae obligationi non satisfecerit, quam citius *pro populo* tot Missas quot omisit, applicare tenetur (*Ibid.*, § 6).

ARTICULUS III

DE VISITATIONE «AD LIMINA»

653. **Quos actus ea comprehendat**. — Visitatio *ad Limina* (si in ea relatio includatur), tum in veteri, tum in praesenti disciplina,

triplicem continet actum videl.: 1.° visitationem ad basilicas (1) SS. Apostolorum Petri in Vaticano et Pauli extra moenia Romae; 2.° visitationem item ad Romanum Pontificem, ut is de gravioribus rebus ad statum dioecesis pertinentibus verbo certior reddatur, et vicissim ab ipso R. Pontifice monita opportuna accipiat ipse Episcopus; 3.° accuratam de statu dioecesis relationem, scripto exaratam, et competenti Sacrae Congregationi (nunc Congr. Consistoriali) exhibendam, in qua cuilibet ex interrogationibus in formulario contentis respondetur.

Visitationis origo et ratio. — Visitatio *ad Limina* inde a remotissimis temporibus instituta fuit. Cfr. *Ferreres*, ap. *Razón y Fe*, *vol.* 27, *pag.* 384, 385. Ejus autem ratio est, quia Romanus Pontifex universae Ecclesiae providere tenetur, ad quod necesse est ut de statu universarum partium ipsius certior reddatur.

Finis visitationis est non solum fervidam devotionem erga Principes Apostolorum, sed etiam debitam unionem et subordinationem inter membra Episcopatus et eorum Caput visibile, Vicarium sc. D. N. Jesu Christi, fovere, prout id in Instructione Sacrae Congr. de Propaganda Fide 1.° junii 1877, expresse traditur.

Convenientia autem et necessitas visitationis personalis ad Papam patet ex natura rerum de quibus certior fieri debet, quorum plura nonnisi verbo apte explicari possunt, et aliqua ob periculum revelationis secreti scripto et per tabellarios deferri nequeunt.

654. **Quinam ad visitationem tenentur.** — Obligantur tam in antiqua, quam in praesenti disciplina, omnes Episcopi (ideoque etiam Patriarchae, Primates, etc.) residentiales (*can.* 340, § 1); quibus Sixtus V, const. *Romanus Pontifex*, 20 dec. 1585, eam obligationem imposuit, seu potius, normis certis definivit; et praeterea Praelati *nullius* cum territorio separato, etsi episcopali caractere non sint insigniti, quibus eam praescripsit Ben. XIV const. *Quod sancta*, 23 nov. 1740 (*Bull. Ben. XIV*, *vol.* 1, *pag.* 9 *seq.*; *Lucidi*, l. c., *vol.* 3, *pag.* 7 *seq.*

Utrique ad eam faciendam se obligant vi juramenti quod omnes Episcopi dum consecrantur aut ad aliam Sedem transferun-

---

(1) *Limen* in praesenti casu, idem est ac *ecclesia*, et *visitare Limina Apostolorum* idem sonat ac *visitare ecclesias seu basilicas Apostolorum*. Cfr. *Forcellini*, Lexicon, v. Limen, *vol.* 3, *pag* 765; *Du Cange*, Lexicon, v. Limen, *vol.* 5, *pag.* 112. In hac acceptione usurpatur saepius vox ipsa in codice *Liber Pontificalis*, v. gr. *tom.* I ed. *Duchesne*, *pag.* 332, 398, 441, 496; *tom.* II, *pag.* 148, 164, 469, 487, 503. Ita, de Pyrrho, Constantinopolitano Patriarcha in pontificatu Theodori Papae (642-649), dicitur ibi: «Venit... in urbe Roma, *ad limina Apostolorum*» (*pag.* 382). Et in narrando pontificatu Gregorii II (715-731), scribitur: «Eo itaque tempore, Theodo, dux gentis Baioariorum, *ad apostoli beati Petri limina* primus de gente eadem occurrit orationis voto» (*pag.* 398).

Etymologice, *limen* significat tum superiorem tum inferiorem januae partem, quae ligno aut lapide transverso constat. Superior pars dupliciter nominatur, sc. *limen superius*, vel *superliminare*. Per synecdochen *limen* significat ipsam januam integram, imo et totum aedificium. A Virgilio et aliis latinis classicis templa deorum inter ethnicos designantur hac voce *limina deorum*.

tur, Praelati autem *nullius*, cum ad praelaturam promoventur, praestare debent. *Ben. XIV*, De Synodo, *l.* 13, *c.* 6, *n.* 9, (*pag.* 93); *Lucidi*, l. c., *vol.* 1, *nn.* 50, 51.

Episcopi mere *titulares* ad Visitationem non tenentur, nisi simul Apostolici Administratores aut Vicarii fuerint.

Ita id declaravit Clemens VIII an. 1594, et constat lib. VIII. *Decretor., pag.* 100, prout tradit *Ben. XIV,* De Synodo, *l.* 2, *c.* 7, *n.* 2, *pag.* 21. Attamen, de eadem declaratione sic ait Lucidi: «eo loco non invenitur, veluti meis ipse oculis inspicere non praetermisi» (L. c., *vol.* 1, diss. praev., *n.* 61). Vide etiam *Andreucci,* de Episc. titulari, *part.* 4, § 1, *n.* 209; Lucidi, l. c., *nn.* 60, 61; *Wernz,* l. c., *vol.* 2, *n.* 760, IV; contra *Thomassini,* Vetus et nova Eccles. discipl., *part.* 2, *lib.* 3, *cap.* 42, *nn.* 12, 13; *Fagnano* in cap. *Ego N. de jurejurando, n.* 82 *seq.*

655. **Quo tempore diversarum regionum Ordinarii relationem de statu dioecesis deferre debeant.** - Juxta novam legem, disciplina uniformis est pro omnibus Ordinariis Sacrae Congregationi de Propaganda Fide non subjectis, et omnes relationem de statu suae dioecesis quinto quoque anno deferre tenentur.

Quinquennia sunt fixa, atque computantur a die 1 januarii 1911 (*can.* 340, § 2).

Primo anno cujusque quinquenii, id est annis finitis signo numerali 1 aut 6, relationem deferre debent Episcopi Italiae, insularum Corsicae, Sardiniae, Siciliae, Melitae, et aliarum minorum adjacentium.

Secundo, id est annis finitis signo 2 aut 7, Episcopi Hispaniae, Portugalliae, Galliae, Belgii, Hollandiae, Angliae, Scotiae et Hiberniae, cum insulis adjacentibus.

Tertio, id est annis finitis signo 3 aut 8, Episcopi Austriae-Hungariae, Germaniae et Europae reliquae, cum insulis adjacentibus.

Quarto, seu annis finitis signo 4 aut 9, Episcopi totius Americae et insularum adjacentium.

Quinto, seu annis finitis signo 0 aut 5, Episcopi Africae, Asiae, Australiae, et insularum adjacentium (*Ibid.*).

Intervalla a Sixto V assignata in praedicta const. *Romanus Pontifex,* § 6, quae hucusque viguerunt, inter triennium, quadriennium, quinquennium et decennium variabant, habita ratione majoris aut minoris distantiae ab Urbe Roma, itemque difficultate commeatus majore aut minore perpensa.

Pro Praelatis *nullius,* intervallum erat triennium aut quinquennium.

Intervalla Sixti V uniformi numeratione currebant pro quibusque regionibus a die promulgationis const. praedictae, sc. a 20 dec. 1585. Pro Praelatis autem *nullius,* computus incipiebat a promulgata const. *Ben. XIV,* sc. a 23 nov. 1740.

Cfr. const. Sixti V, § 8; S. C. C., 19 febr. 1718, *in Carpentoraten.;* Inst. S. C. de Prop. Fide, 1.ª jun. 1877, § 5, 6; *Lucidi,* l. c., *n.* 84, diss. praev.

Eadem intervalla pro dioecesibus in iisdem territoriis de novo fundandis vigebant. Inst. S. C. de Prop. Fide, 1.ª jun. 1877, § 7.

Visitatio intra idem intervallum anticipari poterat. *Lucidi,* l. c., diss. praev., *n.* 85.

656. **Formularium pro relatione.** — In prima relatione quam de sua dioecesi quilibet Ordinarius exhibere tenetur, distincte ad omnes et singulas quaestiones respondere debet quae in instructione *Ordo servandus in relatione de statu ecclesiarum* (*Acta*, II, 17 *seq.*) continentur.

In sequentibus relationibus sufficit exprimere num in prius expositis aliquid mutatum sit, necne.

Addendum item est an monitis et praeceptis a S. Congr. sibi datis, dum ad praecedentem relationem respondit, obtemperatum sit, et quo fructu.

Relatio latine scribenda est, eaque non ab Ordinario solum, sed insuper ab uno aut duobus *convisitatoribus* subscribenda; ab iis scil. qui plenius statum dioecesis noverint, et de iis quae in relatione scribuntur testari possint; hi autem ad secretum servandum de rebus quae per relationem noverint, nisi aliunde publicae sint, graviter tenentur.

Instructio quae ad relationem *de ecclesiae statu* conficiendam usque ad an. 1910 viguit, jussu Ben. XIII in Concilio Romano 1725 evulgata est, et apud *Lucidi,* De visitatione sacrorum Liminum, *vol.* 1, *pag.* 42 *seq.* (ed. 3.ª), videri potest.

Ante ipsam nulla alia norma officialis aderat, unde relationes saepius superfluis abundabant et in necessariis interdum deficiebant.

Instructionem eam exaravit Prosper Lambertini (postea Ben. XIV), qui tum eidem Concilio ut canonista intererat, et simul S. C. C. Secretarius erat. Cf. *Ben. XIV,* De Synodo, *l.* 13, *c.* 6, *n.* 10 (*pag.* 93, 94), et *cap.* 13, *n.* 1 (*pag.* 95). Instructionem quamdam prius a *Fagnano* datam secutus est in nonnullis, quae ap. ipsum *Fagnano,* Comment. ad cap. *Ego N. de jurejurando, n.* 73, videre est.

657. **Personalis ad Apostolorum sepulchra et ad Papam visitatio.** — Ordinarii Europae eo anno quo relationem facere tenentur, ad urbem Romam, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli sepulchra veneraturi, accedere, et Romano Pontifici se sistere tenentur (*can.* 341, § 1): iis qui sunt extra Europam, sufficit ut idem singulis decenniis exsequantur (*Ibid.*, § 2).

Haec obligatio est *personalis*; poterit tamen Episcopus ei etiam per Coadjutorem (*auxiliar*) Episcopum, si illum habuerit, satisfacere; si autem justae adsint causae, quae quidem a Sancta Sede approbandae sunt, potest idipsum facere per idoneum sacerdotem qui in ejusdem Episcopi dioecesi resideat (*can.* 342).

Si annus pro exhibenda relatione assignatus inciderit ex toto vel ex parte in primum biennium ab inito dioecesis regimine, Episcopus pro ea vice a conficienda et exhibenda relatione abstinere potest (*can.* 340, § 3).

De basilicarum S. Petri in Vaticano et S. Pauli extra moenia visitatione peracta, Episcopi testimonium afferre debent, quod in Secretaria Sacrae Congr. Consistorialis postea asservatur. Testi-

monium pro Vaticano praebet unus e canonicis illius basilicae, et pro ecclesia S. Pauli Rdus. Vicarius monachorum S. Benedicti Congregationis de Monte Cassino, quibus ejusdem basilicae cura commissa est. Cfr. *Lucidi*, l. c., *n.* 69.

Posse Episcopum per Coadjutorem visitationem peragere, concessio est jam a Clemente VIII 25 febr. 1592 facta. Cfr. *Ben. XIV*, De Synodo, *lib.* 13, *c.* 6, *n.* 5 (*pag.* 92); *Lucidi*, l. c., *vol.* 1, *n.* 58.

In eadem const. potestas fit Ordinariis per substitutum visitationem instituendi, si impedimento detineantur, quod apud Cardinalem primum Diaconum probandum est.

Postea praeceptum est ut hujusmodi causae apud S. C. Concilii discuterentur. Cfr. *Fagnano*, cap. *Ego N.*, *n.* 13, *de jurejurando; Ben. XIV*, De Synodo, *lib.* 13, *c.* 6, *n.* 2 (*pag.* 92).

Si quis Ordinarius suae dioecesis aut territorii *nullius* possessionem tunc ceperat cum jam visitationis tempus immineret, prorogationem temporis impetrare poterat, eo quod alias vix spatium ea cognoscendi haberet, de quibus rationem reddere debuisset. (Instruct. S. C. de Prop. Fide, *n.* 10).

In praesenti disciplina prorogationem postulare non est necessarium, Codex enim ipse obligationem visitandi pro illa prima vice tollit, si visitatio ante tertium annum a capta possessione facienda esset.

ARTICULUS VIII

PASTORALIS VISITATIO

658. — Altera ex obligationibus Episcoporum residentialium est pastoralis dioecesis visitatio. Tenetur Episcopus obligatione quotannis dioecesim visitandi ex toto vel ex parte, ita ut singulis saltem quinquenniis universam, vel ipse per se, vel si fuerit impeditus, per Vicarium Generalem aliumve, lustret (*can.* 343, § 1).

Impedimentum ne visitetur, aut ne tota visitetur personaliter, potest esse aut morbus, aut etiam (v. gr. in Hispania, in America) vasta dioecesis extensio, aut itinerum difficultates.

Visitationis pastoralis finis. — Visitatio facienda est ad sanam et orthodoxam doctrinam conservandam, bonos mores tuendos, pravos corrigendos, pacem, innocentiam, pietatem et disciplinam in populo et clero promovendam, et reliqua pro ratione adjunctorum ad bonum religionis constituenda (*Ibid.*).

Convisitatores. — Potest Episcopus clericos duos, etiam e Capitulo sive Cathedrali, sive Collegiali, sibi adjungere visitationis comites atque adjutores; eosque quos maluerit eligere, reprobato quocumque contrario privilegio vel consuetudine (*Ibid.*, § 2).

Si obligationi visitandae dioecesis tempore et fine praedicto

Episcopus graviter defuerit, servandum est praescriptum canone 274, *nn.* 4, 5 (*Ibid.*, § 3). Vide supra, *n.* 572.

Quinam visitationi subjacent. — Ordinariae episcopali visitationi obnoxiae sunt personae, res ac loca pia, quamvis exempta, quae intra dioecesis ambitum continentur, nisi probari possit specialem a visitatione exemptionem fuisse ipsis ab Apostolica Sede concessam (*can.* 344, § 1).

Religiosos autem Episcopus visitare potest in casibus tantum in jure expressis (*Ibid.*, § 2).

659. **Modus procedendi in visitatione**. — I. Visitator in iis quae objectum et finem visitationis respiciunt, debet *paterna forma* procedere (*can.* 345). Ab ejus praeceptis ac decretis datur recursus, at in devolutivo tantum, non vero in suspensivo, quare talis recursus exequutionem praecepti aut decreti non suspendit (*Ibid.*).

II. In ceteris causis, visitationis non propriis, Episcopus, etiam tempore visitationis, *ad normam juris* procedat necesse est (*Ibid.*).

III. *Curare* debent Episcopi visitationem pastoralem debita cum diligentia, sine inutilibus tamen moris, absolvere (*can.* 346). *Cavere* debent *a*) ne superfluis sumptibus cuiquam graves aut onerosi evadant; *b*) ne, ratione visitationis, ipsi, aut quisquam suorum, pro se suisve, dona quodvis genus petant aut accipiant, reprobata quavis contraria consuetudine (*Ibid.*).

IV. Quod ad victualia pertinet sibi suisque ministranda, vel procurationes et expensas itineris, servanda est legitima locorum consuetudo (*Ibid.*).

ARTICULUS IX

EPISCOPORUM PRAECEDENTIA ET PRIVILEGIA

660. — I. **In suo territorio, Episcopus residentialis** praecedit omnibus Archiepiscopis et Episcopis, exceptis Cardinalibus, Legatis Pontificiis et proprio Metropolitano. Extra territorium vero, servandae sunt normae can. 106 (*can.* 347).

II. Episcopi **titulares** nullam possunt exercere potestatem in sua dioecesi, cujus nec possessionem capiunt (*can.* 348, § 1). Ipsius tantum *titulum* habent, atque adeo *titulares* dicuntur.

Pariter cum ea dioecesi obligationem justitiae nullam habent; decet tamen ex caritate ut aliquando Missae sacrificium pro sua dioecesi applicent (*Ibid.*, § 2). Hujusmodi dioeceses ad regiones pertinent e quibus ecclesiastica hierarchia deleta est, quaeque nunc missionum territoria sunt. Cfr. *n.* 604.

Harum dioecesum Ecclesia titulos servat, ea spe ut aliquando hierarchia catholica ibi restituatur; interim Episcopos titulo illa-

rum consecrat, quos aut velut Nuntios et Internuntios, aut veluti Apostolicos Vicarios, Administratores, Episcopos Coadjutores adhibet, aut eis diversa praelatitia munera Curiae Romanae committit.

III. Tum *residentiales*, tum *titulares* Episcopi, a die quo authentice (v. gr. per commentarium *Acta Apostolicae Sedis*) provisionis suae canonicae notitiam accipiunt (ideoque, antequam residentiales possesionem capiant, titulares enim eam, ut dictum est, non capiunt): 1.° praeter cetera privilegia suis propriis locis enumerata, privilegiis gaudent Cardinalibus can. 239, § 1, *nn.* 7-12 concessis (Cf. *n.* 466). Item aliis recensitis subsequentibus numeris, sc. *n.* 2, etiam in eo quod spectat ad casus Ordinario loci reservatos; *n.* 3, cum consensu saltem praesumpto Ordinarii loci; *n.* 4, dummodo non teneantur celebrare in Cathedrali; *nn.* 5, 6, ritibus tamen ab Ecclesia praescriptis (*can.* 349, § 1, 1.°).

2.° Jus habent deferendi insignia episcopalia ad normam legum liturgicarum (*Ibid.*, 2.°).

IV. Episcopi vero *residentiales* habent praeterea, a capta *possessione*, jura sequentia: 1.° percipiendi reditus mensae episcopalis; 2.° concedendi indulgentias quinquaginta dierum in suae jurisdictionis locis; 3.° elevandi in omnibus ecclesiis suae dioecesis thronum cum baldachino (*Ibid.*, § 2).

CAPUT II

DE COADJUTORIBUS ET AUXILIARIBUS EPISCOPORUM

661. **Quis eos designat: eorum classes.** — I. Unius Romani Pontificis est Episcopo Coadjutorem constituere (*can.* 350, § 1).

II. Coadjutor dari solet personae Episcopi cum jure successionis; sed nonnunquam datur ipsi Sedi (*Ibid.*, § 2).

Coadjutor datus Episcopo sine jure successionis, speciali nomine dicitur *Auxiliaris* (*Ibid.*, § 3).

662. **Jura et officia.** — Jura Coadjutoris dati personae Episcopi, ex Litteris Apostolicis quibus constituitur, sunt desumenda (*can.* 351, § 1).

Nisi aliud in his litteris caveatur, *a*) Coadjutor qui datur Episcopo prorsus inhabili (ad dioecesim regendam), habet omnia jura ac officia episcopalia; *b*) ceteri Coadjutores tantum possunt, quantum Episcopus eis commiserit (*Ibid.*, § 2).

Quae Coadjutor potest et vult exercere, Episcopus habitualiter alteri delegare non debet (*Ibid.*, § 3). Coadjutor, debito impedimento non retentus, debet, si Episcopus id jubeat, pontificalia et alias functiones obire, ad quas Episcopus ipse teneretur (*Ibid.*, § 4).

Coadjutor Sedi datus *a*) potest in dioecesis territorio ea quae sunt ordinis episcopalis exercere, excepta sacra ordinatione; *b*) in aliis rebus tantum potest, quantum eidem a Sancta Sede vel ab Episcopo fuerit commissum (*can.* 352).

663. **Apprehensio possessionis.** — Quilibet Coadjutor, ut canonicam sui officii possessionem capiat, necesse est Litteras Apostolicas ostendat Episcopo (*can.* 353, § 1). Coadjutor cum futura successione, et Coadjutor Sedi datus debent praeterea easdem ostendere Capitulo Cathedrali ea forma quam pro Episcopo residentiali praescribit can. 334, § 3 (*Ibid.*, § 2). Vide *n.* 648, V.

Si Episcopus eum in statum inciderit, ut eliciendi actus humanos sit impos, sufficit et requiritur ut quivis Coadjutor litteras Capitulo ostendat forma modo relata (*Ibid.*, § 3).

Residentia. — Coadjutor quilibet obligatione tenetur, sicut Episcopus, residendi in dioecesi, e qua, extra tempus vacationum, ad normam can. 338, ipsi non licet, nisi ad breve tempus, Episcopo permittente, discedere (*can.* 354).

664. **Quo pacto Coadjutor in officio cessat.** — Coadjutor *cum jure successionis*, vacante Sede episcopali, statim evadit proprius Episcopus et Ordinarius dioecesis pro qua fuerat constitutus, dummodo possessionem legitime ceperit, ad normam can. 353, §§ 2, 3 (*can.* 355, § 1). Vide *n.* 663.

Auxiliaris officium exspirat cum potestas Episcopi, cujus Auxiliaris est, cessat, nisi aliud in Litteris Apostolicis caveatur (*Ibid.*, § 2).

Coadjutor Sedi datus, perdurat in officio, etiam Sede vacante (*Ibid.*, § 3).

665. **Disciplina hispana.** — In **Hispania** non exstat, nec, saltem a plurimis annis, exstitit Coadjutor ullus cum jure successionis.

Archiepiscopus Toletanus habet habitualiter Episcopum Auxiliarem, juxta art. VII Brevis Leonis PP. XIII 21 april. 1885, quo Papa id quod inter utramque potestatem concordatum fuerat, confirmat (1).

Archiepiscopis et Episcopis Cardinalibus facile conceditur Episcopus Auxiliaris, si illum postulant, qua ratione Auxiliarem nunc habent Compostellanus et Vallisoletanus Cardinales. Ceteris Archiepiscopis difficilius id conceditur, nec nisi ob urgentem necessitatem.

Ex art. 5 Concordatus, «si accuratior alicujus dioecesis administratio Episcopum Auxiliarem exposcat, hujusmodi necessitati consueta forma canonica occurretur.»

Ut Auxiliari auctoritas et reverentia characteri ejus episcopali debita concilietur, mos est eum Vicarium Generalem constituere, quod prudentiae valde congruum est.

---

(1) Eidem Archiepiscopo Toletano Episcopus Auxiliaris hoc articulo conceditur, ut necessitatibus suae Ecclesiae providere melius possit.

Nequidem Coadjutores Sedi dati in Hispania exstant ulli; licet enim Concordatum an. 1851, art. 5, enuntiet Auxiliares Episcopos statim constituendos Septae (*Ceuta*) et Nivariae (*Tenerife*), Septae tamen Auxiliaris nullus est, et Nivariae adest jam Episcopus proprius.

CAPUT III

DE SYNODO DIOECESANA

666. **Notio.** — *Synodus dioecesana* dicitur legitimus coetus quem Episcopus (aut Archiepiscopus, Patriarcha, etc.) convocat ex clero suae dioeceseos et ex ceteris qui obligatione assistendi tenentur, ad agendum, deliberandum et definiendum de rebus ad munus pastorale pertinentibus. Cfr. *Ben. XIV*, De syn. dioec., *l.* 1, *c.* 1, *n.* 4; *c.* 3, *n.* 1; *Wernz*, l. c., *vol.* 2, *n.* 858.

Omnia Concilia possunt et solent etiamnum *synodi* vocari; attamen *dioecesana synodus* non potest jam vocari *concilium*, licet etiam hoc nomine appellaretur ante saec. XIII. Cfr. *Ben. XIV*, l. c.; *Wernz*, l. c.

Tempus quo celebranda est. — Synodus dioecesana saltem singulis *decenniis* habenda est. Si Episcopus plures dioeceses aeque principaliter unitas regat, aut unam habeat propriam, aliam vel alias in perpetuam administrationem, potest unam tantum dioecesanam synodum ex omnibus dioecesibus convocare (*can.* 356, §§ 1, 2).

Ex disciplina veteri, singulis annis habenda erat dioecesana synodus, juxta Trid., *sess.* 24, *c.* 2, *de ref.*

Finis synodi. — Finis est de iis tantum agere quae ad particulares cleri populique dioecesis necessitates vel utilitates referuntur (*can.* 356, § 1). Nec opus est ut in singulis synodis novae leges condantur; sufficit enim saepius vigentium legum executionem urgere.

Convocatio et locus celebrationis. — Convocatio ex jure ad Episcopum pertinet. Eam Vicarius Generalis sine mandato speciali facere nequit. Nequidem Vicarius Capitularis synodum convocare potest (*can.* 357, § 1).

Celebranda est in ecclesia Cathedrali, nisi aliud rationabilis causa suadeat (*Ibid.*, § 2).

667. **Quinam de jure convocandi.** — Convocari et synodo *interesse* debent: 1.° *Vicarius Generalis;* 2.° *Canonici ecclesiae Cathedralis* aut *consultores dioecesani;* 3.° *Rector Seminarii*, saltem Seminarii majoris; 4.° *Archipresbyteri* seu Vicarii foranei; 5.° *deputatus* uniuscujusque *Collegialis ecclesiae*, a Capitulo ejusdem ecclesiae

eligendus; 6.° *parochi* civitatis in qua synodus celebratur; 7.° unus saltem *parochus* ex *unoquoque archipresbyteratu* seu vicariatu foraneo, eligendus ab omnibus qui curam animarum *actu* inibi habeant; parochus autem electus debet pro tempore absentiae vicarium substitutum sibi sufficere, ad normam can. 456, § 4; 8.° *Abbates* cum jurisdictione, et unus e *Superioribus cujusque* religionis clericalis, designatus a Superiore provinciali, nisi domus provincialis sit in dioecesi, et Superior provincialis interesse ipse maluerit (*can.* 358, § 1).

Quinam convocari possint. — Convocari praeterea possunt, si id Episcopus opportunum duxerit, alii a praedictis distincti, et etiam omnes canonici, parochi et Superiores religiosi, et singuli sacerdotes saeculares totius dioeceseos, iis tamen exceptis qui necessarii sunt ne in paroeciis animarum cura desit. Invitati jus suffragii in omnibus habent perinde ac ceteri, nisi Episcopus in invitatione aliud expresse caverit (*Ibid.*, § 2).

Hi obligatione assistendi non tenentur, cum eis Codex obligationem non imponat sicut primis imponit; eosque praeterea *invitatos* et eorum convocationem *invitationem* vocet. Vide tamen quae de canonicis Collegialium ecclesiarum scribit *Ben. XIV*, De syn., *l.* 1, *c.* 4, *n.* 5.

Ex nova disciplina a Codice praecepta facilior admodum evadit synodi dioecesanae celebratio. Ex antiqua enim disciplina, *omnes* parochi convocandi erant, quod, ut manifestum est, pluribus difficultatibus erat obnoxium. Nunc *unus e singulis archipresbyteratibus* parochus sufficit, qui velut vicesgerens et procurator ceterorum est, quoniam ab omnibus qui in eodem archipresbyteratu curam animarum habent est eligendus.

Causae ab asistentia excusantes. — Qui synodo assistere *debent*, si legitimo detineantur impedimento, procuratorem qui loco ipsorum synodo intersit mittere nequeunt; sed Episcopum de impedimento certiorem facere debent (*can.* 359, § 1).

Negligentes potest Episcopus justis poenis compellere et punire, nisi de religiosis exemptis agatur, qui parochi non sunt (*Ibid.*, § 2).

Ut discutiatur num causae justae sint necne, designari solent peculiares judices, qui vocantur judices *querelarum et excusationum*.

Qui autem synodo intersunt, recedere ab eo non possunt absque legitima causa ab Episcopo ejusve delegato probata.

668. **Ordo rerum tractandarum.** — I. Episcopus, si id ipsi expedire videatur, opportuno ante synodum tempore, unam vel plures e clero civitatis et dioecesis *commissiones* nominare poterit, seu coetus virorum qui res in synodo tranctandas parent (*can.* 360, § 1).

Ante synodi sessiones Episcopus omnibus qui convocati sunt et convenerunt, decretorum schema tradere debet (*Ibid.*, § 2).

Propositae quaestiones omnes, Episcopo praesidente vel per se vel per alium, liberae adstantium disceptationi in sessionibus praeparatoriis subjiciendae sunt (*can.* 361).

II. Ante synodum Episcopus *promotores synodi*, qui sc. exequutionem urgeant; itemque secretarium, notarium, caeremoniarum magistros, judices de querelis et excusationibus, procuratorem cleri, disciplinae praefectos, etc., designare solet.

In ipsa synodo eligendi sunt judices synodales et synodales examinatores, itemque parochi consultores, prout infra declarabitur.

III. Synodus dioecesana a ceteris omnibus Conciliis magnopere differt, in ea enim unus est legislator Episcopus (*can.* 362). Ceteri assistentes suffragium tantum consultivum in omnibus ad leges condendas spectantibus obtinent (*Ibid.*).

Idcirco solus Episcopus synodalibus constitutionibus subscribit; quae, eo ipso quod in synodo promulgentur, obligare incipiunt, nisi aliud Episcopus jusserit (*Ibid.*).

Propterea, hujusmodi constitutiones ad Sanctam Sedem non deferuntur ad recognitionem.

Id quidem de legibus; at de ceteris rebus, ut de synodalium examinatorum electione, de electione parochorum consultorum, etc., aliter loquendum est: in his enim, omnes qui ex officio intersunt, decisivum suffragium habent, ut suo loco dicetur. Vide *n.* 680.

De tota hac re consulendum est magistrale opus *Ben. XIV*, De Synodo dioecesana; *Wernz*, l. c., *vol.* 2, *n.* 858 *seq.*

CAPUT IV

DE CURIA DIOECESANA

669. Sicut Papa Curiam habet, quae sibi in gubernanda Ecclesia auxilietur, ita, *proportione servata*, Episcopus suam Curiam habet cujus in regimine dioeceseos auxilio utatur (1).

Notio. — Est itaque *Curia dioecesana* complexus personarum,

---

(1) En comparationem a *Manjón, vol.* 2, *n.* 1465, inter utramque Curiam propositam:

Curia Romana	Curia dioecesana
Concilium generale.	Concilium dioecesanum.
Consistorium Cardinalium.	Capitulum canonicorum.
Congregationes Cardinalium et mixtae.	Commissiones Capitularium et mixtae.
Cancellaria pontificia.	Cancellaria episcopalis, aut
Dataria et Secretaria.	Secretaria et Provisoratus cum suis officialibus.
Poenitentiaria Romana.	Poenitentiarius ecclesiae Cathedralis.
Signatura et Rota.	Vicarii et Tribunalia specialia.
Camerarius, etc., etc.	Oeconomus, etc., etc.

quae in regimine dioeceseos, Episcopum, aut alium qui loco ejus dioecesi praeest, adjuvant (*can.* 363, § 1).

Quinam ad illam pertinent. — Ad eam pertinent Vicarius Generalis, Officialis, Cancellarius, Fiscalis seu promotor justitiae, defensor vinculi, Synodales judices et examinatores, parochi consultores, auditores, notarii, cursores (*nuncios*) et apparitores (*alguaciles*). (*Ibid.*, § 2). De his omnibus propriis suis locis dicetur.

Nominatio. — Nominatio eorum, qui praedicta officia vel munera exercent, scripto exaranda est, ad normam can. 159 (*can.* 364, § 1). Vide *n.* 320, *N. B.*

Jusjurandum quod praestare debent.—Nominati debent: 1.° jusjurandum in manibus Episcopi praestare de munere fideliter exercendo, quavis personarum acceptatione posthabita; 2.° negotia ad se spectantia sub auctoritate Episcopi tractare ad normam juris; 3.° secretum servare intra fines et secundum modum a jure vel ab Episcopo determinatum (*Ibid.*, § 2).

Praescripta servanda. — De Officiali, Fiscali seu promotore justitiae, defensore vinculi, judicibus synodalibus, auditoribus, cursoribus et apparitoribus, servanda sunt praescripta can. 1573-1593, quae lib. IV tradentur (*can.* 365).

De Vicario Generali, Cancellario aliisque notariis, examinatoribus synodalibus et parochis consultoribus, servanda sunt praescripta nunc, *nn.* 670 *seq.*, proponenda (*Ibid.*).

N. B. Antequam ulterius procedamus, animadvertendum est Officialem, cujus Codex meminit, eam esse personam quae ordinariam jurisdictionem *contentiosam* exercet (Cfr. *can.* 1573, § 3), *Vicarium* autem *Generalem*, eam quae, nomine et vice Episcopi, exercet jurisdictionem *gratiosam* seu *voluntariam*. In Hispania admodum frequenter una et eadem persona utramque jurisdictionem exercebat; attamen interdum duae diversae personae sua quaeque jurisdictione utebatur. Qui jurisdictionem gratiosam habebat, *Provisor;* qui autem contentiosam, *Vicarius Generalis* dicebatur; quod si utraque simul praeditus esset, *Provisor et Vicarius Generalis* vocabatur.

Itaque, *Vicarius Generalis*, de quo agit Codex, is intelligendus est qui usque ad ipsius Codicis promulgationem *Provisor* in Hispania dictus est; *Officialis* autem, de quo in Codice agitur, ei respondet qui hucusque in Hispania *Vicarius Generalis* dicebatur.

ARTICULUS I

DE VICARIO GENERALI

670. — Officium quod in praesenti, ad normam Codicis, inter Vicarium Generalem et Officialem distribuendum est (vide *n.* 669,

N. B.), usque ad saeculum XIII Archidiaconi proprium erat, ut videre est in Decretalibus (*lib.* 1, *tit.* 23, 24), quae an. 1234 promulgatae sunt; attamen sub finem ejusdem saeculi (1297), quo tempore *Sextus* Decretalium editus est, jam munus Vicarii Generalis communiter invaluerat. Cfr. *lib.* 1, *tit.* 16, *c.* 1; *tit.* 13, *cc.* 1, 2, in 6.°

Notio. — *Vicarius Generalis* est sacerdos idoneus legitime deputatus ad jurisdictionem gratiosam episcopalem generaliter nomine Episcopi exercendam, ita ut ejus actus, perinde ac si ab Episcopo positi fuissent, vim habere censeantur.

Nominatio. — Quoties rectum dioecesis regimen id exigat, constituendus est ab Episcopo Vicarius Generalis, qui ipsum potestate *ordinaria* in toto territorio adjuvet (*can.* 366, § 1).

Vicarius Generalis libere ab Episcopo designatur, qui eum potest ad nutum removere (*Ibid.*, § 2).

Unus tantum constituendus est, nisi vel rituum diversitas vel amplitudo dioecesis aliud exigat. Potest tamen Episcopus Pro-Vicarium nominare, qui Vicarii Generalis vices gerat, ob ejus absentiam, morbum, etc. (*Ibid.*, § 3).

Etiam in **Hispania** libere ab Episcopo nominatur. Usque ad an. 1868, ob influxum regalismi, schedula auxiliatoria adhuc requirebatur. Ipso tamen decreto quo invalide forum ecclesiasticum abolitum fuit, de medio sublata est schedula auxiliatoria, et Episcopum liberum esse in hac parte declaratum est: «Los Obispos y Metropolitanos nombrarán libremente, con arreglo a los Cánones, los Provisores y Oficiales que hayan de ejercer su jurisdicción; y los agraciados entrarán en el desempeño de sus funciones sin necesidad de cédula auxiliatoria» (Decr. 6 dec. 1868, *tit.* 2, *a.* 3). Cfr. *Pellicer y Guiu, vol.* 1, *pag.* 414 *seq.*

671. **Qualitates.** — I. Vicarius Generalis debet esse sacerdos (vide *can.* 154 et *n.* 317), e clero saeculari, annos natus non minus triginta (id est, trigesimum annum saltem inchoatum habere debet), in Theologia et Jure canonico doctor aut licentiatus, vel saltem earum disciplinarum vere peritus; sana doctrina, probitate, prudentia ac rerum gerendarum experientia commendatus (*can.* 367, § 1).

Aetas triginta annorum nunc primum requiritur. Hucusque 25 annorum aetas sufficiens erat.

II. Si dioecesis alicui *religioni* commissa fuerit, Vicarius Generalis potest esse ejusdem religionis alumnus (*Ibid.*, § 2).

Non sufficit Episcopum esse religiosum, ut Vicarius etiam religiosus eligi possit; sed requiritur ut dioecesis ipsa religioni commissa fuerit, ita ut semper ex ea Episcopi assumantur; id quod in insulis Philippinis, v. gr., usque ad finem saec. XIX factum est, ubi pro Manilana dioecesi ex Ord. S. Dominici; pro Cebuana, ex franciscanis; pro Jarensi, ex augustinianensibus recollectis, Episcopi omnes eligebantur.

In **Hispania** nulla est dioecesis religioni alicui commissa: id enim fere in regionibus tantum accidit in quibus adhuc ex parte Missionum regimen perdurat, cleri saecularis numerus exiguus est, et parochiae omnes aut fere omnes per religiosos ejusdem Ordinis administrantur.

III. Vetitum est etiam Vicarii Generalis munus committere Canonico *Poenitentiario*, aut Episcopi consanguineis, praesertim in primo gradu (v. gr., fratri), vel in secundo mixto cum primo (ut si nepoti, filio fratris; aut patruo, fratri patris Episcopi, detur), aut, extra casum necessitatis, parocho, ceterisque curam animarum habentibus (*Ibid.*, § 3).

Non prohibetur Episcopus Vicarium ex ipsa dioecesi assumere (*Ibid.*).

In his omnibus vetus disciplina retinetur, excepto ultimo puncto, de quo lis erat, possetne ex ipsa dioecesi assumi, necne; etsi in Hispania, saltem in maximo dioecesum numero, inde assumeretur.

Ex dictis nunc sequitur posse Vicarium Generalem constitui quemlibet e Canonicis de officio, Doctorali incluso; jus enim solum Poenitentiarium excludit. Id etiam pro Hispania tenet, vel in iis Capitulis ubi ex peculiari lege, a Papa probata, statuitur Canonicos de officio in Provisores eligi non posse, etc. Vide decretum S. C. C., 7 mart. 1906, et *Ferreres*, apud *Razón y Fe*, *vol.* 16, *pag.* 93-104.

672. I. **Vicarii Generalis potestas**. — Vi officii, competit Vicario Generali ea in universa dioecesi jurisdictio in spiritualibus ac temporalibus quae ad Episcopum jure ordinario pertinet, exceptis iis quae Episcopus sibi reservaverit, vel quae ex jure requirant speciale Episcopi mandatum (*can.* 368, § 1). Cfr. ex. gr. *can.* 113, 152; 357, § 1.

II. Nisi aliud expresse cautum fuerit, Vicarius Generalis exsequi potest rescripta apostolica quae Episcopo vel praecedenti rectori dioecesis remissa sint, ac generatim ad ipsum quoque pertinent facultates habituales Ordinario loci a Sancta Sede concessae, ad normam can. 66 (*can.* 368, § 2). Vide *n.* 192.

III. Vicarius Generalis praecipua acta Curiae ad Episcopum referre debet, ipsumque certiorem facere de iis quae gesta aut gerenda sint ad tuendam in clero et populo disciplinam (*can.* 369, § 1).

IV. Contra mentem et voluntatem sui Episcopi suis potestatibus uti non debet, firmo praescripto can. 44, § 2 (*Ibid.*, § 2), ex quo, gratia, ab Episcopo negata, *valide* concedi nequit a Vicario Generali, nisi de ipsius Episcopi consensu. Cfr. *n.* 196, 4.°

673. **Privilegia honoris Vicarii Generalis**. — I. Etsi Episcopus praesens sit, Vicarius Generalis publice privatimque praeceden-

tiae jus habet super omnibus dioecesis clericis, non exclusis Dignitatibus et Canonicis ecclesiae Cathedralis, etiam in choro et actis capitularibus, nisi clericus charactere episcopali praefulgeat, et Vicarius Generalis eodem careat (*can.* 370, § 1).

II. Si Vicarius Generalis sit Episcopus, omnia honorifica privilegia Episcoporum titularium obtinet; secus, durante munere habet tantum privilegia et insignia Protonotarii apostolici titularis (*Ibid.*, § 2).

Ex veteri disciplina, saltem in Hispania, si Vicarius Generalis Canonicus foret, sedem in choro ex antiquitate aut dignitate sui Canonicatui respondentem occupabat, idemque in Capitulo fiebat, dum habitum choralem gestaret. Quoniam autem Concordatum viget, cujus art. 13 sic jubet: «Decanus semper primam Sedem post pontificalem obtinebit», ideo forte necessarium erit hunc articulum cum canone 370, § 1, concordare.

Quo pacto cesset aut suspendatur ejus jurisdictio. — *a*) *Cessat renuntiatione*, ad normam can. 183-191 (vide *nn.* 350-355), aut *revocatione* ipsi ab Episcopo intimata, aut *vacatione* Sedis episcopalis (*can.* 371). De Vicario Generali Prioris Ordinum militarium, cfr. *n.* 632.

b) *Suspenditur* suspensa Episcopi jurisdictione (*can.* 371).

ARTICULUS II

DE CANCELLARIO ALIISQUE NOTARIIS, NECNON DE ARCHIVO

674. **Cancellarius aliique notarii.** — I. In qualibet Curia Cancellarius ab Episcopo constituendus est, *sacerdos*, cujus praecipuum munus erit acta Curiae in archivo custodire, ordine chronologico disponere, et de eis indicis tabulam conficere (*can.* 372, § 1).

Poscente necessitate, adjutor ei dari potest, cui nomen erit Vice-cancellarii seu Vice-tabularii (*Ibid.*, § 2).

Cancellarius, eo ipso quod nominatur, notarius constituitur (*Ibid.*, § 3).

Quod de Cancellario hic dicitur, de Secretario Camerae intelligi potest, qui adjutori suo munus custodis archivi demandare valet.

II. Praeter Cancellarium, potest Episcopus notarios alios constituere, quorum scriptura aut subscriptio publicam fidem facit (*can.* 373, § 1).

Notarii autem constitui possunt, aut ad quaelibet acta, aut ad acta judicialia dumtaxat, aut ad acta tantummodo certae causae vel negotii conficienda (*Ibid.*, § 2).

III. Si clerici desint, possunt notarii e laicis assumi; sed notarius in criminalibus clericorum causis debet esse sacerdos (*Ibid.*, § 3).

Cancellarius aliique notarii debent esse integrae famae et omni suspicione majores (*Ibid.*, § 4).

Removeri aut suspendi possunt ab eo qui illos constituit, aut ab ejus successore aut superiore.

Vicarius tamen Capitularis sine consensu Capituli eos removere nequit (*Ibid.*, § 5).

Notariorum officium. — I. Officium notariorum est: 1.° Conscribere acta seu instrumenta circa dispositiones, obligationes, citationes et intimationes judiciales; decreta, sententias, aliave in quibus eorum opera requiritur; 2.° in scriptis fideliter redigere quae geruntur, eaque cum significatione loci, diei, mensis et anni subsignare; 3.° acta vel instrumenta legitime petenti ex regesto, servatis servandis, exhibere, et eorum exemplaria cum autographo conformia declarare (*can.* 374, § 1).

II. Nequit notarius acta conscribere *a*) *extra territorium* illius Episcopi qui eum constituit, *b*) de negotio pro quo legitime non est constitutus (*Ibid.*, § 2).

675. **Archivum dioecesanum**. — I. Episcopus in loco tuto ac commodo archivum seu tabularium dioecesanum erigere debet, in quo instrumenta et scripturae quae negotia dioecesana, tum spiritualia tum temporalia spectant, apte dispositae et diligenter clausae custodiantur (*can.* 375, § 1).

II. Omni diligentia ac sollicitudine **inventarium** seu **catalogus** documentorum quae in archivo continentur conficiendus est, cum brevi singularum scripturarum synopsi (*Ibid.*, § 2).

Quotannis, primo bimestri, inventario seu catalogo illae scripturae adjungantur quae anno praecedenti confectae vel alias neglectae fuerunt (*can.* 376, § 1).

III. Ordinarii sedulo chartas et scripturas forte alio distractas atque dispersas inquirere, et quaelibet necessaria remedia ut eaedem archivo restituantur, adhibere debent (*Ibid.*, § 2).

IV. Archivum clausum sit oportet, et nemini illuc ingressus licere debet sine Episcopi aut Vicarii Generalis et Cancellarii licentia; Cancellarius autem unus illius clavem habere debet (*can.* 377, § 1, 2).

V. Ex *archivo* non licet *efferre* scripturas sine Episcopi vel Vicarii Generalis consensu, eaedemque *post tres dies* in suum locum referantur.

Ordinario reservatur facultas prorogandi hoc tempus, quae tamen prorogatio nonnisi moderate concedenda est (*can.* 378, § 1).

Qui aliquam scripturam ex archivo effert, syngrapham sua manu signatam, hoc ipsum significantem, Cancellario relinquet (*Ibid.*, § 2).

676. **Archivum secretum**. — I. Episcopus praeterea aliud archivum secretum habere debet, vel saltem in communi archivo

armarium seu scrinium omnino clausum et obseratum, quod de loco amoveri nequeat. In eo scripturae secreto servandae cautissime custodiantur; sed singulis annis quamprimum comburantur documenta causarum criminalium in materia morum, quarum rei vita cesserint, vel quae a decennio sententia condemnatoria absolutae sunt, retento facti brevi summario cum textu sententiae definitivae (*can.* 379, § 1).

Etiam hujus secreti archivi vel armarii inventarium seu catalogus conficiendus est eo modo quo de generali archivo can. 375, § 2, praescribitur (*Ibid.*, § 2). Cfr. *n.* 675.

Archivi secreti claves: a quo servandae. — Hoc archivum vel armarium duabus clavibus inter se diversis aperiatur, quarum altera apud Episcopum vel Administratorem Apostolicum, altera apud Vicarium Generalem, vel eo deficiente, apud Curiae Cancellarium asservandae sunt (*Ibid.*, § 3).

Quis et quo pacto archivum reserare possit.—Episcopus vel Administrator Apostolicus, repetita altera clave, ipse solus, nemine adstante, archivum vel armarium secretum, ubi opus fuerit, aperire et inspicere potest, quod deinde utraque clave iterum claudendum (*Ibid.*, § 4).

Archivi secreti claves Sede vacante. — II. Statim a capta possesione, Episcopus sacerdotem designabit qui, Sede vacante aut impedita, clavem secreti tabularii seu armarii quae apud Episcopum erat, assumat (*can.* 380).

Nisi Administrator Apostolicus dioecesi datus fuerit (*n.* 615 *seq.*), 1.° Sede impedita ad normam can. 429, § 1, sacerdos ab Episcopo designatus, *a*) si quidem regimen dioecesis sit penes virum ecclesiasticum ab Episcopo delegatum, clavem eidem remittat; *b*) si penes Vicarium Generalem, eam ipse retineat; 2.° Sede vacante aut impedita ad normam can. 429, § 3, idem sacerdos clavem Vicario Capitulari remittet statim post ejus designationem; Vicarius vero Generalis vel Cancellarius alteram clavem a se retentam eodem tempore primae Capituli dignitati vel consultori dioecesano munere antiquiori pariter remittere debet (*can.* 381, § 1, 1.°, 2.°).

Praevia ante clavium traditionem cautio. — Antequam claves iis quibus tradi debent, ut modo dictum est paragrapho proxime praecedenti, remissae fuerint, Vicarius Generalis vel Cancellarius (ille nempe qui clavem habeat) et sacerdos, ut supra, ab Episcopo designatus, tabularium vel armarium sigillis Curiae obsignabunt (*Ibid.*, § 2).

Quis et qua ratione archivum secretum Sede vacante aperire possit. — Tabularium vel armarium nunquam aperiendum, nec sigilla ab eodem removenda erunt, nisi urgente necessitate, et ab ipso Vicario Capitulari coram duobus Canonicis vel dioecesanis consultoribus, qui evigilent ne qua scriptura e tabulario auferatur.

Solus autem Vicarius Capitularis documenta in tabulario asservata potest, iisdem Canonicis vel consultoribus adstantibus, inspicere; nunquam tamen auferre.

Archivum, post inspectionem, iterum obsignandum est (*can.* 382, § 1).

Adveniente novo Episcopo, si sigilla remota fuerint et tabularium aut armarium apertum, Vicarius Capitularis rationem reddet urgentis necessitatis qua ad hoc motus fuerit (*Ibid.*, § 2).

Fere omnia haec praescripta de archivo secreto nova sunt, eaque valde necessaria erant, ne documenta quaedam, praesertim tempore Sedis vacantis, pereant.

677. **De ceteris archivis ecclesiasticis dioecesis.** — I. Curare debet Episcopus ut archivorum quoque ecclesiarum Cathedralium, Collegiatarum, paroecialium, necnon confraternitatum et piorum locorum *inventaria* seu *catalogi* conficiantur *duobus exemplaribus*, quorum alterum in proprio archivo, alterum in archivo episcopali servetur, firmo praescripto can. 470, § 3; 1522, *nn.* 2, 3; 1523, *n.* 6 (*can.* 383, § 1).

Documenta originalia ex praedictis archivis efferri nequeunt, nisi ad normam traditam in can. 378 pro archivo dioecesano (*Ibid.*, § 2). Vide *n.* 675, V.

II. **Archivi paroeciarum et Curiae usus et consultatio facilis esse debet.** — Documenta quae in paroeciarum et Curiarum archivis sub secreto servanda non sunt, fit cuilibet cujus intersit inspiciendi potestas, itemque postulandi ut sua impensa sibi legitimum eorum exemplar exscribatur et tradatur (*can.* 384, § 1).

Cancellarii curiarum, parochi, aliique archivorum custodes in communicandis documentis et eorum exemplaribus describendis tradendisque, regulas a legitima auctoritate ecclesiastica datas servare, et in casibus dubiis Ordinarium consulere debent (*Ibid.*, § 2).

ARTICULUS III

EXAMINATORES SYNODALES ET PAROCHI CONSULTORES

In quavis dioecesi constituendi sunt examinatores synodales et parochi consultores (*can.* 385, § 1).

678. **Utrorumque origo et officium.** — **Examinatorum synodalium** origo a Tridentino Concilio, *sess.* XXIV, *de ref.*, *cap.* 18, repetenda est, et officium proprium et exclusivum ibidem eis assignatum, quod Codex (*can.* 389) confirmat, est ut sint soli judices in concursu paroeciali.

In experimentis clericorum ad ordinationem, sacerdotum, ad approbationem pro ministeriis et in eorumdem examinibus, per-

acto curriculo studiorum juxta can. 130, potest quidem Episcopus eorum auxilio uti; potest tamen, omissis illis, alios examinatores adhibere (*Ibid.*, § 2). Cfr. S. C. Ep. et Reg. in *Jadren.*, 17 sept. 1660, et *Ben. XIV*, De Synod., *lib.* 4, *c.* 7, *n.* 2.

Codex, qui hac in re decretum *Maxima cura* (20 aug. 1910) confirmat, eorum facultates auget et complet, ita ut ad parochos oeconomice removendos, aut invitandos ad renuntiationem, necessario examinatores interesse debeant, nec possit Ordinarius eorum interventum omittere, sicut nec in parochiarum collatione eum omittere potuit (*Ibid.*).

Examinatores vero synodales, de quibus agit Codex, et prius egerat decretum *Maxima cura*, eosdem esse de quibus loquitur Tridentinum, expresse declaravit S. C. Consistorialis 3 oct. 1910. Quare eadem antiqua doctrina ipsis applicanda est, salvis mutationibus a Codice canonico factis.

Parochorum consultorum institutio nova est, ex decreto *Maxima cura* orta, sicut etiam novum est officium eis attributum, *recognoscendi* nempe, simul cum Ordinario, decretum remotionis, si forte contra illud appellatio interponatur. In iis eligendis, removendis, etc., similiter ac in examinatoribus, proceditur juxta nunc dicenda.

679. **Quinam in examinatores synodales aut parochos consultores eligi valeant.** — Examinatores synodales e clero tum saeculari tum regulari, assumi possunt. Quod idem de parochis consultoribus intelligendum est, dummodo regulares (sicut et saeculares) vere sint parochi.

Qualitates quibus praediti debent esse examinatores determinat Tridentinum: ut sint magistri, doctores vel licentiati in Theologia aut Jure canonico, aut alii clerici, sive regulares, etiam mendicantes, sive saeculares qui magis idonei judicabuntur.

Extradioecesanus clericus poterit in examinatorem aut parochum consultorem assumi, non tamen nisi propter exiguam dioecesis amplitudinem aut alia justa de causa.

Vicarium Generalem in examinatorem eligere non expedit.

Unus et idem potest examinatorem et parochum consultorem agere, non tamen in eadem causa (*can.* 390), et generatim, officia plura in eadem persona cumulari non expedit.

680. **Examinatorum et parochorum consultorum electio.** — I. Examinatores synodales et parochi consultores in synodo dioecesana eligendi sunt, quoties haec celebretur, servatis normis jam antea pro synodalibus examinatoribus constitutis. Eorum numerus is erit quem Ordinarius necessarium judicaverit, non tamen infra quatuor nec ultra duodecim (*can.* 385, § 2).

Ante praesens decretum, numerus nec infra sex nec ultra viginti procedere poterat. Vide etiam S. C. C., 15 sept. 1874.

Parochorum consultorum numerus communiter minor quam numerus examinatorum esse poterit, ipsi enim rarius agunt, nec in concursu parochiali judices sunt.

II. Utrique ea forma eligentur quae in disciplina veteri pro examinatoribus synodalibus eligendis praestituta fuit, ut eos, nempe, synodo Ordinarius proponat, synodus autem ipsos approbet majore numero suffragiorum inter eos qui in synodo vocem habent (*Ibid.*, § 1). Vide *n.* 668, II.

Post secundum scrutinium, major numerus relativus sufficere videtur, ad normam can. 101, § 1, 1.° Vide *n.* 223.

Suffragatio publica aut secreta fieri potest (1).

Proponendi sunt proprio eorum nomine et cognomine, non vero designatione muneris quo funguntur: id est, non Vicarius Generalis, Decanus, Archidiaconus, parochus oppidi N., etc., ut tales eligendi sunt, adeo ut is qui in munere ipsis succedat, ipso facto examinator aut parochus consultor sit, sed personae individuae electio facienda est (2). Si autem electio tantum per designationem muneris fiat, irrita erit, non solum pro iis qui in munere succederent, sed probabiliter etiam pro ipso electo (3).

III. Pro examinatoribus aut consultoribus qui medio tempore inter unam et aliam synodum decesserint aut a munere cessaverint, alii substituendi sunt, qui *pro-synodales* dicuntur; hos Ordinarius designabit, audita *sententia* Capituli Cathedralis, aut, eo deficiente, consultorum dioecesis *sententia* (*can.* 386, § 1).

Eadem forma eligentur ubicumque synodus dioecesana *non habetur* (*Ibid.*, § 2).

N. B. In memoriam revocandum est, nomine *dioecesis* in jure ex can. 215, § 2 (vide *n.* 382), designari etiam abbatiam et praelaturam *nullius;* nomine autem Episcopi, abbatem aut praelatum *nullius.* Hinc infertur abbatem et praelatum *nullius* suos pariter examinatores synodales et parochos consultores in synodo propriae abbatiae aut praelaturae eligere debere, etc., eo ordine quo de Episcopo dictum est. Vide infra, *n.* 756 *seq.*

681.—**Quamdiu examinatoris synodalis aut parochi consultoris munus duret**. — Quomodocumque electi fuerint, sive in synodo, sive extra synodum, munus cessat post *decem annos* a die electionis (*can.* 387, § 1). Quare, si die 15 april. 1915 electi sint, eodem die an. 1925, duodecima hora noctis, cessabunt; nisi prius synodus celebrata sit: cum enim synodus habetur, tum examinatores, tum

---

(1) S. C. Conc., 11 julii 1592; *Ben. XIV*, De Synod., *lib.* 4, *c.* 7; *Richter, pag.* 380, *n.* 6.
(2) S. C. C., 19 sept. 1745; *Ben. XIV,* De Synod., *lib.* 4, *c.* 7, *n.* 5; *Richter,* l. c., *pag.* 380, *n.* 5.
(3) Cfr. *Ben. XIV,* l. c.; *Ojetti,* Synopsis, v. Examinatores synodales, *vol.* 2, *col.* 1856, ed. 3.ª.

parochi consultores, officio cadunt, etiamsi paucis antea mensibus electi fuissent (*Ibid.*).

Si tamen, expleto eo tempore, munus inceptum haberent, possunt id ad exitum perducere (*Ibid.*).

Utrique semel aut pluries iterum constitui possunt, servata eadem forma quae pro electione praestituta est (*Ibid.*).

Qui loco aliorum suffecti sunt, a munere cessant cum ab eo cessare debuisset is cujus locum occupant (*can.* 387, § 2).

682. **Examinatorum synodalium aut parochorum consultorum remotio.** — Removeri ab Episcopo nequeunt toto decennio sui muneris (quamvis, ut vidimus, cessare a munere possunt, si antea synodus celebretur) nisi ex gravi causa et de consilio Capituli Cathedralis, aut, eo deficiente, de consilio consultorum dioecesanorum (*can.* 388). De consultoribus dioecesanis vide infra, *n.* 713 *seq.*

Fere tota Codicis disciplina de consultoribus dioecesanis ex Concilio Plenario Baltimorensi III desumpta est (*tit.* 2, *cap.* 2, an. 1884, *pag.* 14 *seq.*), et ex Plenario Sidney pro Australia, an. 1885.

De iisdem dioecesanis consultoribus agunt Concil. Plen. Americae Latinae, *tit.* 3, *cap.* 7, *aa.* 242-246, et Conc. Prov. Manilan., *tit.* 3, *cap.* 7, *aa.* 280-285.

CAPUT V

DE CAPITULIS CANONICORUM

ARTICULUS I

NOTIO, DIVISIO, ERECTIO, SUPPRESSIO

683. **Notio et divisio.** — *Capitulum* (hispanice *Cabildo*) in genere dicitur clericorum collegium seu corpus a legitima auctoritate ecclesiastica erectum ad cultum divinum promovendum aut ad alios ecclesiasticos actus. Et ita distinguuntur capitula canonicorum, beneficiariorum, etc.

Canonicorum Capitulum est clericorum collegium ad cultum divinum majori solemnitate per servitium chori promovendum *a Romano Pontifice* institutum.

Cathedrale Capitulum est canonicorum capitulum in ecclesia Cathedrali erectum, non solum ut majori splendore cultus divinus peragatur, sed etiam ut Episcopus in gubernatione dioecesis juvari et in Sede vacante suppleri possit (*can.* 391, § 1).

Capitulum Collegiale est canonicorum capitulum extra ecclesiam Cathedralem erectum (*Ibid.*).

Collegiata dicitur ecclesia a Cathedrali distincta, si in ea canonicorum Capitulum erectum fuit.

Collegiata dicitur *insignis* vel *perinsignis*, si hoc titulo ex apostolica concessione vel denominatione ab immemorabili tempore gaudet (*Ibid.*, § 2).

In Hispania, Collegiatae Granatensis Sacri Montis et Complutensis *magistrales* vocantur, quia earum canonici omnes gradu majori in Theologia vel in Jure canonico insigniti sint oportet.

Canonicus dicitur clericus qui pars est Capituli cathedralis vel collegialis.

Canonici possunt esse *saeculares* vel *regulares:* hi vitam communem et religiosam tribus ejus votis profitentur; illi vero non itidem.

684. **Erectio et suppressio**. — Sicut solus Papa cathedrale aut collegiale Capitulum erigere potest, ita solus ipse illud supprimere potest (*can.* 392).

Sedi pariter Apostolicae dignitatum fundatio reservatur; attamen Episcopus potest, de consensu Capituli, non solum eas dignitates quae decursu temporis extinctae fuerint, restituere, sed etiam novas praebendas, sive canonicales, sive beneficiarias, adjicere (*can.* 394, § 2).

Ut earum praebendarum, quarum reditus et distributiones insufficientes evadunt, numerus ab Episcopo minuatur, vel suppressis aliquibus ita ut earum reditus vel distributiones aliis adjungantur, vel etiam ut ipsis in eumdem finem sufficientiae alia beneficia simplicia uniantur, necesse est, non solum ut Capitulum *audiatur*, sed etiam ut impetretur licentia Sedis Apostolicae et patronorum consensus, si praebendae patronatus laicalis fuerint (*Ibid.*, § 3).

ARTICULUS II

CAPITULORUM CONSTITUTIO

685. — I. In omni canonicorum Capitulo, dignitates, officia et canonicatus adesse debent (*can.* 393, § 1).

Juxta antiquum jus distinguebantur *dignitates*, qui praecedentia cum jurisdictione gaudebant; *personatus*, qui praecedentia tantum, non jurisdictione; et *officia*, qui, administrationis aliquo modo participes erant, at sine ulla praecedentia neque dignitate.

At juxta novum jus, dignitates personatibus antiquis aequivalent, siquidem praecedentia sine jurisdictione gaudent.

Possunt quidem in Cathedralibus et Collegiatis alii **beneficiarii** inferiores adesse; *Capitulum* tamen *solis canonicis constat*, non vero aliis inferioribus beneficiariis seu mansionariis, qui in auxilium canonicorum deputantur (*Ibid.*, § 2).

Dignitates vero de Capitulo sunt, nisi ex capitularibus constitutionibus aliter provisum sit (*Ibid.*).

Canonicatus sine adnexis emolumentis instituendi non sunt, nisi ex speciali Apostolicae Sedis concessione (*Ibid.*, § 3).

II. In singulis Capitulis cathedralibus exsistere debet canonicus *Lectoralis* (*canonicus theologus*) et, ubi id fieri possit, etiam *Poenitentiarius* (*can.* 398, § 1).

Uterque canonicatus in Collegiatis, praesertim insignibus, constitui potest (*Ibid.*, § 2). Vide *n.* 686, III.

ARTICULUS III

HISPANORUM CAPITULORUM CONSTITUTIO

686. — I. In hispanis **Cathedralibus**, ut notum est, canonicatus vel sunt dignitates, vel canonicatus de officio, vel de oppositione, vel de gratia.

Dignitates sunt: Decanus, Archipresbyter, Archidiaconus, Cantor (Chantre) et Scholae praefectus (Maestrescuela). In Metropolitanis adest praeterea Thesaurarii dignitas (*Concordatum* anni 1851, *a.* 13).

II. *Caesaraugustae* vero, quoniam Capitulum duplici choro gaudet, scil. Salvatoris et B. M. V. de Columna, duo Archipresbyteri numerantur, alter dictus Salvatoris, alter B. M. V. de Columna (*Regium Decretum* 16 aprilis 1852, *aa.* 3 et 4: *Concordato* de 1851, añadido con todas las R. O., etc. Tarazona, 1858, *pag.* 43).

Praeter dignitates cujusque Metropolitanae proprias, adsunt Toleti aliae, scil. *Cappellani majoris Regum* et *Cappellani majoris Mozarabum;* item Hispali exstat dignitas *Cappellani majoris Sancti Ferdinandi*, et Granatae *Cappellani majoris Regum Catholicorum* (*Concord.*, *a.* 13). Ovetensis dioecesis, praeter dignitates singulis Cathedralibus suffraganeis communes, habet aliam *Abbatis sanctuarii montis Ausenii* seu *de Covadonga*.

III. Praesentium Capitulorum dignitates praecedentia quidem gaudent (ut ante Codicem), non tamen jurisdictione, ideoque non dignitatibus, sed personatis antiqui juris respondent.

Canonici de officio sunt Magistralis, Doctoralis, Lectoralis et Poenitentiarius (*Concord.*, *a.* 13).

Priora haec duo officia ortum habuerunt in Hispania, nec nisi in Hispania, Lusitania, Philippinis et America hispana inveniuntur.

Creata vero sunt a Sixto IV per Bullam *Creditae a Nobis* an. 1474 (1). Duo ultima officia ad disciplinam generalem Ecclesiae pertinent (cfr. *n.* 685, II), eaque ortum ducunt a Concilio Tridentino, quod Lectoralem (*canonicum Theologum*) in *sess.* 5, *c.* 1, Poenitentiarium vero in *sess.* 24, *c.* 8, creavit.

Officium canonici Magistralis est conciones in ecclesia sua Cathedrali habere diebus in Statutis determinatis; Doctoralis vero, jura Capituli tueri debet, et ipsi Capitulo judicium suum exponere de rebus a Capitulo indicatis.

IV. In Caesaraugustano Capitulo duo sunt Poenitentiarii, respective vocati Salvatoris et B. M. V. de Columna (*Cit. R. D.* 16 april. 1852, *a.* 5.°).

Capitulum in **Collegiatis** ex Abbate, qui Capitulo praeest, duobus Canonicis de officio ex jure hispano (Magistrali et Lectorali), et nonnullis canonicis ex oppositione et aliis de gratia constituitur (*Concord.*, *aa.* 22, 23; Reg. Decr. Concord., 6 dec. 1888).

Tum in Cathedralibus, tum in Collegiatis certus et fixus **beneficiariorum** numerus adesse debet (*Concord.*, *aa.* 17, 18 et 22), qui *de Capitulo non sunt*, sed neque cum ministris inferioribus confundendi aut eis sunt aequiparandi (*Regia Schedula*, 11 julii 1852: *Alcubilla*, *pag.* 140).

ARTICULUS IV

NUMERUS CANONICORUM IN SINGULIS CAPITULIS

687. — In Capitulis *numeratis*, seu quae praebendis numero fixo et reditibus propriis et separatis constant, tot debent esse praebendati, quot praebendae (*can.* 394, § 1).

In *non numeratis* (quae scil. praebendas fixas et separatas non habent, sed sustentantur e quodam acervo bonorum communi simul cum emolumentis ex cultu, unde, prout augentur bona, augetur etiam numerus capitularium), numerus canonicorum juxta reditus ab Episcopo, *audito* Capitulo, assignandus est (*Ibid.*).

In ecclesiis Cathedralibus et Collegialibus insignibus ubi adeo tenues praebendae sunt ut una cum distributionibus quotidianis, sustinendo canonicorum decori plane sint impares, Episcopi, audito Capitulo, et impetrata Sanctae Sedis licentia, vel beneficia aliquot simplicia praebendis uniant, vel si hac ratione provideri non possit, aliquibus praebendis suppressis (cum patronorum consensu, si de jure patronatus laicorum sint) quarum fructus et proven-

(1) Eam affert *La Fuente*, Hist. ecl., *vol.* 2, apénd. 11.

tus reliquarum praebendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad minorem numerum reducant, ita tamen ut tot supersint quot divino cultui celebrando ac dignitati ecclesiae commode respondeant (*Ibid.*, § 3).

688. — I. In **Hispania** Capitula omnia sunt numerata. Numerus canonicorum, et etiam beneficiatorum cujusque **Cathedralis**, in articulo 17 Concordatus anni 1851 assignatur his verbis:

«Capitularium et Beneficiatorum numerus in Ecclesiis **Metropolitanis** erit ut sequitur: Ecclesiae Toletana, Hispalensis et Caesaraugustana viginti et octo Capitulares habebunt; et quod ad Beneficiatos, Toletana viginti quatuor, Hispalensis viginti duos ac Caesaraugustana viginti et octo.

Tarraconensis, Valentina et Compostellana viginti sex Capitulares, ac viginti Beneficiatos; Burgensis, Granatensis et Vallisoletana viginti quatuor Capitulares ac viginti Beneficiatos.

In singulis vero **Suffraganeis** Capitularium et Beneficiatorum numerus erit qui subjicitur:

In Barcinonensi, Cordubensi, Gaditana, Legionensi, Malacitana et Ovetensi, viginti Capitulares et sexdecim Beneficiati. In Pacensi, Calagueitana, Carthaginiensi, Conchensi, Giennensi, Lucensi, Palentina, Pampilonensi, Salmaticensi et Santanderiensi, decem et octo Capitulares ac quatuordecim Beneficiati. In Almeriensi, Asturicensi, Abulensi, Canariensi, Cluniensi, Cauriensi, Gaudicensi, Gerundensi, Oscensi, Jacensi, Ilerdensi, Majoricensi, Mindoniensi, Auriensi, Oriolensi, Oxomensi, Placentina, Segobricensi, Segoviensi, Seguntina, Tirasonensi, Terulensi, Dertusensi, Tudensi, Urgellensi, Vicensi, Victoriensi et Zamorensi, decem et sex Capitulares et duodecim Beneficiati.

In Ecclesia Matritensi erunt viginti Capitulares et viginti Beneficiati; in Minoricensi duodecim Capitulares et decem Beneficiati».

Caesaraugustanum Capitulum nunc 32 Canonicis constat; decretum enim 16 aprilis 1852, praeter dignitates Archipresbyteri et Poenitentiarii B. M. de Columna, duplicem aliam praebendam assignavit.

II. In hispanis **Collegiatis**, praeter Abbatem et duos canonicos officii, adsunt octo alii canonici et sex beneficiati (*Concord.*, *a.* 22).

ARTICULUS V

DISTRIBUTIONES QUOTIDIANAE

689. — Ad assistentiam choro fovendam, inductae fuere jam ante saeculum XIII distributiones quotidianae, quae *per se* nonnisi assistentibus choro tribuuntur.

I. Jussit Concilium Tridentinum, ejusque praeceptum a nostro Codice renovatur, ut in ecclesiis, tam Cathedralibus quam Collegialibus in quibus nullae sunt quotidianae distributiones, vel ita tenues ut verisimiliter negligantur, Episcopi tertiam partem separent fructuum, proventuum, obventionum quae ex dignitatibus,

canonicatibus, officiis aliisque illius ecclesiae beneficiis percipiuntur, et in distributiones quotidianas convertant (*can.* 395, § 1).

Distinguenda est igitur in reditibus canonicatuum et beneficiorum duplex pars: altera quae *distributionibus* quotidianis (*distributiones quotidianae, praesentiae, victualia* et *beneficia manualia*) applicatur; altera autem quae dicitur fructus praebendae (*fructus praebendae, fructus annui*, et absolute *praebenda*) (1).

Praeter hujusmodi *distributiones quotidianas* a jure assignatas, sunt et aliae, quae a voluntate *privata* fidelium procedunt, eaeque in duas species dividuntur: *a*) aliae enim ob *onera fixa et certa* Missarum, anniversariorum, etc. percipiuntur; *b*) aliae vero ex onere item Missarum, anniversariorum, etc. proveniunt, sed quae *incerto et extraordinario tempore* commissa sunt. Ubi distributiones ex privata voluntate fidelium proveniunt, si clausula insuper addatur, eas nonnisi ab assistentibus actu et personaliter esse percipiendas, tunc stricto sensu vocantur *c*) *distributiones inter praesentes;* eaeque, quoniam Ecclesia voluntatem fundatoris aut donantium servari jubet, solum ab iis qui physice et realiter praesentes adsint lucrari possunt. Cf. *Santi*, Praelect. Jur. can., *lib.* 3, *tit.* 4, *n.* 69 *seq.*; *De Luca*, l. c., *n.* 320, III, II.°

II. Si distributiones quavis de causa introduci nequeant, Episcopus in dignitates, canonicos ac beneficiarios negligentes pecuniarias constituet mulctas, quae amissioni distributionum aequivaleant (*can.* 395, § 2).

III. Quodlibet Capitulum, juxta propria statuta, unum aut plures *punctatores* designare tenetur, ut singulis diebus et singulis canonicis horis, absentes a divinis officiis notent. Insuper Episcopus alium punctatorem addere potest. Cum vero aliquis punctator aberit, ab antiquiore e canonicis praesentibus supplebitur (*Ibid.*, § 4).

Punctatores tenentur jurare de suo munere fideliter obeundo (*Ibid.*).

IV. Distributiones ab absentibus amissae inter praesentes distribuuntur, quin his liceat illis eas remittere, sive expresse sive tacite, exclusa proinde omni collusione et remissione (*Ibid.*, § 3).

Collusio autem, juxta *Ben. XIV*, l. c., *n.* 42, tunc datur, cum ii qui ad chorum tenentur, inter se conveniunt de non annotandis absentiis; datur vero *remissio*, cum una pars spontanee et sine praevia conventione alteri remittit distributiones quotidianas quae ab hac secunda amittendae fuerant. Si autem hujusmodi condonationes licitae forent, leges de residentia frustraneae evaderent.

V. Ubi reditus dignitatum a reditibus mensae capitularis separati sint, distributiones amissae ab ipsis, applicantur aliis digni-

---

(1) Cap. unic., *lib.* III, *tit.* 4 in 6.°

tatibus praesentibus, secus applicantur fabricae ecclesiae quatenus eis indigeat; sin minus, alii pio loco Episcopi arbitrio (*Ibid.*).

ARTICULUS VI

DE DIGNITATUM AC PRAEBENDARUM PROVISIONE

a) Disciplina generalis.

690.—Collatio *dignitatum*, tam in ecclesiis Cathedralibus, quam in Collegiatis *insignibus*, ad Sedem Apostolicam pertinet (*can.* 396, § 1), salvis legitimis privilegiis ab ipsa concessis: et saltem prima Capituli dignitas (sive Cathedrale sive Collegiale Capitulum sit), quoad fieri possit, et ceteris paribus, inter doctores in Sacra Theologia vel in Jure canonico eligendus est (*Ibid.*, § 3).

Reliqui omnes canonicatus et beneficia Cathedralium et Collegiatarum ecclesiarum ab Episcopo, audito Capitulo, conferendi sunt, sublata in praesenti et reprobata in futurum qualibet consuetudine in contrarium, et revocato quocumque privilegio. Qua ex regula excipiuntur canonicatus et beneficia reservata Sanctae Sedi, et alia quorum jus collationis manifeste ex lege fundationis ad alium spectet (*can.* 403).

Provisio canonicatuum de officio (Lectoralis scil. et Poenitentiarii) propriam et peculiarem formam habet.

691. **Lectoralis et Poenitentiarius**.—In Lectoralem et Poenitentiarium Canonicum ii eligantur, qui aptiores, pro loci qualitate, ad hoc munus exercendum existimantur; sed, ceteris paribus, doctor in Sacra Theologia pro Lectoralis, doctor vero in Theologia vel in Jure Canonico pro Poenitentiarii munere anteponendus est. *Expedit* ut Poenitentiarius *tricesimum* annum expleverit (*can.* 399, § 1).

Neutra ex his praebendis conferenda est, nisi prius de vita, moribus et doctrina candidatorum plane constiterit, *salva lege concursus*, ubi sit constituta (*Ibid.*, § 2), prout de facto accidit in Hispania.

Poenitentiarius prohibetur aliud simul officium in dioecesi suscipere aut exercere, cui adnexa sit jurisdictio in foro externo (*Ibid.*, § 3); quare nequit esse Vicarius Generalis, aut Vicarius Capitularis, aut Officialis, etc.

Poenitentiarius Canonicus, tum ecclesiae Cathedralis, tum Collegialis, obtinet *a jure* potestatem ordinariam, quam tamen aliis subdelegare non potest, absolvendi etiam a peccatis et a censuris Episcopo reservatis; hanc potestatem erga omnes *intra dioecesim* exercere potest, etiam erga non dioecesanos: *extra dioecesim* vero,

eam etiam exercere potest, sed tantum in dioecesanos (*can.* 401, § 1).

Debet in sede excipiendis confessionibus sibi assignatae in capitulari ecclesia residere, tempore ad fidelium commoditatem, judicio Episcopi, opportuniore, et praesto esse iis qui ad confitenda sua peccata accedunt, ipso quoque divinorum officiorum tempore (*Ibid.*, § 2).

Canonici Lectoralis officium est, diebus et horis ab Episcopo cum Capituli consilio designatis, publice in ecclesia explanare Sacram Scripturam (*can.* 400, § 1). Hoc est munus a Concilio Tridentino Lectorali commissum, cum hujusmodi canonicatum fundari praecepit.

Si Episcopus id utilius judicet, potest eidem alia doctrinae catholicae argumenta in ecclesia explicanda committere (*Ibid.*).

Episcopus gravi de causa potest Lectorali committere ut, loco lectionum in ecclesia, sacras disciplinas in Seminario doceat (*Ibid.*, § 3).

In Hispania valde frequenter Lectoralis lectiones sacras in ecclesia non habet, sed Sacram Scripturam aut Theologiam in Seminario docet.

Lectoralis per se ipsum munus suum exercere debet (propter peculiarem enim aptitudinem electus est). Si ultra sex menses fuerit impeditus, propriis expensis per alium sacerdotem ab Episcopo deputandum, munus implebit (*Ibid.*, § 2).

Prohibetur *optio* (vide *nn.* 448, 460), *reprobata* contraria consuetudine. Solum sustinebitur, si lex fundationis eam imponat (*can.* 396, § 2).

b) *Disciplina hispana.*

692. — I. Decanatus **in Hispania** libere ad nominationem Principis spectat; dignitates autem (praeter illam quae Papae reservatur) sunt provisionis liberae Principis et respectivi Praelati, stricta in provisione alternatione servata (*Concord.*, *a.* 18).

II. In omnibus Cathedralibus adest praebenda quae liberae provisionis est Sanctae Sedis. Ea est dignitas Cantoris in omnibus Metropolitanis et in pluribus ecclesiis suffraganeis; in aliis est simplex canonicatus (*Concord.*, *a.* 18; Reg. Sched. cit., 6 dec. 1888, *a.* 1.°). Ad reliquos omnes canonicatus et dignitates, Ordinarii canonicam institutionem et collationem tradunt; sed ad praebendam Papae reservatam unice mandatum dant *immittendo in possessionem* (*Concord.*, *a.* 18; R. D. concordatum, 5 nov. 1852).

693. — III. Provisio **canonicatuum de officio** fit a Praelatis et Capitulis, praevia oppositione (*Concord.*, *a.* 18; R. D. cit., 6 dec. 1888, *a.* 9). Obligatio docendi aut praedicandi, ut onus speciale, ipsis

imponi potest. R. D. cit., 31 jul. 1852: apud *Salazar*, Derecho canónico, *vol.* 2, *pag.* 687, Madrid, 1891).

IV. Ad electionem canonicorum de officio, omnes canonici *vocem habent.*

Episcopi suffragia in hac et aliis electionibus personarum. — In hac, sicut etiam in omnibus electionibus (in quibus omnes de Capitulo jus suffragii habeant) seu nominationibus personarum quibus Capitulum constat, Episcopus tria, quatuor vel quinque obtinet suffragia, prout Capitulum 16 canonicis vel minus, aut a 17 ad 20, aut plus 29 canonicis constet (*Concord.*, *a.* 14; R. D. concord., 3 januarii 1868).

Numerus suffragiorum Praelati computatur juxta numerum canonicorum singulis ecclesiis assignatorum, non vero juxta numerum eorum qui de facto ad electionem assistunt (R. D. concord., 5 nov. 1852: *Alcubilla*, *vol.* 4, *pag.* 147). Si paria suffragia sint, ea pars vincet cui suffragium Praelati favet (*Concord. cit.*; Sententia Rotalis 13 julii 1876. Cfr. *Salazar et La Fuente*).

694. **Canonicatuum provisio per oppositionem.** — Deberent quidem ex Concordato anni 1851 reliqui canonicatus libere dari a Principe et Praelatis, servata stricta alternatione, ita tamen ut praebendarum quae vacaverint sive Sede vacante, sive ex resignatione aut promotione possessoris in aliud beneficium (1), sive quas Praelatus vacantes tempore mortis, translationis vel resignationis reliquerit, harum omnium provisio ad Principem spectet (*Concord.*, *a.* 18). — Attamen juxta decretum concordatum 6 dec. 1888, est; mediae parti harum praebendarum *per oppositionem* providendum quod si numerus erit impar, major pars ad oppositionem spectabit (*a.* 1).

His praebendis et beneficiis etiam ex oppositione provisis «imponi poterunt *officia specialia*, veluti docendi in Seminariis, bibliothecis et archivis ecclesiae praesidendi, studium et observantiam Sacrae Liturgiae promovendi et sacras caeremonias dirigendi.

« **Actus autem oppositionis** his praebendis iidem erunt ac illi qui nunc fiunt in concursu canonicatuum de officio; beneficiariis vero ii solum actus praescribentur qui in concursu ad parochias adhiberi solent; quamvis, si speciale munus adnexum habeant, exercitium ei muneri aptum adjicietur, quod Ordinarii, audito Capitulo, determinabunt.» R. D. cit., 6 dec. 1888, *aa.* 2 et 3 (Cfr. *Pellicer y Guiu*, *vol.* 2, *pag.* 684).

In canonicatibus cathedralibus ex oppositione **tribunal** constituitur ex Praelato, qui praeest, Decano, vel eo qui Capitulo praeerit, et tribus aliis canonicis, scil. uno de officio, alio ex oppo-

(1) Transitus canonici de gratia in canonicatum de officio pro translatione habetur (R. D. 14 febr. 1891).

sitione, aut, si is desit, de officio, et tertio de gratia (*a.* 4.°). Si Episcopus per se non assistit, Canonicum designabit qui ejus locum suppleat; tunc autem tribunali praeerit praeses Capituli (*a.* 5.°). Praelato unum tantum suffragium competit, sicut et aliis quatuor tribunalis vocalibus. Canonici vero qui cum Episcopo et praeside Capituli tribunal constituere debent, a Principe vel ab Episcopo inter ejusdem ecclesiae canonicos eligentur prout ad Principem aut ad Episcopum possessio canonicatus spectet (*a.* 6.°). Denique, tribunal ternionem efformabit, eumque Episcopo aut Principi praesentabit, prout ad hunc aut ad illum promotionis exsequutio spectet (*a.* 8.°).

Provisio canonicatuum de gratia. — In provisione dignitatum et canonicatuum de gratia per Principem et Praelatos, fit series independens pro dignitatibus, et alia diversa pro canonicatibus (R. D. concord., 2 nov. 1851); alternatio autem dum pontificatus inchoatur manet eadem quae erat die ultimo pontificatus prioris (R. D. concord., 27 jun. 1867).

N. B. Qualitates in dignitatibus et canonicis de gratia necnon in beneficiatis de gratia requisitae assignantur in decreto concordato 20 april. 1903, quod ad appendicem remittitur.

695. **Canonicatuum provisio in Collegiatis.** — In Collegiatis, quoniam *Abbas* curam animarum canonicatui suo annexam habet (*Concord., a.* 18), ejus provisio fit per Principem, praevio concursu speciali et propositione ternionis per Ordinarium (R. D. concord., 27 junii 1867).

Magistralis et *Doctoralis* nominantur praevia oppositione, sicut in Cathedralibus, hac tantum diversitate, quod in tribunali, simul cum Praelato, Capitulum Collegiatae concurrit et vocem habet. (*Concord., a.* 18).

Canonicatibus ex oppositione providetur etiam sicut in Cathedralibus (R. D. concord., 6 dec. 1888, *a.* 4 *seq.*); tribunal vero constat dumtaxat ex Episcopo, Abbate vel praeside Capituli Collegialis, et uno e canonicis de officio (*Ibid.*).

Canonici *de gratia* libere nominantur per strictas vices ab Episcopo et Principe, eo modo quo pro canonicis de gratia in Cathedralibus dictum est (Decr. cit.).

696. **Beneficia: quo pacto fiat eorum provisio in Cathedralibus Hispaniae.** — I. Omnes *beneficiati* per vices stricte servatas a Principe et a Praelatis ac Capitulis nominandi sunt (*a.* 18 *Concord.*); id est, ad Principem spectat providere uni beneficio, ad Episcopum providere sequenti, ad Principem tertio, ad Episcopum cum Capitulo, quarto.

II. Beneficiati alii sunt de officio, alii ex oppositione, alii de gratia. De officio numerabantur sex in Metropolitanis, nempe mediae vocis Cantor (*Tenor*), acutae vocis Cantor (*Contralto*), Prae-

centor (*Sochantre*), Psalmista, Organista et Cappellae praefectus quatuor in suffraganeis, quorum designatio officiorum a voluntate Praelati pendebat; duo in Collegiatis, scil. Praecentor et Organista (R. D. concord., 16 maji 1852, *a.* 45: *Alcubilla*, *vol.* 3, *pag.* 140, v. Concordatos). — Attamen ex Regia Ordinatione (23 april. 1908) ii sunt octo, sex et tres respective. *Pellicer*, *vol.* 2, *pag.* LVIII, append. 8 (edit. 2.ª).

III. Beneficiati de officio nominandi sunt praevia oppositione eo modo et forma quam Praelatus, audito Capitulo, determinabit (*Ibid.*, *a.* 4).

Non fit ternio, sed designatio fit a Principe, a Praelato, vel a Praelato cum Capitulo, per vices respectivas, propositis nominibus approbatorum, relatione de eorum adjunctis, et commissionis technicae judicio (*Ibid.*, *a.* 6).

IV. *Dimidia pars* eorum beneficiorum, *quae non sint de officio*, *per oppositionem* conferendà est.

Ad judicandum de beneficiatis ex oppositione tribunal e tribus judicibus constituitur: Episcopo, scil., Decano (vel Abbate) aut eo qui praesidis Capituli vices gerat, et canonico aliquo de officio. (R. D. concord., 6 dec. 1888, *a.* 4).

Actus oppositionis ii sunt qui haberi solent in concursu parochiali; si tamen beneficio adnectatur munus speciale, de quo agit art. 2, aptum exercitium addetur de materiis dicto muneri accommodatis, prout ab Ordinariis assignabitur, audito Capitulo (*Ibid.*, *a.* 3).

Ternio ante Principem, ante Praelatum vel ante Praelatum cum Capitulo proponendus est juxta vices suas; iidemque consequenter Canonicum de officio pro tribunali designabunt.

Suffragia Praelati cum Capitulo concurrentis, tum ad nominandum tribunal oppositionis et eligendum ex proposito ternione, tum ad beneficiatos de gratia eligendos, computanda sunt eo modo quo antea, *n.* 693, IV, dictum est.

ARTICULUS VII

JURA, OFFICIA ET QUALITATES CANONICORUM

697. **Erga Episcopum**. — Nisi aliud in statutis capitularibus caveatur, dignitatum et canonicorum, secundum ordinem praecedentiae, *jura* et *officia* sunt:

1.° Episcopi vicem supplere in peragendis functionibus sacris in solemnioribus anni festivitatibus.

2.° Episcopo celebranti in pontificalibus, aspersorium in ingressu ecclesiae porrigere, et presbyteri assistentis fungi officio.

3.° Eidem aegrotanti ministrare Sacramenta; defuncto justa funebria persolvere.

4.° Convocare Capitulum eique praeesse, ac praescribere et ordinare quae ad chori directionem referantur, dummodo dignitas sit de gremio Capituli (*can.* 397).

In **Hispania** omnes dignitates sunt de gremio Capituli.

698. **Animarum cura Capitulo annexa.** — Si Capitulo adnexa sit cura animarum, haec per Vicarium parochialem, ad normam can. 471, exercenda est (*can.* 402).

In **Hispania** nullum Capitulum curam animarum adnexam habet post Concordatum, cujus *a.* 25 sic jubet: «Nullum Capitulum aut Collegium ecclesiasticum adnexam habere poterit curam animarum: adeoque beneficia curata et vicariae perpetuae, quae antea *pleno jure* alicui Collegio conjuncta erant, deinceps juri communi omnimode subjicientur.»

In Collegiatis curam animarum habet, non quidem Capitulum, sed Abbas, qui proprie parochus est.

II. Canonici, sive ecclesiae Cathedralis sive Collegialis, *Episcopo solemniter Missam celebranti* aut alia pontificalia exercenti, etiam in aliis ecclesiis civitatis aut suburbii, ab eodem invitati, assistere et inservire debent, dummodo judicio Episcopi sufficiens canonicorum et ministrorum in ecclesia numerus maneat; et eumdem accedentem ad ecclesiam Cathedralem et redeuntem comitari ad normam Caeremonialis Episcoporum (*can.* 412, § 1).

Episcopus potest duos e Capitulo, sive Cathedrali sive Collegiali, Canonicos assumere ac retinere, ut sibi in ecclesiastico ministerio ac dioecesis servitio assistant (*Ibid.*, § 2).

In **Hispania** sequentia praecipit Concordatum an. 1851, *aa.* 14 et 15:

«Art. 14. Archiepiscoporum et Episcoporum erit convocare Capitulum, eique praeesse, quoties id expedire censuerint; itemque praeesse experimentis seu concursibus pro iis praebendis quae hac servata forma conferuntur.

In his ac ceteris quibuscumque actibus, erit semper eisdem Praesulibus prima Sedes, quin privilegium aut contrarius usus ullimode obstet; atque ea cum illis honoris et obsequii ratio servabitur, quae sacrae ipsorum dignitati et principatui Ecclesiae ac Capituli quem gerunt, debetur.

Quotiescumque Capitulo praesint, vocem et votum in iis omnibus negotiis habebunt, quae eorum personam directe non afficiant, ac praeterea, ubi Capitularium suffragia sint paria, Episcopi votum rem definiet.

In qualibet personarum electione seu nominatione ad Capitulum spectante, prout Capitulares fuerint sexdecim. viginti, aut supra, tria, quatuor vel quinque vota habebit Episcopus. Quod si hic Capitulo minime adsit, aliqui de suo gremio deputati illum ad vota recipienda convenient.

Episcopo non praesidente, praeerit Decanus.

Art. 15. Cum Cathedralia Capitula Archiepiscoporum et Episcoporum Senatum Consiliumque constituant, requirentur ab his vel de sententia vel de consensu, quemadmodum, pro varietate negotiorum aut circumstantia-

rum, canonicae leges, ac speciatim Sacra Tridentina Synodus, decernunt. Quapropter cessabit illico omnis immunitas, exemptio, privilegium, usus, aut abusus qui in ipsorum Capitulorum commodum cum ordinariae Praesulum auctoritatis jactura per Hispaniarum Ecclesias quacumque ratione invaluerit.»

Qualitates.—Canonicatus Episcopus conferre debet sacerdotibus doctrina vitaeque integritate praestantibus (*can.* 404, § 1). Praeferendi sunt, ceteris paribus, doctores in Theologia aut Jure canonico, aut qui laudabiliter sacra ministeria aut magisterium exercuerint, firmo praescripto can. 130, § 2 (*Ibid.*, § 2) de iis qui in triennali specimine excelluerunt (vide *n.* 280).

In **Hispania** omnes canonici sacerdotes esse debent, saltem intra annum a capta possessione.

Quo tempore honoris et utilitatis jura ab iis acquirantur. — Dignitates, canonici et beneficiarii, capta legitime beneficii sui possessione ad normam can. 1443-1445, statim pro gradu suo acquirunt, praeter insignia ac privilegia propria, scamnum in choro, jus percipiendi fructus ac distributiones, ac vocem in capitulo, ad normam can. 411, § 3 (*can.* 405, § 1).

Antequam possessionem ineant, professionem fidei juxta praescripta can. 1406-1408 facere debent (*Ibid.*, § 2).

In **Hispania**, ex Regia Ordinatione 16 oct. 1855, a praescribitur ut possessio intra bimestre ineatur.

ARTICULUS VIII

CANONICI HONORARII

699. **Quis eos designat, et quaenam sint eorum jura ac privilegia.** — Episcopo, non autem Vicario Generali, nec Vicario Capitulari, competit canonicos *ad honorem* nominare, cum consilio Capituli cui canonicus est adscribendus (*can.* 406, § 1).

Itaque, ut nominetur canonicus *ad honorem* pro ecclesia Collegiali, consilium non a Cathedrali, sed ab ipsius Collegialis Capitulo petendum est.

Si sacerdos nominandus ad alienam dioecesim pertineat, Episcopus, ad validitatem actus, praeter Capituli sui consilium, Ordinarii cui subjectus est candidatus assensum impetrare debet; eumdemque Ordinarium etiam edocebit insignia ac privilegia electo tribuenda (*Ibid.*, § 2); quibus omnibus dumtaxat intra dioecesim ubi nominatur uti poterit, non vero extra eam, nisi ad normam can. 409, § 2 (*can.* 407, § 1) (1).

---

(1) Canonici *ad honorem* alicujus Basilicae aut ecclesiae Collegiatae urbis Romae, privilegiis et insigniis suis tantum intra ipsius Basilicae aut Collegiatae ejusque filialium ambitum uti possunt (*can.* 407, § 1).

Canonici ad honorem extra dioecesim in qua nominati sunt degentes, numero tertia parte minores canonicis titularibus esse debent (*can.* 406, § 3).

Canonici ad honorem, praeter insignia et privilegia, seu jura honorifica, obtinent etiam scamnum in choro (*can.* 407, § 2).

«Tum dignitates et canonicos, tum etiam beneficiatos seu cappellanos singulos, licet ii pro meliori Cathedralium servitio in presbyteros, diaconos et subdiaconos distribuantur, sacerdotio insignitos esse debere Sanctitas Sua decernit; quique in possessione suorum beneficiorum adipiscenda hoc ordine caruerint, infra annum ipso initiari sub poenis canonicis debebunt.» (*Concord., a.* 16).

«1.° Todo el que sea nombrado para dignidad, canonjía o beneficio de la catedral o colegial, podrá, como hasta aquí, donde los estatutos lo permitan, tomar posesión por medio de apoderado; pero con la precisa obligación de empezar su residencia *dentro de dos meses,* a contar desde la fecha del *Real título* que a su favor se haya expedido. — 2.° Ningún prebendado podrá ausentarse de su iglesia fuera del tiempo de *recle* o *recessit* que le concedan los estatutos». (*Alcubilla,* v. Concordatos, *vol.* 4, *pag.* 155, ed. 6.ª).

ARTICULUS IX

CANONICORUM PRAECEDENTIA

700. — I. Capitulum Cathedrale praecedit Collegiali, etiam insigni, in ipsa quoque Collegiali ecclesia; Capitulum insigne praecedit non insigni; in eodem Capitulo, salvis peculiaribus statutis, vel legitimis consuetudinibus, dignitates, servato inter se praecedentiae ordine, praecedunt canonicis, canonici antiquiores, qui nempe prius possessionem ceperunt, posterioribus; canonici titulares honorariis; honorarii beneficiariis; canonicus autem episcopali charactere ornatus iis qui episcopi non sunt (*can.* 408, § 1).

II. In Capitulis in quibus habeantur distinctae praebendae presbyterales, diaconales, subdiaconales, servabitur ordinis praecedentia; et in eodem ordine, praecedentia receptionis in ordinem, non autem in Capitulum (*Ibid.*, § 2). Si quis igitur, Capitulum in canonicatu diaconali, v. gr., ingressus sit 8 jan. 1915, et die 28 sept. 1917 canonicatum presbyteralem occupaverit, ejus antiquitas ut canonici presbyteri computatur a die 28 sept. 1917, non vero ab 8 jan. 1915, quo primum Capitularis factus erat. Unde, si alius canonicus presbyteralis canonicatus ejusdem Capituli possessionem ceperit, v. gr., 14 aug. 1917, is occupanti dicto 28 sept. praecedet, quamvis ei fere duobus annis in Capitulo posterior sit.

ARTICULUS X

VESTIS CANONICALIS: UBI EADEM DEFERRI POSSIT AUT DEBEAT

701. — I. In unaquaque ecclesia, tum Cathedrali tum Collegiali, qui in dignitate episcopali sunt constituti, in choro vestem episcopalem deferre debent (*can.* 409, § 1).

In **Hispania** nullus Episcopus residentialis aut titularis canonicus aut beneficiatus est.

II. Ceteri omnes, dignitates, canonici et beneficiarii, vestem sibi in bulla erectionis assignatam vel apostolico indulto concessam deferent; secus absentes censeri debent (*Ibid.*), ideoque distributiones non percipient.

Intelligenda est vestis quae eis ut tales dignitates, canonici et beneficiarii sunt, competit; non autem ea quam ob aliam rationem alibi adhibere possunt, ut Protonotarii apostolici, Praelati domestici, etc.

III. Vestem choralem aut specialia insignia Capitularia adhibere possunt in tota dioecesi, etiam extra oppidum ubi Capitulum Cathedrale aut Collegiale sedet; non tamen extra dioecesim, licet forte consuetudo adsit, quae reprobatur, excepto casu quo vel Episcopum comitentur, vel Episcopum aut Capitulum repraesentent in Conciliis aliisve solemnitatibus (*Ibid.*, § 2).

ARTICULUS XI

DE STATUTIS CAPITULARIBUS

702. **Statuta in Capitulo necessaria.** — Capitulum statuta habere debet, per legitimum actum capitularem condita, et ab Episcopo approbata, sine cujus auctoritate postea nec abrogari nec mutari possunt (*can.* 410, § 1, 2).

Si non habeat, Episcopus intimare debet ut Capitulum ea conficiat; et si intra *sex menses* facere neglexerit, Episcopus ipse ea conficiet et Capitulo imponet (*Ibid.*, § 3).

Ea servanda sunt. — Statuta religiose observanda sunt ab omnibus dignitatibus, canonicis et beneficiariis (*Ibid.*, § 1).

Quaenam, inter alia, in eis designanda sint. — In statutis designanda est norma qua canonici et beneficiarii in servitiis altaris fungantur per turnum tum officio celebrantis tum ministerio diaconi et subdiaconi. Ab hoc duplici ministerio excluduntur di-

gnitates, theologus, poenitentiarius, et (si adest distinctio praebendarum) canonici ordinis presbyteralis (*can.* 416).

In **Hispania** haec R. D. concord. 31 jul. 1852 praescribit:

«En la formación de los Estatutos los Prelados y Cabildos determinarán también quiénes de los prebendados y cuándo hayan de predicar; señalarán los turnos de celebración de los divinos oficios, pudiendo conservar o destinar para los de diácono y subdiácono un número proporcionado de canónigos modernos, y dar a sus canonjías la denominación consiguiente, siempre que esto en nada altere la calidad de ellas, y sólo se atienda para el oficio a la menor antigüedad de sus poseedores» (Apud *Salazar,* l. c., *pag.* 687).

ARTICULUS XII

DE CONVENTIBUS CAPITULARIBUS

703. **Quando ii celebrandi sunt.** — I. Conventus Capitulares alii sunt *ordinarii* alii *extraordinarii.* Ordinarii haberi debent designatis in statutis temporibus ut canonici agant de negotiis suae ecclesiae et Capituli.

Extraordinarii vero haberi possunt quoties id Episcopo, aut Praesidi Capituli, aut majori parti canonicorum expedire videatur (*can.* 411, § 1).

II. Ad conventum seu coetum *ordinarium* non requiritur specialis convocatio, sed utique ad extraordinarium; et haec fieri debet juxta statuta capitularia (*Ibid.*, § 2).

Quinam in ipsis vocem habent.—In his coetibus vocem habent omnes et soli canonici praebendarii, non autem honorarii nec beneficiarii (*Ibid.*, § 3). Dignitates autem vocem habent vel non, prout pars Capituli sint aut non sint, ut dictum est *can.* 393, § 2 (*Ibid.*). Vide *n.* 685. In **Hispania**, ut alibi dicitur, dignitates pars Capituli sunt.

ARTICULUS XIII

RELATIONES INTER CAPITULUM ET PAROCHUM UBI ECCLESIA CAPITULARIS EST PAROECIALIS

704. — Si ecclesia Cathedralis aut Collegialis simul sit paroecialis, relationes juridicae inter Capitulum et parochum reguntur normis quae sequuntur, *nisi aliud ferat a*) aut Sedis Apostolicae Indultum, *b*) aut particularis conventio in erectione paroeciae inita, et a loci Ordinario legitime probata (*can.* 415, § 1).

Ad Parochum pertinet: — 1.° Applicare Missam *pro populo*, et

debito tempore, praedicare et christianam doctrinam fideles edocere; 2.° custodire libros paroeciales, et ex iis suo tempore attestationes extrahere; 3.° functiones paroeciales peragere de quibus in can. 462; exequias autem in ecclesia ad normam juris peragere, non exclusa Missa exequiali, tantum in eo casu ad Capitulum pertinet, cum de funere agatur alicujus dignitatis, vel canonici etiam honorarii tantum, vel beneficiarii; 4.° alias functiones non stricte paroeciales peragere quae in paroeciis fieri solent, modo *a*) non impediatur chorale servitium, *b*) nec Capitulum easdem functiones peragat; 5.° eleemosynas in bonum paroecianorum colligere, easdem directe vel indirecte oblatas recipere, administrare et secundum voluntatem offerentium distribuere (*Ibid.*, § 2).

II. **Ad Capitulum pertinet:** — 1.° Custodire SSmum. Eucharistiae Sacramentum; sed altera sacri ciborii clavis apud parochum servari debet; 2.° invigilare ut in functionibus a parocho in capitulari ecclesia peragendis leges liturgicae observentur; 3.° ecclesiae curam habere, ejusque bona administrare cum piis legatis (*Ibid.*, § 3).

III. **Mutuum obsequium**.— Nec parochus capitulares, nec Capitulum paroeciales functiones et munera impedire potest; exorto autem conflictu, quaestionem dirimet Ordinarius loci, qui in primis curare debet ut catechetica instructio et Evangelii explicatio hora fidelibus commodiore semper habeatur (*Ibid.*, § 4).

IV. **Auxilium parocho ex parte Capituli.** — Non solum Capitulum impedire nequit parochum in exercenda parochiali cura, sed etiam scire oportet Capitulares se ex caritate teneri, maxime si Coadjutores desint, ipsi parocho auxilium praestare secundum modum ab Ordinario loci determinandum (*Ibid.*, § 5).

ARTICULUS XIV

SERVITIUM CHORI

705. — I. Quodlibet Capitulum tenetur quotidie divina officia in choro juxta rubricas canere, salvis legibus propriae fundationis et apostolicis indultis (*can.* 413, § 1). Divina autem officia septem horarum canonicarum cantum et Missam conventualem item cantatam comprehendunt (1); praeter alias Missas quae ex rubricis Missalis vel ex piis fundationibus celebrandae sint (*Ibid.*, § 2). Omnes et singuli qui chorale beneficium obtinent, tenentur *quotidie* assistere choro omnibus divinis officiis, salvis privilegiis apostolicis et legibus propriae fundationis (*can.* 414).

---

(1) Si Episcopus Missam canat, hebdomadarius per recitationem Missae satisfacere potest (*Ibid.*, § 3).

II. **Residentia** igitur **canonicorum activa requiritur**, eaque obligat non solum 1.° ad commorandum in loco beneficii, sed etiam 2.° ad assistendum choro, id est, Missae et septem horis canonicis.

Differentia inter parochum et canonicos aut beneficiatos ratione residentiae. — Et ad 1.um quidem, seu residentiam, requiritur in canonico et beneficiato solum *pro diebus et horis* quibus choro assistere tenetur (S. C. C., 4 febr. 1843; et *in Tolent.*, 26 maji 1739, ad dubium 12); quo a parochorum residentia differt: haec enim debet esse *pro singulis momentis*, quovis enim momento negotia aut necessitas quae ipsorum operam requirant occurrere possunt.

Obligatio canendi. — Ad 2.um, seu assistentiam, non sufficit canonicum in choro adesse ibique divinum officium submissa voce *recitare;* sed necesse est ut illud *canat, voce et cantu psallentes*, quin praevalere possit consuetudo in contrarium ulla, licet immemorabilis, nec statutum aliquod particulare (1).

706. — III. **Missa conventualis** applicanda est pro benefactoribus in genere (*can.* 417, § 1).

Si Capitularis aegrotat, ad quem per vices spectat Missam conventualem celebrare et applicare, non tenetur eleemosynam ullam praebere Capitulari qui in his eum supplet, nisi statuta capitularia aut consuetudo id praescribant (*Ibid.*, § 2).

Servari potest consuetudo praebendi stipem celebranti, vel ex cumulo distributionum, vel ex reditibus omnium praebendarum per contributum (*Ibid.*, § 3).

Posse autem hujusmodi usum introduci ubi non sit, manifestum videtur.

ARTICULUS XV

VACATIONES

707. — I. Canonicis et beneficiatis **quotidiano choro adstrictis** conceditur singulis annis vacatio, quae (reprobata quavis contraria consuetudine) *tres ad summum menses* sive continuos sive intermissos durabit; idque nisi a statutis propriae ecclesiae aut a legitima consuetudine hujusmodi temporis spatium coarctetur. Attamen (nisi legitima ex causa et de licentia Episcopi) tempore Quadragesimae aut Adventus feriari non licet, nec praecipuis anni solemnitatibus, sc. Nativitatis, Paschae, Pentecostes et Corporis Christi (*can.* 338, § 3); nec eodem tempore abesse potest nisi tertia cano-

(1) *Ben. XIV*, Const. *Cum semper oblatas* (*Bullar.*, Romae, 1760, *vol.* 1, *pag.* 166), 19 aug. 1744, § 24; Const. *Praeclara decora*, 19 januarii 1748, §§ 6.°-9.° (*Bull., vol.* 3, *pag.* 263).

nicorum pars (*can.* 418, § 1, 2), ne servitium chori detrimentum capiat.

Ut vacatione dicta utatur quis, *non* requiritur *causa specialis;* sed sufficit honesti oblectamenti desiderium. Ipsum jus eam concedit, ideoque, ex jure communi, licentia Ordinarii ad eam capiendam *non* requiritur (cfr. *Fagnano*, l. c., *n.* 52), nisi canonicus e dioecesi abesse velit. Hoc enim casu necessaria est, ex jure communi, *licentia* Praelati, qui tamen eam sine rationabili causa denegare nequit (1).

Si tamen abusus irrepserint, posset Episcopus edicere ut sine licentia ipsius, in scriptis data, nemo vacationibus uteretur, etiam intra dioecesim (2).

II. In ecclesiis in quibus **non omnes simul choro assistere tenentur singulis diebus** (sed per dies, hebdomadas, menses alternos, etc), nemo alterius vicem supplere potest nisi in casibus particularibus, justa ac rationabili de causa, et dummodo substitutus eodem tempore servitio chori non sit adstrictus, et sit in eadem ecclesia canonicus si de canonici, beneficiarius si de beneficiarii vice supplenda agitur.

Obligatione autem residendi in loco beneficii non tenentur per dies quibus a choro absunt (*can.* 419, § 1).

Notandum est in talibus ecclesiis servitium chori singulis diebus fieri, *non* tamen omnes canonicos et beneficiatos teneri singulis diebus choro assistere. Hujusmodi canonicis et beneficiatis *vacatio* non conceditur; eam enim habent in modo serviendi choro.

In **Hispania** omnia Capitula canonicalia servitium habent singulis diebus.

III. Si quis eodem die urgeatur onere utriusque Missae, et *pro populo* (v. gr. si ipse sit canonicus parochus) et conventualis (*n.* 706), hanc ipse per se celebrare et applicare debet, illam per alium eodem die, vel per se die sequenti (*Ibid.*, § 2).

Quod hic de obligatione duplicis Missae eodem die traditur, eodem modo applicandum censemus, sive his ecclesiis in quibus capitulares et beneficiatos singulos quotidiana chori obligatio non urget, sive ceteris in quibus urget.

708. **Quo pacto computandi sunt hi vacationum menses?** — Ex can. 34 (vide *n.* 175) patet: 1.° computandos esse *de momento ad momentum*, id est, si per omissionem assistentiae ad Primam aut Vesperas incipiant, ante Primam vel ante Vesperas diei ultimi finiendi sunt; 2.° si continuae vacationes sint, menses prout in calendario sumendos esse, videl., si vacatio 14 maji ante Vesperas

(1) *Jadren.*, 9 maji 1626; *Acerrarum*, 23 aug. 1727; *Castrimaris*, 4 maji 1727 (in editione *Richter* Conc. Trid., *pag.* 358, *n.* 68).

(2) *In Terracin.*, 19 febr. 1628; *Larin.*, 30 aug. 1732, ad III, IV, V (in edit. *Richter* Conc. Trid., *pag.* 358, *n.* 66).

incipiat, ea 14 augusti ante Vesperas finietur; 3.° si intermissae sint, summam totalem nonaginta diebus comprehendi debere.

Difficultas incidere potest an reliqui novem menses ita compleri debeant, ut in singulis eorum diebus canonicus ad chorum, Missam et omnes horas assistere teneatur, vel an sufficiat eum alicui aut aliquibus horis astitisse, licet omnibus praesens non fuerit. Seu quod idem est, an, ubi die certo canonicus uni aut pluribus horis assistit, ita tamen ut reliquis culpabiliter desit, ille dies computetur velut dies assistentiae an velut dies vacationis? Ideoque, an talis dies ad vacationes, an ad novem menses servitii pertinere dicendus sit?

Attento jure communi, manifestum videtur talem diem inter menses conciliares esse computandum, et ad tempus vacationis pertinere.

Id ex resolutione S. C. C. *in Aquilana* deducitur (*lib.* VIII Decret., fol. 92 verso, cit. a *Ben. XIV,* l. c., *n.* 37), 17 jun. 1594.

Juxta quam, non sufficit aliquem puncta seu assistentias ita addere, ut in fine anni toties choro astiterit, ut simul 275 integris diebus aequivaleant; sed 275 dies singuli in se completi esse debent. Unde, si canonicus hodie in choro adest tempore Missae et ad Horas minores, reliquis sine justa causa praetermissis; et crastino die (omissis ex negligentia Missa et Horis minoribus) Vesperis, Completis, Matutino et Laudibus tantum assistat, non ei licebit, assistentiis utriusque diei simul junctis, eas tanquam diem integrum servitii computare. Ergo a fortiori ei licitum non erit tanquam duos dies ipsas computare. Itaque, ut computus, non per dies integros, sed per additionem actuum assistentiae fiat, opus est privilegio apostolico.

Ideoque, nequidem licitum erit vacationes per horas sumere, ita ut additis absentiis omnibus, eae nonaginta dies non excedant; imo interdum nec aequent; sed absentiae totales vel partiales intra solos nonaginta dies distribui debent, ita ut in reliquis diebus singulis servitium integre fiat. Cfr. *Pallottini,* 5.°, *pag.* 179, *n.* 198 *seq.*

Aliunde certum est in iis diebus, quibus solum alicui vel aliquibus horis quis assistit, pro ceteris horis (si dies inter vacationes non computaretur) non solum distributiones, sed etiam fructus annuos pro rata ipso facto amissurum.

Hinc tales dies ut vacationis computandos esse videtur; atque ita bonae conscientiae absentis consulitur; aliter enim in eo supponenda est culpa contra suum officium choro assistendi.

ARTICULUS XVI

ABSENTIA A CHORO ET DISTRIBUTIONES

709. Ex generali juris praescripto, absentia a choro, sive ea justa sit, sive non, secum fert amissionem omnium distributionum (*can.* 395, § 3). Et quidem, in absentia sine legitima causa, sine exceptione omnes distributiones amittuntur; attamen ubi

absentia legitima est, exceptiones notandae occurrunt (cf. *De Angelis*, l. c., *n.* 16 *a*) et *c*): dantur enim plures casus in quibus fictione juris ii qui praesentes personaliter non sunt, ut praesentes tamen aestimantur.

Si praebenda tota in distributionibus consistit, is qui illegitime a choro abest, omnes distributiones amittit. Si tamen absentia legitima fuerit, amissio, ut summum, tertiam partem aequabit (*can.* 421, § 2).

Si distributiones adeo sint tenues, ut nequidem tertiam partem aequent, ii qui legitime absunt tertiam partem omnium fructuum praebendae et distributionum amittent.

Qui sine legitima causa abest, praeter amissionem distributionum, ipso facto amittit omnes praebendae fructus pro rata temporis illegitimae absentiae; fructus autem hos tradere debet Ordinario, qui eos ecclesiae, vel alicui pio loco vel pauperibus distribuet (*can.* 2381, § 1). Haec poena a Codice nunc introducitur, ideoque nova est. Vide *Ferreres*, apud *Razón y Fe*, *vol.* 2, *pag.* 380-384.

710. **Absentia legitima, distributionibus amissis.** — Absentia a choro ratione **vacationum** legitima est; ea tamen annexam habet amissionem omnis generis distributionum (modo superius dicto, *n.* 709), non obstante quacumque consuetudine in contrarium, licet immemoriali, non obstante item remissione a ceteris capitularibus facta. Tantum ex privilegio Sedis Apostolicae tales distributiones percipi possunt (*can.* 418, § 3).

Legitime a choro abesse possunt, amissis distributionibus praedicto modo: 1.° Lector Theologiae aut Juris canonici, dum de Ordinarii licentia in scholis ab Ecclesia probatis publice docet. 2.° Qui de eadem licentia *Theologiae studet aut Juri canonico* in scholis publicis ab Ecclesia probatis. 3.° Vicarius Capitularis (1), Vicarius Generalis, Officialis et Cancellarius (si canonici sint), dum proprio munere funguntur. 4.° Canonici qui Episcopo inserviunt (*can.* 421, § 1).

711. **Legitima absentia in qua non amittuntur distributiones.** — Ex fictione juris, ad praescriptum can. 420, sunt aliqui qui, quamvis absint, legitima scil. de causa, velut praesentes in choro censentur, et ita distributiones lucrantur quasi realiter adessent.

Hi sunt:

1.° *Canonici jubilati.*

2.° Lectoralis toto die quo lectionem sacram habeat.

3.° Poenitentiarius toto tempore quo ad confessionale sedeat, sive confessiones audiens, sive poenitentes exspectans, dum prudenter creditur aliquos ad confessionem accessuros.

---

(1) Hucusque dubium erat, an Vicarius Capitularis absens distributiones lucraretur, et diverso modo a diversis Capitulis res decidebatur. Vide *Ferreres*, apud *Razón y Fe*, *vol.* 42, *pag.* 526.

4.° Vicarius parochialis vel quilibet alius e Capitulo, qui, ex Episcopi deputatione, parochi aut coadjutoris officium agit, dum parochialibus vacat officiis.

5.° Ii qui ex *infirmitate* aut *alio physico impedimento* choro assistere nequeunt.

Ad utramque autem hanc causam requiritur ut canonicus constans in assistendo choro fuerit, dum nondum impeditus erat (1).

Infirmitas ex medicorum attestatione jurata constare debet; qua non obstante, poterit Capitulum per unum e canonicis infirmum visitare, et si adhuc dubia videretur infirmitas, Episcopus «suo jure uti poterit» (*In Avenionen.*, servit. chori, 20 januar. 1737; *Lucidi*, l. c., *n.* 61). Sufficit infirmitas quae, licet in se levis, ex assistentia tamen choro notabiliter aggravanda esset. *Garcia*, l. c., *n.* 363.

Ex altero impedimento physico, ut praesentes habentur ad effectum lucrandi distributiones impediti violentia ne choro assistant, v. gr., quia iras alicujus viri potentis timent; quia injuste carcerati aut in exilium pulsi sunt (S. C. C., 23 sept. 1685; *Fagnano*, l. c., *n.* 136 *seq.*); quia ex rationabili pestilentiae timore arcentur, vel *injusta censura* ab assistendo impediuntur, etc. Eadem vero doctrina, juxta *Il Monitore*, applicanda est (*vol.* 8, *part.* 1, *pag.* 214, *n.* 10) quoties vigore quarumdam legum praesentis temporis (quae fere ethnicorum propriae sunt), canonicus in servitium militare vocabitur.

Canonicus, si caecus evadat, a choro eximitur. Cfr. *Ben. XIV*, Inst. 107, § VIII; *Pallottini*, v. Distrib., *nn.* 594, 597. — Qui surdus est, choro adesse debet, sed officio canendi non tenetur. *S. Alphons.*, *lib.* 4, *n.* 130, *dub.* 2; *De Herdt*, *c.* 28, VII, 4.°

6.° Qui alibi in legatione pontificia occupantur, vel *actu* personae Pontificis inserviunt.

7.° Qui spiritualibus Exercitiis, saltem per quinque integros dies, in aliqua domo pia vel religiosa vacant; quo indulto semel tantum in anno frui possunt. Eodem vero privilegio fruentur, si Exercitiis per octo integros dies vacent.

8.° Qui Episcopum in visitatione *ad limina* comitantur, vel Praelati nomine eam instituunt.

9.° Qui ab Episcopo vel Capitulo in generale, plenarium, provinciale Concilium, aut in dioecesanam synodum mittentur.

10. Qui de Capituli consensu, nec dissentiente Episcopo, propter utilitatem ipsius Capituli vel propriae ipsorum choralis ecclesiae, a choro absunt.

11. Qui Episcopo pontificalia exercenti in urbe aut in suburbiis assistunt.

---

(1) *Ben. XIV*, Inst. 107, *nn.* 45, 51; *Barbosa*, De Can., *c.* 24, *n.* 36; *Santi*, l. c., *n.* 74 (Ratisbonae, 1898, *pag.* 58, *vol.* 3); S. C. C., *in Mantuana*, 6 febr. 1627; *in Reatina*, 6 mart. 1667.

12. Qui Episcopum in visitatione dioeceseos comitantur, vel ejus nomine visitationem peragunt.

13. Qui in processibus, tam ordinariis, quam apostolicis pro beatificatione aut canonizatione, sive judicis, sive officialis, sive testis vocati munere funguntur, *omnium* distributionum participes fiunt (*Ibid.*, et *can.* 1999). Cfr. *Razón y Fe*, *vol.* 11, *pag.* 524; *vol.* 24, *pag.* 514.

14. Parochi consultores, examinatores et judices synodales, dum proprio munere funguntur.

Ex praedictis, solum hi qui *nn.* 1, 7, 11, 13 assignantur, distributiones *inter praesentes* vocatas percipiunt, ni fundatorum voluntas obstet.

In **Hispania** autem, Magistralis facile Lectorali aequiparabitur, idque indubitanter a Sede Apostolica concedetur, si per petitionem proponatur. — De hoc vero canonicatu vide *Ferreres*, apud *Razón y Fe*, *vol.* 1, *pag.* 552 *seq.*; *vol.* 2, *pag.* 257 *seq.*; *vol.* 3, *pag.* 252, 268, 546; *vol.* 4, *pag.* 368, 516; *vol.* 11, *pag.* 369.

Doctoralis includitur num. 10.°. Vide *Ferreres*, apud *Razón y Fe*, *vol.* 2, *pag.* 258.

ARTICULUS XVII

JUBILATIO

712. **Quis eam concedit.** — Post continuum et laudabile quadraginta annorum in eadem vel distinctis ecclesiis ejusdem civitatis vel saltem dioecesis chori servitium, quod quis semper ut canonicus, vel partim ut canonicus, partim ut beneficiatus praestiterit, rogata Sede Apostolica, indultum emeriti, seu ut ajunt, *jubilationis* concedit (*can.* 422, § 1).

Ex speciali concessione Gregorii XV per bullam 1621, statuta Capituli Burgensis triginta solos annos continui et laudabilis servitii requirunt. Nec servitium interrumpi censetur per absentiam ex causa infirmitatis, vel ex indulto *pro diebus et horis;* rumpitur tamen ex indulto pro studiis et ex aliis indultus absolutis. *Ben. XIV*, l. c., *n.* 104; *Santi*, l. c., *n.* 97 *seq.*

Jura jubilati. — Jubilatus, etiamsi in loco beneficii non resideat, percipit tum fructus praebendae, tum distributiones. Imo percipit etiam distributiones *inter praesentes*, nisi respectu harum obstent expressa fundatorum vel donantium voluntas, ecclesiae statuta aut consuetudo (*Ibid.*, 512).

Jubilatio est privilegium, minime vero inhabilitatio; ideoque, quamvis jubilatus ab obligatione chori exemptus evadat (nisi aliquando servitium chori ejus praesentia necessario indigeat), potest

tamen assistere quoties voluerit, et omnia sua acquisita jura intacta retinet, v. gr., stallum, antiquitatem, praecedentiam; deliberationibus et electionibus capitularibus interesse, munus ad quod electus fuerit admittere potest, etc. Cfr. *Ben. XIV*, const. *Quod inscrutabili*, 9 julii 1745, § 28 (*vol.* 1, *pag.* 244); Card. *Gennari*, apud *Il Monitore*, *vol.* 24, *pag.* 273 *seq.*

Si ex lege fundationis jus optandi detur in Capitulo, id jubilato non competit (*can.* 422, § 3).

CAPUT VI

DE DIOECESANIS CONSULTORIBUS

713. **Ubi institui debent et quod sit eorum officium.** — *a*) In dioecesibus in quibus Cathedrale canonicorum Capitulum nondum institui aut restitui potuit, Episcopi debent (salvis peculiaribus Apostolicae Sedis praescriptis) consultores dioecesanos instituere, qui sacerdotes sint pietate, moribus, doctrina ac prudentia commendati (*can.* 423).

b) Coetus consultorum dioecesanorum vices Capituli Cathedralis, qua Episcopi senatus, supplet; quare quae canones Capitulo tribuunt, sive Sede plena, sive Sede vacante, consultoribus dioecesanis applicanda sunt (*can.* 427).

An Vicarius Generalis consultor esse possit. — Die 27 febr. 1914 declaravit S. C. Consistorialis Vicarium Generalem in dioecesibus Americae septemtrionalis posse in consultorem dioecesanum assumi, nisi forte alicubi, ex consuetudine aut ex alia causa, exiguus sit numerus consultorum.

Videtur eum consultorem fieri posse ubi consultores sex fuerint; non autem ubi fuerint quatuor. Ratio cur Vicarius Generalis in consultorem assumi possit est, quia consultores ad supplendam vicem canonicorum Capituli Cathedralis instituuntur ubi Capitulum deest; et sicut nulla lex prohibet Vicarium Generalem canonicum fieri Capituli Cathedralis, ita nulla lex est quae vetet eum fieri consultorem dioecesanum. Ratio vero limitationis est, quia tum Capitulum Cathedrale tum consultores dioecesani instituuntur ut consilium Episcopo praebeant in casibus a jure requisitis, adeo ut Ordinarius interdum valide agere nequeat eorum consilio non audito, interdum autem majoris eorum numeri sententiam sequi teneatur. Cfr. *nn.* 229-231.

Cum igitur Vicarius Generalis unam veluti juridicam personam cum Episcopo constituat, esset ipse, si consultor fieret, veluti judex et pars in una eademque causa.

Hoc inconveniens haud ita grave apparet ubi numerus consultorum magnus sit, prout Canonicis Cathedralium accidere solet: esset enim tunc unum inter plura suffragia; verum grave inconveniens esse poterit ubi valde pauci adsint consultores, et facile usque ad destruendam ceterorum consultorum libertatem pertingere posset, unde ipsa Consilii dioecesani institutio inutilis evaderet.

714. **Nominatio, numerus, juramentum.** — *a*) Nominatio ad Episcopum pertinet (*can.* 424).

b) Numero saltem sex esse debent, nisi in dioecesi pauci sint sacerdotes, tunc enim quatuor sufficere possunt. Omnes autem in civitate episcopali aut in locis vicinioribus degere debent (*can.* 425, § 1).

c) Antequam munus suscipiant, jusjurandum praestare debent de officio fideliter et sine ulla acceptione personarum exsequendo (*Ibid.*, § 2).

Tempus officii consultoris. — Officium est *ad triennium*, nisi triennium finiatur Sede vacante, quo in casu prorogatur usque ad novi Episcopi accessum: is autem, intra sex menses ab inita possessione, vel novos consultores nominet, vel eosdem confirmet. Si, Sede vacante, aliquis consultor moriatur vel renuntiet, Vicarius Capitularis, de *consensu* aliorum consultorum, alium substituat; hic autem, Sede plena, suo munere fungi non poterit, si a novo Episcopo non confirmetur; quare, potest Episcopus eum non confirmare, et alium ejus loco substituere.

Exacto triennio Sede plena, Episcopus novos consultores designare debet, aut eosdem ad aliud triennium confirmare, quod idem fiet singulis trienniis (*can.* 426); quod si intra triennium, quavis de causa, consultor aliquis deficiat, Episcopus de consilio ceterorum consultorum substitutum designabit, isque in officio manebit usque ad triennium ceterorum expletum (*Ibid.*, § 3).

Differentia inter consultores dioecesanos et examinatores synodales, etc. — Notanda est differentia inter consultores dioecesanos ex una parte, et examinatores synodales et parochos consultores ex alia. Consultores dioecesani *ab Episcopo* semper eligendi sunt, ideoque eorum facultates non exspirant si *triennium* finiatur Sede vacante; at examinatores pro-synodales et parochi consultores eliguntur *ab Ordinario*, quare, si decennii terminus incidat Sede vacante, eorum facultates resolvuntur, et alii eliguntur (vel iidem confirmantur) a Vicario Capitulari.

715. **Modus quo consensum exprimere debent consultores dioecesani.** — Consensus ab iis collective et in corpus conjunctis dandus videtur, ita ut ad hoc non sufficiat singulorum assensus; qui tamen dari posse videtur aut verbaliter, aut per vota secreta.

Remotio. — Tempore sui muneris removeri nequeunt nisi ex gravi causa et *de consilio* ceterorum consultorum (*can.* 428).

Concilium plenarium Americae latinae (*a.* 244) pro causa remotionis assignat, si ob senium, morbum, etc., inutilis quis evaserit; si *gravem* culpam commiserit, quae illum hoc honoris munere indignum reddat, aut ex qua grave detrimentum ejus fama ceperit.

N. B. Doctrina de consultoribus dioecesanis nunc primum in monumento juridico pro Ecclesia universa proponitur. Aliquid jam de re innuerat decretum *Maxima cura.*

Doctrina haec in Concilio plenario Sydneyensi et in III Baltimorensi tradita fuit.

CAPUT VII

DE SEDE IMPEDITA AUT VACANTE ET DE VICARIO CAPITULARI

ARTICULUS I

DE SEDE IMPEDITA

716. **Quando Sedes impeditur, et a quo regimen assumendum.** — I. Sede per Episcopi captivitatem, relegationem, exsilium aut inhabilitatem ita impedita, ut ne per litteras quidem cum dioecesanis communicare ipse possit, dioecesis regimen, nisi Sancta Sedes aliter providerit, penes Episcopi Vicarium Generalem vel alium virum ab Episcopo delegatum erit (*can.* 429, § 1).

II. Potest etiam eo casu Episcopus, gravi de causa, plures delegare, qui sibi invicem succedant (*Ibid.*, § 2).

III. His deficientibus (v. gr., quia Episcopus tempore ad delegandum caruit, aut Vicarius Generalis decessit, aut nullus erat, etc.), aut impeditis sensu explicato, Capitulum ecclesiae Cathedralis Vicarium constituere debet qui regimen assumat cum potestate Vicarii Capitularis (*Ibid.*, § 3).

Monenda Sancta Sedes. — Qui dioecesim regendam aliquo ex his modis (*n.* 716, I-III) suscepit, quamprimum Sanctam Sedem monere debet de Sede impedita ac de assumpto munere (*Ibid.*, § 4).

717. **Quid si Episcopus censuram incurrat.** — Si Episcopus in excommunicationem, interdictum vel suspensionem inciderit, Metropolitanus, eoque deficiente, vel, si de eodem agatur, antiquior inter Suffraganeos, ad Sedem Apostolicam illico recurrat, ut ipsa provideat (*Ibid.*, § 5). Quod si de Archiepiscopo sine suffraganeis, vel de dioecesi exempta, aut praelatura *nullius* agatur, de quibus agitur can. 285, obligatio recurrendi recidit in Metropolitanum qui fuit legitime electus ad normam ipsius canonis (*Ibid.*, § 5). Vide *n.* 593.

ARTICULUS II

DE SEDE VACANTE

718. **Quando Sedes dicitur vacans, et quinam inde sequuntur effectus.** — I. Sedes episcopalis vacat Episcopi morte, renuntiatione a Papa acceptata, translatione ac privatione Episcopo intimata (*can.* 430, § 1).

II. Nihilominus, excepta collatione beneficiorum aut officiorum ecclesiasticorum, omnia vim habent *a*) quae gesta sunt a Vicario Generali usque dum hic certam de obitu Episcopi notitiam acceperit, *b*) vel ab Episcopo aut Vicario Generali usque dum certa de memoratis actibus pontificiis notitia ad eos pervenerit (sc. de acceptata renuntiatione, de translatione aut privatione) (*Ibid.*, § 2).

III. A certa translationis notitia Episcopus intra quatuor menses debet in novam dioecesim migrare, ejusque possessionem capere, ad normam can. 333, 334 (*Ibid.*, § 3). Vide *n.* 648, IV, V.

A die captae possessionis novae dioecesis antiqua vacat (*Ibid.*).

Potestas Episcopi tempore intermedio. — Tempore medio inter certam translationis suae notitiam et novae Sedis possessionem, habet Episcopus in priore Sede: 1.° potestatem et obligationem Vicarii Capitularis, cessante potestate quavis Vicarii Generalis; 2.° privilegia omnia honorifica Episcopi residentialis; 3.° perceptionem omnium fructuum mensae episcopalis, ad normam can. 194, § 2 (*Ibid.*). Vide *n.* 359.

ARTICULUS III

DE VICARIO CAPITULARI

719. **Jurisdictio episcopalis in Capitulum translata.** — Sede vacante, nisi adfuerit Administrator Apostolicus, vel aliter a Sancta Sede provisum fuerit, ad Capitulum ecclesiae Cathedralis regimen dioecesis devolvitur (*can.* 431, § 1).

Sicubi ex speciali Sanctae Sedis dispositione Archiepiscopus aliusve Episcopus Administratorem vacantis Sedis designet, hic omnes et solas facultates habet quae Vicario Capituli competunt, eisdem obligationibus ac poenis obnoxius (*Ibid.*, § 2).

720. **Capitulum intra octo dies in Vicarium Capitularem jurisdictionem transferre debet.** — Capitulum ecclesiae Cathedralis, Sede vacante, intra octo dies (vide *n.* 175, III) ab accepta notitia certa vacationis, debet Vicarium Capitularem constituere, qui loco

sui dioecesim regat; et si fructuum percipiendorum ei munus incumbat, oeconomum unum vel plures fideles et diligentes constituet (*can.* 432, § 1).

Quis negligentiam supplet.—I. Si Capitulum intra octo dies Vicarium aut oeconomum, quavis de causa, nullum deputaverit, deputatio ad Metropolitanum devolvitur. Si autem ecclesia ipsa Metropolitana fuerit vacans, vel Metropolitana simul et suffraganea, ad antiquiorem ex Episcopis suffraganeis nominatio spectat (*Ibid.*, § 2).

II. Etiam vacante Metropolitana sine suffraganeis, vel episcopatu exempto, vel abbatia aut praelatura *nullius* (cfr. can. 285 et *n.* 593), si Capitulum intra octiduum Vicarium vel Oeconomum non nominaverit, hunc Metropolitanus qui fuit legitime electus ad normam dicti canonis, eum constituet, nisi abbatia aut praelatura *nullius* fuerit religiosa, eaque talis, ut inibi aliter ex Constitutionibus provideatur (*can.* 432, § 3).

III. Vacante vero Metropolitana, nominatio ad antiquiorem Suffraganeum pertinet.

Monenda Sancta Sedes. — Capitulum quantocius de morte Episcopi, et deinde electus in Vicarium Capitularem de sua electione Sedem Apostolicam certiorem faciant (*Ibid.*, § 4).

Quaeres 1.° *Qua ratione computatur octiduum hujus canonis?*

Resp. Ad normam canonis 34; quare dies acceptae notitiae non computatur, et octiduum absolvitur finito octavo die eorum qui post diem acceptae notitiae consequuntur. Unde, notitia accepta 4 septembris, hic dies non computatur: additis autem 8, fiunt 12, et octiduum completur finito hoc die 12. Vide *n.* 175, III.

Quaeres 2.° *Si Capitulum negligens sit unum ex Sedibus vel Praelaturis exemptis de quibus* § 3, *quis supplet, vacante Metropolitana quae legitime electa fuit?*

Resp. Antiquior ex suffraganeis provinciae electae.

721. **Vicarius Capitularis unicus esse debet.** — Nonnisi unus Vicarius Capitularis eligi potest, secus electio irrita est, quamvis adfuerit consuetudo contraria, quae a Codice reprobata declaratur (*can.* 433, § 1).

Qua forma deputatio facienda est. — Deputatio Vicarii Capitularis et oeconomi per actum capitularem fieri debet ad normam can. 160-182, salvis peculiaribus animadversionibus praesentis capitis VII; et ad ejus *validitatem* requiritur numerus suffragiorum absolute major, demptis suffragiis nullis (*Ibid.*, § 2). Vide *nn.* 321 *seq.* Quare, non sufficit numerus respective major, nequidem post secundum scrutinium.

N. B. Una eademque persona et Vicarius Capitularis et Oeconomus esse potest (*Ibid.*, § 3).

Vicarii Capitularis qualitates. — 1.° Nequit *valide* eligi *a*) is

qui sacerdos non sit; *b*) aut tricesimum aetatis annum non *expleverit*; *c*) aut ad eamdem vacantem Sedem fuerit electus, nominatus vel praesentatus (*can.* 434, § 1).

2.° Debet praeterea eligendus esse doctor aut licentiatus in Theologia aut Jure canonico, vel saltem earum disciplinarum vere peritus, in eoque morum integritas, pietas, sana doctrina cum prudentiae laude conjungi debent (*Ibid.*, § 2). — Hae autem conditiones ad validitatem non requiruntur.

3.° Si conditiones § 1 servatae non sint, Metropolitanus, aut si ecclesia Metropolitana vacans fuerit, vel de ipso Capitulo Metropolitano agatur, antiquior provinciae Episcopus, agnita rei veritate, Vicarium pro ea vice deputet. Actus autem illius qui a Capitulo electus fuerat, *ipso jure* sunt nulli (*Ibid.*, § 3).

Non est necessarium ut Vicarius Capitularis assumatur de Capitulo; et licet communiter canonicus nominetur, dantur casus in quibus id non fit, prout evenit Valentiae et Barcinone in vacantibus respective ob decessum Cardinalium Herrero et Casañas. In utraque vacante is electus fuit Vicarius Capitularis, qui defuncti Praelati Auxiliaris fuerat, et uterque Episcopus titularis, quamvis olim de Capitulo fuissent, jamdiu ad ipsum non pertinebant, ex quo, nempe, Auxiliares designati sunt.

722. **Capituli et Vicarii Capitularis jurisdictio tempore vacantis.** — I. Tum in Capitulum ante Vicarii Capitularis deputationem, tum in ipsum Vicarium Capitularem, *integra Episcopi jurisdictio ordinaria* transfertur, in causis sive spiritualibus, sive temporalibus, exceptis iis quae in jure sunt expresse eidem prohibita (*can.* 435, § 1).

Inter ea quae ipsis prohibentur, recensenda sunt: *a*) canonicos honorarios designare (*can.* 406, § 1); *b*) inamovibiles declarare paroecias amovibiles (*can.* 454, § 3); *c*) paroecias liberae collationis vacantes conferre, nisi Sedes jam ab anno vacet (*can.* 455, § 2, 3.°); *d*) associationes erigere aut ad earum erectionem consensum dare (*can.* 686, § 4); *e*) sibi casus reservare (*can.* 893, § 1); *f*) ad beneficiorum permutationem consensum dare (*can.* 1487, § 1), etc.

II. Quare Capitulum et postea Vicarius Capitularis omnia possunt quae enumerata sunt *can.* 368, § 2 (vide *n.* 672, II); item facultate pollent exercitium pontificalium in dioecesi cuilibet Episcopo permittendi; imo, si Vicarius Capitularis sit Episcopus, potest ipse eadem exercere, excluso tamen usu throni cum baldachino (*can.* 435, § 2).

III. **Nequeunt** Capitulum nec Vicarius Capitularis quidpiam facere quod vel dioecesi vel episcopalibus juribus detrimentum afferat; nominatim vero Vicarius Capitularis aliique, sive de Capitulo, sive extranei, clerici aut laici, per se vel per alium prohibentur Curiae episcopalis documenta quaelibet subtrahere, vel destruere, vel celare, vel immutare (*Ibid.*, § 3).

IV. Sede vacante, nihil innovandum est (*can.* 436).

723. **Vicarii Capitularis designatio est absoluta, irrevocabilis, omnemque jurisdictionem exhaurit.** — I. In Vicario Capitulari constituendo, nullam sibi jurisdictionis partem Capitulum retinere potest, nec electionem ad certum tempus coarctare, aut aliam quamcumque restrictionem imponere (*can.* 437).

II. Vicarius Capitularis, edita fidei professione de qua in can. 1406, statim jurisdictionem obtinet, quin necessaria sit ullius confirmatio (*can.* 438).

III. Quae in can. 370 (vide *n.* 673, I, II) de Vicario Generali praescripta sunt, eadem de Vicario Capitulari dicta intelligantur (*can.* 439).

724. **Antiqua disciplina.** — Olim, Sede vacante, jurisdictio episcopalis tota in Capitulum Cathedrale transibat, qui poterat eam vel collegialiter, vel per designatum Vicarium exercere, vel partim collegialiter, partim per unum vel plures Vicarios; quorum facultates ampliare aut coarctare poterat, imo et nominationem in Vicarios revocare quoties sibi visum fuisset.

Concilium tamen Tridentinum, *sess.* 24, *cap.* 16, *de ref.*, jussit id quod Codex confirmat, sc. a Capitulo Cathedrali, intra octiduum post acceptam notitiam certam de Sede vacante, necessario Vicarium Capitularem unicum constituendum esse, qui *totam jurisdictionem* assumat, quin ullam ejus partem Capitulum retinere possit, aut Vicarii Capitularis nominationem revocare, etc. (1).

725. **Comparatio inter Vicarium Capitularem et Vicarium Generalem.** — Vicarius *Capitularis* ita vocatur quia jurisdictionem exercet quae jure ad Capitulum pertinet, quocirca ejus officium relate ad Capitulum officio Vicarii Generalis relate ad Episcopum aliquo pacto assimilatur, magnis tamen servatis differentiis: nam 1.° Episcopus in designando aut non designando Vicario Generali liber est, dummodo dioecesis adjuncta necessario Vicarium non requirant; Capitulum vero necessario Vicarium Capitularem constituere debet, quod si ipsum non faciat, supplebit Superior; 2.° Episcopus, constituto Vicario Generali, totam adhuc propriam jurisdictionem servat, et Vicarii jurisdictionem ampliare vel coarctare potest; at Capitulum, post nominatum Vicarium Capitularem, jurisdictionem nullam habet, nec Vicarii Capitularis facul-

---

(1) Haec disciplina optime traditur in Concordato hispano anni 1851:

«Art. 20. Sede vacante, Metropolitanae vel Suffraganeae Ecclesiae Capitulum, infra tempus praefinitum et ad normam eorum quae a Sacro Concilio Tridentino in rem decreta sunt, unum tantum Vicarium eliget, in quem tota ejus ordinaria potestas transfertur, quavis ex parte Capituli ipsius reservatione aut limitatione penitus exclusa, et quin electio semel facta revocari, neque ad novam procedi possit; abolitis hinc omnino quocumque privilegio, usu vel consuetudine administrandi in corpore, plures Vicarios constituendi, aut quolibet alio quod utcumque Sacrorum Canonum sanctionibus adversetur.»

tates ampliare aut restringere valet; 3.° Episcopus liber manet ut Vicarium Generalem, si id opportunum duxerit, destituat; Capitulum Vicarii Capitularis nominationem revocare nequit; 4.° Vicarius Generalis perpetuo subditus est Episcopi; Vicarius autem Capitularis fit Capituli Superior.

Quoniam Capitulum Cathedrale, in eligendo Vicario Capitulari, ei jurisdictionem communicat quae ex jure Capitulo ipsi competit, ideo haec electio a nullo Superiore confirmanda est (*n.* 723, II). Pariter, quoniam Vicarius Capitularis, semel ac jurisdictione pollet, Capitulo Superior est, idcirco, si renuntiet, non opus est (ut postea, *n.* 726, dicetur) renuntiationem a Capitulo, ei subdito, acceptari.

Residentia. — Vicarius Capitularis obligatione tenetur residendi in dioecesi, et applicandae Missae *pro populo* ad normam quae pro Episcopo can. 338, 339 praestituitur (*can.* 440). Vide *nn.* 651, 652.

Emolumenta. — Nisi aliter fuerit legitime provisum: *a*) Vicarius Capitularis et Oeconomus jus habent ad congruam retributionem, quam Concilium provinciale designaverit, aut quae recepta consuetudine introducta sit, eaque ex reditibus mensae episcopalis aut ex aliis emolumentis desumenda est (*can.* 441, § 1); *b*) cetera emolumenta, tempore Sedis vacantis, futuro Episcopo pro dioecesis necessitatibus reservanda sunt, si ad Episcopum, Sede non vacante, pertinuissent (*Ibid.*, § 2).

In **Hispania** sic praecipit art. 37 Concordati:

«Rata pars redituum cuilibet mensae episcopali pro tempore vacationis debita, deductis tum emolumentis quae respondeant Oeconomo per Capitulum ipso actu electionis Vicarii Capitularis deputando, tum sumptibus ad urgentem episcopalis palatii restaurationem requisitis, inter Seminarium Conciliare et futurum Praelatum aequaliter dividetur» (1).

Oeconomus rerum ecclesiasticarum et proventuum curam et administrationem gerere debet, sub auctoritate Vicarii Capitularis (*can.* 442).

726. **Auctoritas Vicarii Capitularis aut Oeconomi quo pacto cesset.** — Cessare potest: 1.° eorum remotione, quae tamen Sanctae Sedi reservatur; 2.° renuntiatione, authentica forma exhibita Capitulo, a quo tamen eam acceptari necesse non est; 3.° inita a novo Episcopo possessione ad normam can. 334, § 3 (*can.* 443, § 1, 2).

Planum est item cessare eam Vicarii aut Oeconomi morte.

Nova provisio. — Novi autem Vicarii aut Oeconomi nominatio, post prioris renuntiationem, obitum vel remotionem, ad ipsum Capitulum pertinet, facienda ad normam can. 432 (*can.* 443, § 1).

---

(1) De fructibus tempore Sedis vacantis, vide *Acta*, VII, 45; de emolumentis Vicarii Capitularis, cfr. causam *in Gerunden., Acta*, IV, 215.

Ratio novo Episcopo danda. — Novus Episcopus a Capitulo, a Vicario Capitulari, ab Oeconomo, et ab aliis officialibus qui, Sede vacante, fuerunt constituti, rationem exigere debet officiorum, jurisdictionis, administrationis munerisve ipsorum cujuslibet, et in eos animadvertere, qui in suo officio seu administratione deliquerint, etiamsi, redditis rationibus, a Capitulo vel a Capituli deputatis absolutionem aut liberationem impetraverint (*can.* 444, § 1).

Qui omnes rationem etiam reddere debent novo Episcopo scripturarum ad Ecclesiam pertinentium, si quae ad ipsos pervenerint (*Ibid.*, § 2).

CAPUT VIII

DE VICARIIS FORANEIS SEU ARCHIPRESBYTERIS

727. **Notio.** — Vicarius foraneus est sacerdos qui vicariatui foraneo, seu quod idem est, archipresbyteratui, ab Episcopo praeficitur (*can.* 445). Vide *can.* 217 et *nn.* 384, 385.

Ad hoc munus Episcopus sacerdotem quem dignum judicaverit, praesertim e parochis, eligere debet (*can.* 446, § 1).

Nominatio et remotio. — Sicut libere is ab Episcopo eligitur, libere etiam ab ipso amoveri potest (*Ibid.*, § 2).

Disciplina *hispana* concordata cum praescriptis Codicis de hac re consonat. Vide *n.* 385.

728. **Jura et obligationes.** — Praeter facultates quas ei tribuit Synodus provincialis vel dioecesana, et secundum normas in eadem Synodo legitime statutas, vel ab Episcopo statuendas, jus et officium ejus est invigilandi potissimum:

1.° Num ecclesiastici viri sui archipresbyteratus seu districtus vitam ducant ad normam sacrorum canonum, suisque officiis diligenter satisfaciant, praesertim circa residentiae legem, divini verbi praedicationem, impertiendam pueris atque adultis catechesim et obligationem infirmis assistendi.

2.° Num decreta lata ab Episcopo executioni mandentur.

3.° Num debitae cautelae circa materiam Sacrificii Eucharistici adhibeantur.

4.° Num decor et nitor ecclesiarum et sacrae suppellectilis, maxime in custodia SSmi. Sacramenti et in Missae celebratione, accurate servetur; an sacrae functiones secundum sacrae liturgiae praescripta celebrentur; bona ecclesiastica diligenter administrentur, adnexaque illis onera, in primis Missarum, rite impleantur; rectene conscribantur et asserventur libri paroeciales (*can.* 447, § 1).

II. De iis omnibus ut certam notitiam acquirat, archipresby-

ter debet, statutis ab Episcopo temporibus, sui districtus paroecias **visitare** (*Ibid.*, § 2).

III. Pertinet etiam ad eum 1.° statim ac audierit aliquem parochum *graviter aegrotare*, operam dare ne spiritualibus ac materialibus auxiliis honestoque funere, cum decesserit, careat; 2.° curare ne, eo aegrotante, libri, documenta, sacra suppellectilis aliaque quae ad ecclesiam pertinent, depereant aut asportentur (*Ibid.*, § 3).

Collationes. — Debet insuper, diebus ab Episcopo designatis, convocare presbyteros proprii districtus ad conventus et collationes de quibus in can. 131 (vide *n.* 281 *seq.*) eisdemque praeesse; ubi vero plures habeantur hujusmodi coetus in variis districtus locis, invigilare ut rite celebrentur (*can.* 448, § 1).

729. **Residentia.** — Si non sit parochus (in Hispania semper parochus esse consuevit), debet residere in territorio vicariatus, vel alio in loco non valde distanti, secundum normas ab Episcopo definiendas (*Ibid.*, § 2).

Ratio danda Ordinario. — Saltem semel in anno proprii archipresbyteratus rationem reddere debet Ordinario loci, exponens, non solum quae intra annum bene gesta sint, sed etiam quae mala obrepserint, quae scandala exorta sint, quae remedia ad ea reparanda adhibita, et quidquid agendum existimet ad ea radicitus exstirpanda (*can.* 449).

Sigillum. — Vicarius foraneus sigillum vicariatus seu archipresbyteratus proprium habere debet (*can.* 450, § 1).

Praecedentia. — Praecedit omnibus parochis aliisque sacerdotibus sui districtus (*Ibid.*, § 2).

N. B. Doctrina de archipresbyteris seu vicariis foraneis in Hispania eximie primum in provinciali Concilio Vallisoletano an. 1887 exposita est, *part.* 2, *tit.* 11, *pag.* 78, ed. 2.ª; in Caesaraugustano, *tit.* 5, *cap.* 8; et in Burgensi, *part.* 2, *tit.* 15, etc. Vide etiam pro **America latina** Concil. plenar., *nn.* 251-255; 935, 936.

CAPUT IX

DE PAROCHIS

ARTICULUS I

PAROCHUS

730. **Notio.** — *Parochus* est sacerdos vel persona moralis, cui ratione muneris competit *jus et obligatio* curam animarum in certum numerum fidelium plene exercendi nomine proprio et sub auctoritate Ordinarii loci (*can.* 451, § 1).

II. **Parochis aequiparantur** cum omnibus juribus et obligationibus paroecialibus, et in jure nomine parochorum veniunt: *a*) *quasi-parochi*, qui quasi-paroecias regunt, de quibus in can. 216, § 3 (*can.* 451, § 2, 1.°) (vide *n.* 383); *b*) *vicarii paroeciales*, si plena potestate paroeciali sint praediti (*oeconomi*, *regentes*, vicarii independentes) (*can.* 451, § 2, 2.°).

III. De *cappellanibus castrensibus*, sive majoribus sive minoribus, standum peculiaribus Sanctae Sedis praescriptis (*Ibid.*, § 3). Vide *n.* 635 *seq.*, de jurisdictione castrensi hispana.

ARTICULUS II

PAROECIA

731. *a*) **Paroecia** proprio sensu significat sive coetum fidelium parocho subjectum, sive territorium in quod parochi jurisdictio protenditur (Vide *nn.* 163, 164, 383). Interdum idem nomen templo ipsi applicatur, ubi ministerium suum paroeciale parochus exercere debet.

Ad paroeciam constituendam, juxta sat communem sententiam, decem familiae requiruntur (Cfr. *Decr. Grat. cap.* Unio, 3, *C.* 10, *q.* 3; et *Abreu*, De Parocho, *lib.* 1, *c.* 1, *n.* 6: Eborae, 1700). Postquam parochia constituta est, suam parochiae qualitatem servare perget, licet infra decem ejus familiae sint.

b) **Paroeciarum divisio.** — Paroeciae possunt esse *territoriales* aut *personales*. *Territoriales* sunt eae quae designatum territorium habent, ita ut ad paroeciam pertineant quotquot in eo territorio domicilium aut quasi-domicilium habent (nisi exempti sint). Reliquae dicuntur *personales*, quia ad ipsas pertinent paroeciani titulo aliquo *personali*, non autem ratione territorii in quo habitant. Personalis ille titulus potest esse vel quia ad certas familias pertinent, et paroecia talis dicitur *gentilitia;* vel sunt certi *ritus*, ut graeci, latini, mozarabici, etc.; vel certae professionis, ut in paroeciis castrensibus evenit.

Paroeciae territoriales gaudent distincto territorio et distincto populo; personales vero territorio distincto carent, at gaudent distinctis familiis unde subditi dignoscuntur (1).

Ut quis ad has paroecias pertineat, non pendet a domicilio, licet interdum is qui *personali* paroeciae subjicitur, etiam ad territorialem pertinere possit per acquisitionem domicilii aut quasi-domicilii in eadem.

---

(1) *Scarfantonius*, Animadversiones ad Ceccoperium, *vol.* 3, *add.* 39, *n.* 12. Vide etiam *Barbosa*, De off. et pot. parochi, *part.* 1, *cap.* 1, *n.* 23.

c) **Persona moralis ut parochus.** — I. Sine indulto speciali Sanctae Sedis, paroecia nequit personae morali pleno jure uniri, ita nempe ut ipsamet persona moralis sit parochus, ad normam can. 1423, § 2 (*can.* 452, § 1).

Saepius id praeteritis saeculis factum est, etiam saeculo XVI, per unionem paroeciae cum monasterio, aut cum Capitulo Cathedrali aut Collegiali, quae reditus percipiebant et curam animarum exercebant.

II. Persona moralis, cui paroecia sit pleno jure unita, **habitualem** tantum curam animarum retinere potest; de *actuali* servandus est can. 471 (*can.* 452, § 2). Vide *n.* 767.

ARTICULUS III

PAROECIAE MOZARABICAE HISPANAE

732. — I. In **Hispania**, praeter paroecias castrenses, de quibus supra, *n.* 636 *seq.*, dictum est, quaeque personales sunt, exstant etiam Toleti celebres paroeciae **mozarabicae**, etiam personales: sunt autem etiamnum duae, et tempore remoto sex fuerant. Territorium urbis hodie in sex paroecias latinas territoriales distribuitur. Olim hujusmodi paroeciae 21 fuerant.

II. **Quinam mozarabes sint.** — Mozarabes oriundi sunt ab antiquissimis christianis qui dominationis arabicae tempore Toleti remanserunt et antiquum ritum hispanum servarunt, qui ex ipsis nomen *ritus mozarabici* sortitus est. Post Toletanam civitatem a christianis recuperatam, mozarabes suis personalibus paroeciis adscripti perseverarunt; ceteri autem christiani, qui tunc urbem incolere ceperant et qui ipsis tractu temporis adjuncti sunt, parochias territoriales efformarunt, quae, ob ritum romanum seu latinum in illis usurpatum, *paroeciae latinae* dictae sunt.

Unde mozarabes paroeciam non mutant quamvis domicilium mutent, nec parocho territoriali sive latino subjiciuntur, quamvis in ejus territorio degant. Vide *Ferreres*, El impedimento de clandestinidad, *nn.* 191-230.

III. **Normae adscriptionis in paroeciam mozarabicam.** — Mozarabicae paroeciae sequentibus normis reguntur:

1.ª Adscriptio in paroeciam mozarabicam *incompatibilis* est cum qualibet adscriptione in paroeciam **territorialem** *intra Toletum.*

2.ª Necessario ad mozarabicas paroecias pertinent, *dummodo domicilium in urbe Toleti retineant:* 1.° quotquot legitime sint in illis paroeciis adscripti (*Ferreres*, l. c., *nn.* 234-245); 2.° filii omnes masculi cujus pater mozarabis sit (*Ibid.*); 3.° in pari casu, etiam filiae quae matrimonium non contraxerint ((*Ibid.*, *nn.* 235, 246).

3.ª Potest in mozarabicam paroeciam *adscribi:* 1.° vir latinus, si uxorem mozarabem ducat cui jus competat eligendi parochialitatem mozarabem (*Ibid.*); 2.° mulier latina, si viro mozarabi nubat.

4.ª Parochialitatem mozarabem *amittere poterit:* 1.° mulier mozarabis si viro latino nubat (*Ibid., n.* 235 *seq.*), 2.° mulier latina cujus maritus erat mozarabis, si, defuncto viro, iterum nubat viro latino (*Ibid., nn.* 239, 253, 258).

5.ª Parochialitatem *denuo acquirere poterit,* si velit, mulier mozarabica quae eam amiserat ob matrimonium cum viro latino, si hic moriatur (*Ibid., n.* 238).

ARTICULUS IV

ORIGO HISTORICA PAROECIAE

733. **Episcopus per plura saecula fuit unicus parochus.** — Primis Ecclesiae saeculis, paroeciae, nisi forte Romae et Alexandriae, nullae fuerunt (1).

Dici posset in singulis dioecesibus unicum parochum fuisse Episcopum, et Cathedralem unicam fuisse paroeciam. Ea dumtaxat fontem baptismalem habebat, et in ea tantum baptisma ministrabatur (2).

Notandum etiam est ipsam vocem *paroeciae* primis saeculis dioecesim potius designasse (3).

Contra vero, paroeciae, praesertim rurales, interdum *dioeceses* dicebantur (4).

II Ut melius res intelligi possit, oportet in memoriam reducere religionem christianam apud magnas urbes propagari coepisse; ad *pagos* autem seu ruralia oppida serius ipsius religionis influxum pervenisse, indeque mos fuit designandi infideles nomine *paganorum*, ex ipso nomine commorantium in oppidis ruralibus.

III. In magnis igitur urbibus, ubi christianorum frequens erat

---

(1) De antiquis Romae paroeciis, quibus tituli Cardinalium Presbyterorum orti sunt, vide dicta ap. *Razón y Fe, vol.* 23, *pag.* 93 *seq.*, aut ap. *Ferreres,* La Curia Romana, *nn.* 65, *seq.* 73; *Houwen,* De Parochorum statu, *c.* 2, § IV, *pag.* 82 (Lovanii, 1848).

(2) Cfr. *Martigni,* Diccion. de Antigüedades cristianas, v. Parroquia: Madrid, 1894, *pag.* 632; *Albers,* Enchiridion Hist. eccles., *vol.* 1, §§ 13, 41, etc.

(3) Cfr. *Liber Pontificalis,* ed. *Duchesne,* I, *pag.* 87, 128, 157, 225; *Albers,* l. c.

(4) Cfr. *Martigni,* l. c.; *Houwen,* l. c., *pag.* XI *seq.* De his rebus en quid in lectionibus Breviarii, die 16 jan., de Sancto Marcello traditur: «Aucto in Urbe fidelium numero, ad eorum utilitatem, ad baptismum poenitentiamque dandam eis qui christianam religionem susciperent, et ad Martyrum sepulturam, novos titulos instituit, et quasi alteras dioeceses distribuit... Ubi Marcellus assiduis jejuniis et precibus novem menses vitam duxit, parochias, quas praesens non poterat, visitans per epistolas.» Ubi *dioeceses* nominat, hodie paroecias intelligeremus, et quas vocat *parochias,* nunc eae dioeceses dicerentur.

numerus, Episcopus ecclesiam Cathedralem habuit, et ibidem clerus totius dioecesis habitavit, facto communi acervo omnium bonorum ecclesiasticorum ipsius dioecesis, quae quidem ab Episcopo per Archidiaconum administrabantur, in diversas partes distributa, sc. pro cultus necessitatibus, pro mensa episcopali, pro clero, pro pauperibus.

IV. **Parochi** *ad nutum* **sine beneficio**. — Ubi decursu temporis christiana religio ad oppida ruralia propagata fuit, diebus festis sacerdotes ex urbe in ea loca pergebant in quibus frequentia christianorum aderat, Missam illic celebraturi. Aucto numero fidelium, necesse fuit eis sacerdotes dare qui ipsis continuo adessent, et subinde his presbyteris pars bonorum ex acervo communi assignata est, quae, ipsis decedentibus, iterum in acervum dioecesanum redibat.

V. **Paroecia ut proprium beneficium.** — Territorium denique dioecesis divisum est, assignatis pro singulis oppidis certis sacerdotibus, itemque bonis ecclesiasticis certis, sub auctoritate superiore Episcopi; atque ita ortae sunt et paulatim creverunt paroeciae: quare rurales primum *paroeciae* vocatae sunt (cfr. *Liber Pontificalis*, ed. cit., *vol.* 1, *pag.* 157; *vol.* 2, *pag.* 92, 102, *not.* 20); subinde autem paroeciae urbium episcopalium. Cfr. *Albers*, l. c.; *Martigni*, l. c.; *Sanguineti, n.* 352. Hae postremae pluribus saeculis fonte baptismatis caruerunt, quae solum in Cathedrali exstabat. Cfr. *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 2, *n.* 821.

VI. **Ecclesia matrix et filiales.**—In pluribus oppidis opus fuit paroeciarum subdivisione: prima seu antiquior dicta est *matrix;* ejusque parochus multis in locis *plebanus* vocabatur (Cfr. *Abreu*, De Parocho, *lib.* 1, *c.* 1), quod nomen in regno Valentiae apud parochos Sanctae Mariae de Oliva et Sanctae Mariae de Onteniente hodiedum retinetur. Alibi vero *plebani* nomen omnibus parochis erat commune.

VII. **Plures parochi** *in solidum*. — Haud raro accidit item ut, crescente numero fidelium unius oppidi, ita ut unus parochus pro omnibus non sufficeret, plures designarentur, quin tamen inter ipsos dividerentur parochiani: quare singuli parochi in omnes fideles jurisdictionem exercebant. Haec administrandae paroeciae ratio Concilio Tridentino non placuit, ideoque, *sess.* 24, *de ref.*, *c.* 13, jussit non solum ut propriae paroeciae, ubi eae non adessent, instituerentur, sed etiam ut cuilibet parocho proprii et certi parochiani darentur, qui tantum ab ipso, ut a parocho, penderent, et legitime sacramenta acciperent.

VIII. Id ita factum est; tamen alicubi, quamvis quaelibet paroecia suos certos fines, et quilibet parochus suos certos parochianos haberet; nihilominus, ob defectum templi, accidit ut in una eademque ecclesia plures, et interdum omnes oppidi parochi, ministeria sua exercerent.

734. **Corollarium. Parochi sunt institutionis ecclesiasticae.** — Ex dictis infertur fundamento destitui sententiam, nunc jam antiquatam, quae tenuit parochos ex institutione divina processisse, et esse veluti successores 72 discipulorum quos D. N. Jesus Christus ad praedicandum Evangelium misit. Quo ex errore alium deducebant, vid. parochum *ex jure divino* in foro externo jurisdictionem habere, et, saltem in synodo dioecesana, una cum Episcopo, legislatores esse.

Ut modo vidimus, praeter Episcopum, nemo alius est parochus ex institutione divina; Episcopus autem, prout tractu temporis id necessitas servitii ecclesiastici requisivit, partem suae curae certis sacerdotibus commisit, primum ad tempus, deinde facto ex hoc officio beneficio perpetuo.

ARTICULUS V

PAROCHI QUALITATES. — AMOVIBILES ET INAMOVIBILES PAROCHI

735. **Parochi qualitates.** — I. Ut *valide* quis in parochum assumatur, debet esse sacerdos (*can.* 453, § 1). Usque ad promulgationem praesentis Codicis sat erat si intra annum ab assumptione sacerdos fieri posset.

II. Ut assumptio seu nominatio sit licita, requiritur insuper ut sit bonis moribus, doctrina, zelo animarum, prudentia, ceterisque virtutibus ac qualitatibus praeditus, quae, tum jure communi tum particulari, ad vacantem paroeciam cum laude gubernandam requiruntur (*Ibid.*, § 2).

736. **Parochorum stabilitas.** *a*) **Inamovibiles et amovibiles parochi.** — Qui paroeciae administrandae praeficiuntur ut proprii ejus rectores, stabiles in ea esse debent. Possunt, tamen, ab ea removeri ad normam juris (*can.* 454, § 1).

Non omnes parochi eamdem obtinent stabilitatem: qui majore gaudent, *inamovibiles;* qui minore, *amovibiles* appellari solent (*Ibid.*, § 2).

b) **Parochus amovibilis aut inamovibilis ratione paroeciae.** — Paroeciae *inamovibiles* nequeunt amovibiles reddi sine beneplacito apostolico (*Ibid.*, § 3). *Amovibiles* possunt ab Episcopo (non tamen a Vicario Capitulari) *de* Capituli Cathedralis *consilio*, inamovibiles declarari.

Paroeciae ex novo erigendae debent esse *inamovibiles.* Ad prudens tamen Episcopi arbitrium relinquitur ut attentis peculiaribus locorum et personarum adjunctis, *audito Capitulo*, eas amovibiles constituat (*Ibid.*).

Quasi-paroeciae omnes sunt amovibiles (*Ibid.*, § 4).

737. **Parochus amovibilis ratione personae.** — Parochi ad religiosam familiam pertinentes, sunt semper, ratione personae, *amovibiles ad nutum.* Eos removere potest non solum Ordinarius loci, sed etiam Superior, monito Ordinario. Uterque in re aequo jure procedere potest, non requisito alterius consensu; nec alter alteri causam judicii sui aperire, multoque minus probare tenetur (*Ibid.*, § 5).

Utrique tamen datur recursus ad Apostolicam Sedem, non in suspensivo, sed in devolutivo tantum (*Ibid.*).

Ratio hujus minoris stabilitatis religiosorum fundatur maxime in subjectione qua religiosus, vi votorum obedientiae et paupertatis, et ratione sui status, pendet a Superiore religioso; ex quibus oritur ipsum jura propria ad beneficium ecclesiasticum acquirere non posse, imo nec jus adeo stabiliter alicui loco adhaerendi, ut Superior eum alio transferre nequeat.

ARTICULUS VI

PAROCHORUM NOMINATIO ET INSTITUTIO

738. **Sede plena.** — Jus nominandi et instituendi parochos competit Ordinario loci, exceptis paroeciis Sanctae Sedi reservatis, reprobata contraria consuetudine, sed salvo privilegio electionis aut praesentationis, si cui legitime competat (*can.* 455, § 1).

Sede vacante. — I. Sede vacante aut impedita ad normam can. 429 (vide *n.* 716), ad Vicarium Capitularem, aliumve qui dioecesim regat, spectat: 1.° Vicarios paroeciales (aut economos et regentes) constituere ad normam can. 472-476; 2.° confirmare electionem aut acceptare praesentationem ad paroeciam vacantem, et institutionem electo aut praesentato concedere; 3.°, paroecias liberae collationis conferre, si Sedes ab anno saltem vacaverit (*can.* 455, § 2).

II. Horum nihil Vicario Generali competit sine mandato speciali, salvo praescripto can. 429, § 1 (*can.* 455, § 3) de Sede vacante aut impedita; tunc enim videtur posse quidquid potest Vicarius Capitularis.

739. **Paroeciae religiosis concreditae.** — Ad paroecias religiosis commissas (ut accidit, v. gr., in insula Mindanao), Superior cui ex constitutionibus id competit, sacerdotem suae religionis praesentat Ordinario loci, qui eidem, servato praescripto can. 459, § 2, institutionem concedit (*can.* 456).

Supponit canon paroeciam alicui religioni commissam esse, quod evenire solet in regionibus ubi adhuc ex parte regimen Missionum retinetur, prout antea de dioecesibus religioni alicui com-

missis dictum est (vide *n.* 671), aut ubi deest clerus saecularis, etc.

Quasi-parochos e clero saeculari proprius loci Ordinarius nominat, *audito Consilio* missionariorum, de quo in can. 302 (*can.* 457). Vide *n.* 605, *d*).

740. **Tempus provisionis faciendae.** — Vacanti paroeciae Ordinarius intra *sex menses* utiles, ad normam can. 155, providere debet, nisi peculiaria locorum ac personarum adjuncta, prudenti suadeant Ordinarii judicio, collationem tituli paroecialis differendam (*can.* 458).

741. **Conferendae sunt magis idoneis.** — I. Loci Ordinarius, graviter onerata ejus conscientia, obligatione tenetur vacantem paroeciam illi conferendi, quem magis idoneum ad eam regendam habuerit, sine ulla personarum acceptione (*can.* 459, § 1).

II. Ad judicandum de majore idoneitate, ratio habenda est, non solum doctrinae, sed etiam earum omnium qualitatum quae ad paroeciam vacantem rite regendam requiruntur (*Ibid.*, § 2).

III. Ad hoc loci Ordinarius debet: 1.° *a*) ex archivo Curiae documenta, si quae sint, desumere quae clericum nominandum respiciunt; *b*) notitias, secretas quoque, si opportunum judicaverit, prudenter exquirere, etiam ex locis extra dioecesim; 2.°, prae oculis habere praescripta can. 130, § 2, de anteponendis, ceteris paribus, iis qui in triennali specimine excelluerunt; 3.°, clericum examini super doctrina coram se et *examinatoribus synodalibus* subjicere. Ab hoc examine, *de consensu* eorumdem examinatorum, potest Ordinarius candidatum eximere, si agatur de sacerdote doctrinae theologicae laude commendato (*Ibid.*, § 3, 1.°, 2.°, 3.°). Censemus Codicem in modo quo hujusmodi tribunal constituitur, et sententiam suam profert, nihil innovare. Vide *nn.* 743, 744, 750.

ARTICULUS VII

CONCURSUS PAROECIALES: CONCURSUS SPECIALES

742. — In regionibus in quibus provisio paroeciarum fiat *a*) per concursum *specialem* ad normam const. Ben. XIV, *Cum illud*, 14 dec. 1742, aut *b*) per concursum *generalem*, haec forma retinenda est, donec Sedes Apostolica aliter decreverit (*can.* 459, § 4).

Duplex concursus species. — Ut ex § 4 hujus can. apparet, Codex duplicem speciem concursus distinguit, specialem nempe, et generalem; utrumque autem, ubi vigeat, subsistere vult, saltem in praesenti.

Tum Concilium Tridentinum, tum Ben. XIV, const. *Cum illud*, 14 dec. 1742 (quam can. allegat, et ad calcem codicis in doc. IV, integra exscribitur), supponunt *pro qualibet paroecia vacante specialem* concursum instituendum esse.

743. **Candidatorum approbatio.** — Tam si concursus specialis, quam si generalis sit, conditio essentialis ad collationem est ut candidatus, praevio specimine coram tribunali examinatorum synodalium, ab ipsis approbetur. Si autem non approbatur, Ordinarius ei nullam paroeciam conferre potest, praeter casum (qui disciplinam novam constituit), a Codice statutum can. 459, § 3, 3.°, (*n.* 741, III), juxta quem Episcopus ab examine aliquem *eximere* potest, *de consensu* tamen examinatorum, et ubi de sacerdote agitur doctrinae theologicae laude commendato.

744. **Tribunal.** — Jure communi, tribunal constituitur ex Ordinario, et (sub poena nullitatis) *tribus* saltem examinatoribus synodalibus. Episcopus aut Vicarius Generalis vocem in concursu non habent nisi ubi suffragia sint paria, et tunc eorum suffragium est decisivum (*in Tarvisina*, lib. Decret., *pag.* 86). Si ex tribus examinatoribus, duo approbent et tertius reprobet, vel contra, duo reprobent et tertius approbet, judicium duorum firmum est quin Episcopus aut Vicarius Generalis suffragio suo rem mutare valeant. S. C. C., in lib. Decret. *pag.* 158, *in Aurien.*, 11 jan. 1594; *lib.* 8 Decr., *pag.* 2, *in Tarvisina*, l. c.

Rota Romana concursum irritum declaravit, eo quod duo tantum judices adessent cum praeside, Episcopi delegato (10 febr. 1910). *Acta*, II, 128 *seq.*

In **Hispania** tribunal generatim octo judicibus constat, praeter praesidem, sc. Episcopum aut Vicarium ejus Generalem.

Jusjurandum examinatorum. — Ex Tridentino, hi judices jurare debent super sancta Evangelia de officio fideliter adimplendo, posthabito omni humano respectu. Jusjurandum aut in eadem synodo, aut coram Episcopo aut ejus Vicario Generali praestandum est. Cfr. *Ben. XIV*, De Synodo, *lib.* 4, *c.* 7, *n.* 6.

Defectus hujus requisiti nullitatem concursus afferret (1).

Haec est norma pro concursu ad paroecias in Tridentino proposita.

Nonnullarum tamen regionum disciplina, et etiam disciplina generalis Hispaniae, duplici capite, hispanarum autem quarumdam dioecesum tertio etiam capite, eoque gravissimo, a praedicta norma differunt.

Haec tria capita sunt concursus generales, propositiones successivae, et examinatorum judicium, quod in pluribus dioecesibus de candidati tantum scientia profertur.

---

(1) S. C. C. *in Ilicen.*, 9 mart. 1629, *lib.* 14 Decret., *pag.* 279; *in Bisinianen.*, 2 dec. 1628, *lib.* 13 Decr., *pag.* 571; *in Pennen.*, 23 jun. 1708, *lib.* 58 Decr.; *in Militen.*, 21 jul. 1753, apud *Pallottini*, v. Concursus, § 1, *nn.* 289, 290 (*pag.* 545). Cfr. etiam *Ferraris*, v. Examinatores *n.* 30 *seq.*

ARTICULUS VIII

CONCURSUS GENERALES: PROPOSITIONES SUCCESSIVAE, ETC.

745. **Concursus generales.** — In **Hispania** concursus est generalis pro omnibus paroeciis vacantibus, et etiam pro his quae postea vacaverint, donec secundae, imo tertiae propositiones factae sint.

Potest quodammodo dici dari concursum singularem *pro qualibet paroecia*, quia postquam candidati approbationem obtinuerunt, advocantur ut paroeciam quam praetulerint designent; unde pro singulis paroeciis plures adsunt candidati, qui veluti singularem concursum illius paroeciae constituunt. Qui tamen solum *respective* singularis concursus vocari potest, ut jam innuimus, haud enim raro candidatis datur, non ea quidem paroecia quam ipsi optaverant, sed ea quam non postulaverant, et ab aliis fuerat expetita.

746. **Horum concursuum legitimitas.** — Concursus generales S. C. C. positive probaverat, nunc autem Codex eos probat.

Nec solum in Hispania fiunt ex consuetudine concursus generales, sed etiam in Austria et Germania. In aliis regionibus, ut in Belgio et in Gallia, fiunt, ut videtur, specimina de sola scientia semel aut bis singulis annis, ad quae illi omnes concurrunt qui paroecias expetunt; approbatio autem ibi obtenta jus tribuit quamcumque paroeciam optandi quae sequentibus sex annis vacaverit; quibus elapsis, examen iterum subire debent (1).

Vigere etiam in pluribus dioecesibus extra Hispaniam hanc consuetudinem non solum concursus generalis, sed etiam separati examinis scientiae a ceterarum qualitatum examine, in documento Instructionis S. C. de Propaganda Fide 10 oct. 1884 satis innuitur.

Indultum huic simile concessit S. C. pro Neg. extr. ann. 1857 dioecesi Viennensi in Austria. Cfr. *Acta S. Sedis*, *vol.* 37, *pag.* 647, ubi alia similia commemorantur.

747. *a*) **Secundae et tertiae propositiones** (2): **earum legitimitas.** — Secundae et tertiae propositionis usum legitimum esse, negari non potest, tum quia generalissimus est in Hispania, quin contra eum unquam reclamatum sit, tum quia in aliis regionibus

---

(1) Cfr. *Wernz*, l. c., *vol.* 2, *n.* 827; *Aichner*, Comp., § 26; *Sebastianelli*, Praelect. jur. can., *vol.* 2, *n.* 260; *Bargilliat*, Praelect. jur. can., *n.* 863; *Prümer*, Manuale jur. eccles., *vol.* 1, *q.* 78; *Laurentius*, Inst. jur. eccles., *n.* 262.

(2) In prima propositione fit provisio paroeciarum vacantium cum concursus indictus fuit, itemque generatim earum quae usque ad finem concursus vacant; advocantur etiam approbati ut paroeciae quam optant subscribant. In secunda, fit provisio paroeciarum postea vacantium, sive ex effectu primae provisionis, sive alia de causa; in tertia, earum quae ex 2.ª vacant, etc.

etiam viget, ubi unicum examen aut concursus pro sex annis post examen sequentibus sufficit, et ex Indultis *n.* 746 allegatis.

Praeterea, hunc usum probavit S. C. C., 5 mart. 1892.

Difficultas canonice loquendo in eo esse posset, quod, vi concursus, fieret provisio paroeciarum quae nondum vacaverant cum concursus factus est: id quod, ut vidimus, non in Hispania solum, sed in pluribus nationibus accidit, et probatum videtur jam a S. C. C., 17 junii 1775. Cfr. *Pallottini*, v. Concursus, § 1, *n.* 340 *seq.*; *pag.* 554 *seq.*

Provisionem fieri sive propositionibus ad patronum evectis, sive libera Ordinarii nominatione, rei substantiam non mutat.

b) **In Hispania** propositiones ad Regem, ut ad patronum, evehuntur.

Disciplina concordata de provisione paroeciarum in Hispania, in art. 26 Concordati an. 1851 sic traditur:

«Parochiis omnibus, absque ullo prorsus ad loca, classes et vacationis tempus respectu, providebitur publico indicto concursu, servata norma a Sacro Concilio Tridentino praescripta; efformatisque per Ordinarios ternionibus ex concurrentibus adprobatis, qui ad Majestatem Suam deferentur, ut inter propositos nominare queat. Cessabit idcirco patrimonialitatis et exclusionis seu praelationis privilegium, quo ad parochias aliaque beneficia assequenda, nonnullis in partibus, patrimoniales fruebantur.

Parochiis ecclesiastici patronatus providebitur nominante patrono inter tres, quos, enunciata superius forma, Episcopi proposuerint: iis vero quae patronatus laicalis sunt, nominante item patrono inter eos qui in publico propriae dioecesis concursu adprobatos se fuisse doceant, praefixo ad hoc non valentibus quatuor mensium spatio, ut adprobationem praedicto modo assecutos ese demonstrent, ac salvo semper Ordinarii jure praesentatum a patrono examinandi, si quidem ita conveniens censuerit.

Parochiarum Coadjutores ab Ordinariis, praevio synodali examine, nominabuntur.»

ARTICULUS IX

CAPUT IN DISCIPLINA HISPANA DIFFICILE

748. — Res in disciplina hispana difficillima, quaeque contra hispanos concursus opponitur, ea est, examinatores plurium dioecesum de *scientia tantum* candidati *judicium ferre*, non autem de ceteris qualitatibus, sc. de aetate, moribus, prudentia, servitiis Ecclesiae praestitis, meritis, etc.; Sacra autem Congregatio saepius declaravit, judicium examinatorum, non de scientia solum, sed de ceteris etiam qualitatibus esse ferendum, adeo ut secus concursus *irritus* sit (1).

---

(1) *Ben. XIV*, Const. *Cum illius;* S. C. C., 2 aug. 1607; *in Urbinaten.*, an. 1601, et 23 jun. 1605; *in Hydruntina*, 19 jun. 1638; *in Spoletana*, 8 apr. 1848, 26 jan., 23 febr., 18 maj., 22 jun. 1850 (*Thes. Resol. S. C. C., vol.* 108, *pag.* 128, 415; *vol.* 109, *pag.* 14, 48, 184, 218.); *in Lari-*

Imo, in quodam concursu, ubi examinatores de scientia et ceteris qualitatibus unius e concurrentibus, et tantum de scientia alterius judicaverant, concursus a S. C. C. nullus declaratus est.

749. **Judicium definitivum de majore idoneitate ad Ordinarium, non vero ad examinatores, pertinet.** — Notandum tamen judicium quo definitur quis ad certam paroeciam *dignior* sit, ad Episcopum, aut ad patronum, etc., non vero ad examinatores spectaret, licet concursus pro una tantum certa paroecia fiat, ut Tridentinum innuit, et pluribus S. C. C. declarationibus confirmatum est, quas apud *Ferreres* videre est (*Razón y Fe*, *vol.* 38, *pag.* 108, *nn.* 58-62).

Examinatores igitur, juxta Tridentinum, judicare profecto debent, quinam ex concurrentibus, habita ratione eorum scientiae, pietatis, prudentiae, zeli, meritorum, etc., apti sint necne ad paroeciam in genere, aut etiam ad certam paroeciam regendam: et ex eorum judicio elici poterit, saltem ad scientiam quod attinet, quinam inter aptos aptiores sint ad quamlibet paroeciam in genere regendam; at ad Praelatum spectat resolvere quinam ad hanc determinatam paroeciam regendam aptior sit.

In concursu *generali*, unica ratio qua examinatores judicare possint est ut de aptitudine ad paroeciam *indeterminatam* regendam judicium ferant. Quod si ad majorem aptitudinem *pro paroecia determinata* judicium examinatorum protendatur, eorum sententia est merum consilium, quod Ordinarius sequi non tenetur. Vide *García*, De Beneficiis, *part.* 9, *cap.* 2, *n.* 108.

In provincia ecclesiastica Mediolanensi examinatores suffragium dant de paroecia *singulari* et *determinata*, adeo ut judicent et praejudicent num candidatus aptus sit necne ad hanc determinatam paroeciam regendam; qui autem judicio negativo afficiuntur, paroecia excluduntur, licet ad *alias* regendas forte apti forent.

750. **Disciplina hispana legitima est.** — Ad comprobandum usum hispanum, validum argumentum vel saltem praesumptio sunt concursus generales de quibus diximus *n.* 746, in quibus profecto examen de doctrina ab examine de ceteris qualitatibus separatur, licet examinatores postea examen illud compleant.

Nos vero, in responsionibus datis pluribus consultationibus de hac re ad nos directis, semper in favorem validitatis talis concursus inclinavimus.

---

nen., 2 sept. 1758 (*Thes. Resol. S. C. C.*, *vol.* 27, *pag.* 63, 84); *in Benevent.*, 26 jan. 1878; *in Viterbien.*, 4 maj. 1878; *in Laquedonien.*, 8 jun. 1904, allegata *vol.* 164 *Thes. Resol. S. C. C.*, *pag.* 625. Cfr. *Pallottini*, v. Concursus, § 2, *n.* 132 *seq.* Vide item *Ben. XIV*, De syn., *c.* 8, *n.* 3; *Il Monitore*, *vol.* 17, *pag.* 296; *vol.* 24, *pag.* 452.

Doctissimus etiam Archiepiscopus Tarraconensis, D. López Peláez, sic scribit: «En varias (diócesis de España), por virtud de la costumbre, los examinadores sinodales juzgan sólo de la ciencia de los opositores, no obstante que los Papas, la Rota Romana, la Congregación del Concilio y los autores tienen por nulo el acto.» El Derecho y la Iglesia, § XLVIII (*pag.* 509, ed. 3.ª).

Ut minimum enim, consuetudo immemorialis pro hujusmodi usu adesse videtur; consuetudo autem ipsa legitima censenda est, siquidem Rota Romana saepius per sententiam definivit paroecias patronatus ecclesiastici posse conferri nullo habitu concursu, ubi consuetudo immemorialis exstaret, prout Card. *Lega* testatur (1).

Si igitur talis consuetudo usum tradendi paroecias sine concursu legitimum reddere valet, potiore ratione legitimum reddet usum eas tradendi per concursum, etiamsi imperfectum.

Praeterea, Codex ad hoc tendere videtur, siquidem can. 459, § 3, 3.° tantum innuit examen coram Ordinario et examinatoribus de doctrina faciendum esse.

Reliqua soli Ordinario committi videntur, ut ex dicto canone 459, § 1, 2, 3, 1.°, 2.° infertur.

ARTICULUS X

APPELLATIONES

751. — Concurrentes qui in provisione per concursum, sive generalem, sive particularem, gravatos se esse existiment, possunt intra *decendium* appellare, non in suspensivo, sed in devolutivo tantum, tam contra malam examinatorum relationem, quam contra irrationabile Episcopi judicium, prout id Sanctus Pius V concessit, const. *In conferendis*, 18 mart. 1567.

Appellatio coram Ordinario a quo appellatur interponenda est. Decendium computatur ab intimatione judicii de specimine, aut a collatione paroeciae, a cognito nempe gravamine a quo fit appellatio. Elapso hoc tempore, appellatio non admittitur. *Pallottini, vol.* 6, *pag.* 363 *seq.*

Ordinarius *a quo* appellatur appellationem mittit tribunali *ad quod* (sc. Metropolitano, Episcopo viciniori, Sanctae Sedi), simul cum actis originalibus concursus, clausis et obsignatis, aut earum authentico apographo.

Difficultates quibus olim appellationes erant obnoxiae. — Hujusmodi appellationes gravibus difficultatibus erant obnoxiae, quoniam generatim examen erat tantum orale, et singulis concurrentibus diversae et non uniformes quaestiones proponebantur, etc.

Quare poterant aliqui ex examinatis conqueri sibi difficiliora, ceteris faciliora esse proposita; aut sibi, licet exactius respondentibus, praelationem tamen datam non fuisse, etc. Haec autem comprobare difficile admodum erat, praesertim vero hoc postremum: cum enim examen verbo fieret,

---

(1) «S. Rota initio elapsi saeculi pluries decidit, Parochiales de jure patronatus ecclesiastico, stante immemorabili consuetudine in contrarium, non esse providendas per concursum. *Pitonius*, De Controversiis Patron., *alleg.* 5, *n.* 2» (*Lega*, De judiciis, *vol.* 2, *alleg.* III, *pag.* 494).

de responsis non constabat, aut ad summum constabat interdum ex relatione secretarii qui ex officio eas transcripserat; facile autem perspicitur eum, oblivione, attentionis defectu aut alia de causa, alteri plus quam alii favere potuisse.

Si novum institueretur specimen, patet hoc non semper eumdem exitum ac primum habiturum, nova enim ex utraque parte praeparatio praecederet, itemque evenire posset ut adjuncta non aeque singulis faverent; examinatores autem et Praelatus non ex futuro, sed ex praeterito examine judicare debebant.

Facile item candidatus posthabitus victori molestiam inferre (ad difficultates dumtaxat ei creandas), eumque ad novum examen, longa itinera, etc., obligare posset.

His et aliis difficultatibus perpensis, quas eximie elucubrata dissertatione Prosper Lambertini (postea Ben. XIV), S. C. C. tunc Secretarius exposuerat, decrevit haec S. Congregatio an. 1720 sub titulo *dubia in abstracto,* in posterum oportere ut in concursu omnibus concurrentibus eaedem interrogationes eademque proponerentur exercitia, quibus omnes scripto satisfacerent, ut hujusmodi exercitia appellationibus fundamentum praebere possent, appellationes vero ipsas intra decendium interponi jussit.

Lambertinianam dissertationem et Sacrae C. Congregationis resolutionem secuta est Instructio Clementis XI, per eamdem S. C. Congregationem communicata, quae in allegata const. Ben. XIV *Cum illud* videri potest.

752. **In praesenti omnis appellatio actis inniti debet.** — Ex hac Instructione locus adhuc novo specimini remanebat; at Ben. XIV, memorata const. *Cum illud*, § 16, *nn.* II, VI (*pag.* 502 ed. 1.ae Codicis), Instructionem in hac parte derogavit, nec novum examen admisit. Inde jam omnis apellatio *concursus actis* inniti debet nec nova documenta admittuntur.

Hinc etiam sequitur examinatores in suffragio ferendo rationem habere debere scientiae et meritorum aut defectuum quae in concursu apparent, non autem rerum quae aliunde ipsis notae sint. Cfr. *Pallottini*, v. Concursus, § 2, *nn.* 57, 59 *seq.*

753. **Ordinarius tamen rationibus duci potest quae in actis non apparent.** — Contra vero, Ordinarius, in eligendo aptiore inter probatos, secretis rationibus duci potest.

In § 16, *n.* VII (*pag.* 504 Codicis) docet Ben. XIV fieri posse ut Ordinarius secretis rationibus motus fuerit ut eum qui ex relatione aptior apparet non elegerit, proindeque posse eumdem Ordinarium reservatis litteris de hoc judicem appellationis instruere; hunc autem Papa monet magni faciendum tale Ordinarii testimonium. Normae etiam ibi traduntur pro casu quo Ordinarius ad Praefectum S. C. C. opportunius recurrendum duxerit.

Potest igitur Episcopus ex rationibus secretis moveri quas concurrenti pandere non teneatur (Cfr. S. C. C., *Laquedonien.*, 20 mart. 1905: *Thes. Resol.* S. C. C., *vol.* 164, *pag.* 624), quasque opportunius censeat Sanctae Sedi dumtaxat aperire, quae appellationem ad se avocare, eamque decidere poterit.

Usque adeo secretis rationibus Praelatus duci poterit, ut vi illa-

rum etiam ab interventu in concursu aliquem ex oppositoribus excludat, licet testimonia valde faventia et legitima pro se habeat. Cfr. S. C. C. *in Tridentina*, 30 mart. 1743 (*Thes. Resol.* S. C. C., *vol.* 12, *pag.* 66).

Tum hoc, tum effectus appellationis in devolutivo tantum, non in suspensivo, argumento sunt appellationes hujusmodi ordinis potius esse disciplinaris quam contentiosi, praesertim ubi appellatur ab indiscreta ratione agendi Praelati; itemque ostendunt Praelatum forte rationes habere sufficientes ut negotium ad S. Congr. directe deferat.

754. **Appellatio a mala relatione examinatorum.** — Appellatio fieri solet *a*) aut a mala examinatorum relatione, aut *b*) ab irrationabili Ordinarii judicio.

Cum appellatio est a mala examinatorum relatione, praesertim si de doctrina dumtaxat in relatione sermo sit, facilius res in contentiosam lineam transit, et probabilitas boni exitus appellationis augetur.

Hujusmodi appellationis exemplum adest in causa *Beneventana*, *Concursus*, 22 maj. 1875, ubi ab examinatoribus rejecta fuerant exercitia litteraria trium omnium concurrentium, quare ad ceterorum requisitorum examen non processerunt.

Unus ex concurrentibus judicio acquieverat, at duo alii ab Archiepiscopo ad S. C. C. appellarunt. Haec acta concursus ad se deferri jussit, ea perpendit, requisito item voto doctoris theologi, et tandem utrumque oppositorem approbavit, relicta provisione in manu Summi Pontificis.

Notandum est ibi de Poenitentiariae canonicatu litem esse, cujus provisio illic concursui paroeciali similis est. Vide *Thes. Resol. S. C. C.*, *vol.* 134, *pag.* 412 *seq.*, ubi acta concursus adsunt, itemque examen et judicium de responsionibus a consultore theologolatum.

In causa *Rheginen.*, 12 sept. 1761, pro vacante paroecia quatuor accesserant concurrentes, qui omnes quatuor rejecti sunt. Hyacinthus Capparella, unus ex eis, appellavit; quo non obstante, Vicarius Capitularis novum concursum indixit, et vacantem paroeciam uni ex novis concurrentibus assignavit. Sacra Congr. declaravit, malam fuisse examinatorum relationem, et paroeciam, annullato secundo concursu, Capparellae adjudicandam esse.

755. **Appellatio ab irrationabili Ordinarii judicio.** — Contra irrationabile Ordinarii judicium raro cum spe boni successus appellatur, nisi forte injustitia valde evidens esset; omnis enim praesumptio juris pro eo militat, et in casu dubii semper ejus resolutio confirmatione roborabitur. Cfr. *Pallottini*, v. Concursus, § 2, *nn.* 250, 252, 253.

Verum est Ordinarium obligatione conscientiae teneri (idque,

saltem in concursu particulari, *ex justitia*) ad aptiorem eligendum; attamen ut cum spe vincendi quis appellationem interponat, non sufficit eum aptiorem se electo aestimare, nec etiam sufficit eum de facto talem esse, sed requiritur praeterea *ut id demonstret*, quod haud facile est, imo interdum est valde difficile.

Quod quis autem, praesertim in Hispania, ideo appellet, quia cum in examine de scientia altiorem gradum attigerit, alteri postpositus sit in gradu inferiore ex publica declaratione collocato, haud temeritate caret, si hoc dumtaxat fundamento appellatio nitatur: saepius enim decisum est eum qui minus doctus est ab Ordinario eligi posse, si ratione ceterarum qualitatum aptior ad determinatam paroeciam regendam inveniatur. Cfr. *Pallottini*, l. c., *n.* 178, *pag.* 592 et 181.

Nec solum scientia inferiorem, sed etiam eum qui in specimine cumulativo scientiae et meritorum inferior habitus est, eligere potest Ordinarius; rationibus enim duci potest sibi tantum notis. Cfr. *Pallottini*, l. c., *nn.* 275, 276 (*pag.* 610).

Non desunt tamen sententiae S. C. C. quibus Episcopi judicium ut irrationabile notatum est, collata paroecia oppositori appellanti. Vide causam *Urbinaten.*, Concursus, 28 mart. et 18 april. 1733 (*Pallottini*, l. c., *n.* 325 *seq.*); *in Aesina*, Concursus, 18 maji 1736 (*Ibid.*, 328 *seq.*).

De hac materia cfr. *Ferreres*, apud *Razón y Fe*, *vol.* 37, *pag.* 518 *seq.*; *vol.* 38, *pag.* 102, *seq.*; *vol.* 39, *pag.* 97 *seq.*

ARTICULUS XI

PRAELATI «NULLIUS» ET PROVISIO PAROCHIARUM: MUTATIO MAGNOPERE NOTANDA

756. — Magnopere notanda est mutatio quaedam in praesenti materia facta.

Juxta disciplinam vigentem ante Codicem, Praelatis *nullius* jus nullum erat (licet interdum ipsis ad hoc privilegium concederetur) synodum dioecesanam e proprio territorio convocandi. Et quoniam examinatores synodales in synodo eligendi erant, his carebant; unde nec parochos pro paroeciis sui territorii designare poterant; paroeciae enim praevio concursu et examine coram examinatoribus synodalibus erant conferendae.

Hinc jus parochos approbandi pro paroeciis abbatiae aut praelaturae *nullius*, ad viciniorem Episcopum spectabat. Cfr. *Ben. XIV*, De syn., *lib.* 2, *c.* 11; *Wernz*, l. c., *vol.* 2, *n.* 818, *not.* 31; *Sanguineti*, l. c., *n.* 350, IV, *a*.

Ad Praelatum *nullius* dumtaxat pertinebat collatio aut institu-

tio canonica parochorum ab Episcopo approbatorum, quin ipse approbationem immutare posset. S. C. C., 15 dec. 1696: ap. *Ferraris*, Biblioth., v. Concursus, *a.* 2, *n.* 5.

757. — Noster Codex funditus hanc disciplinam vi can. 216, § 2, (vide *n.* 382) mutavit, ubi, ex jure, nomine dioecesis significatur etiam abbatia aut praelatura *nullius*, et nomine Episcopi Abbas etiam aut Praelatus *nullius*, nisi ex natura rei aut ex contextu aliud constet.

758. — Itaque, ex norma generali, Praelatus *nullius* Episcopo aequiparatur in juribus et officiis, et quidquid hic potest in sua dioecesi, potest et ille in suo territorio *nullius*.

Unde infertur, posse eum et debere synodum dioecesanam (territorii nempe *nullius*) cogere, synodales examinatores et parochos consultores eligere; hos extra synodum nominare, ea forma qua Episcopus potest; concursus paroeciales celebrare, paroecias conferre, etc., eodem modo ac ea omnia Episcopus in propria dioecesi facere valet.

ARTICULUS XII

PAROCHUS UNICUS, FUNCTIONES RESERVATAE, EMOLUMENTA, EXEMPTIONES

759. I. **Unica debet esse paroecia, et unicus parochus.** — Parochus, ad normam can. 156 de officiis incompatibilibus, unam tantum titulo seu propriam paroeciam habere potest, nisi de paroeciis agatur aeque principaliter unitis (*can.* 460, § 1).

In qualibet paroecia unus *tantum* debet esse parochus qui actualem animarum curam gerat, reprobata contraria consuetudine et revocato quolibet contrario privilegio (*Ibid.*, § 2). Vide antea dicta *n.* 733, VII.

II. **Quo tempore curam animarum parochus obtinet.** — Curam animarum parochus obtinet a momento captae possessionis ad normam can. 1443-1445 (*can.* 461).

Professio fidei. — Ante possessionem aut in ipso possessionis capiendae actu fidei professionem edere debet de qua in can. 1406, § 1, *n.* 7 (*Ibid.*).

760. III. **Functiones proprie paroeciales seu parocho reservatae.** — Sunt sequentes:

1.° *Baptismum* conferre solemniter; 2.° Sanctissimam *Eucharistiam* publice ad infirmos in propria paroecia deferre; 3.° *Sanctum Viaticum* publice aut privatim ad infirmos deferre, eisque Extremam Unctionem ministrare, salvo praescripto can. 397, *n.* 3, de ministro Viatici et Extremae Unctionis pro Episcopo; 514, de ministro in eodem casu pro religiosis utriusque sexus; 848, § 2 et

938, § 2, de casibus urgentibus et de licentia rationabiliter praesumpta; 4.° sacras ordinationes et ineundas nuptias *denuntiare;* matrimoniis assistere; nuptialem benedictionem impertiri; 5.° *exequias* celebrare ad normam can. 1216; 6.° *domibus* ad normam librorum liturgicorum *benedicere* Sabbato Sancto vel alia die pro locorum consuetudine; 7.° *fontem baptismalem* in Sabbato Sancto benedicere, publicam processionem extra ecclesiam ducere, benedictiones extra ecclesiam cum pompa ac solemnitate impertiri, nisi agatur de ecclesia capitulari, et Capitulum has functiones peragat (*can.* 462).

IV. **Emolumenta.** — *a*) Jus est parocho ad emolumenta seu praestationes quas ei tribuit vel probata consuetudo vel taxatio (*aranceles*) ad normam can. 1507 (*can.* 463, § 1). Agitur hic de juribus dictis *stolae* et *altaris* (estola y pie de altar). Si haec ultra praescriptum exigeret, ad excessum restituendum teneretur (*Ibid.*, § 2).

b) Licet paroeciale aliquod officium ab alio fuerit expletum (si, v. gr., delegatus a parocho matrimonio astiterit), praestationes tamen parocho cedunt, nisi de contraria offerentium voluntate certo constet circa summam quae taxam excedit (*Ibid.*, § 3) (constet nempe eum velle excessum tribui assistenti matrimonio, exercenti actum, etc.).

c) Parochus *gratuito* hujusmodi ministeria exercere debet si de *pauperibus* agitur qui dicta jura aut oblationes solvere nequeunt (*Ibid.*, § 4).

In **Hispania**, jura stolae ac altaris partem dotis parochorum et coadjutorum constituunt, juxta art. 33 Concordati, et coram civili tribunali exigi possunt. Vide *Elías de Molins*, Manual de derecho administrativo, etc., *pag.* 173 *seq.*, praesertim *pag.* 176 *seq.*; *Pellicer y Guiu*, l. c., 426 *seq.*, 437 *seq.*

V. **Exemptiones.** — Parochus ex officio tenetur curam animarum exercere in omnes suos paroecianos qui non sint legitime exempti (*can.* 464, § 1).

Potest Episcopus justa et gravi de causa religiosas familias et pias domos quae in paroeciae territorio sint et a jure non exemptae, a parochi cura subducere (*Ibid.*, § 2).

ARTICULUS XIII

PAROCHI RESIDENTIA ET VACATIONES

761. I. **Parochi residentia.** — Parochus obligatione tenetur residendi in domo paroeciali prope suam ecclesiam (*can.* 465, § 1).

Loci tamen Ordinarius potest justa de causa permittere ut alibi commoretur, dummodo domus ab ecclesia paroeciali non ita distet ut paroecialium perfunctio munerum aliquid inde detrimenti capiat (*Ibid.*).

II. **Vacationes.** — Eidem abesse permittitur per duos ad summum intra annum menses sive continuos sive intermissos. Potest tamen Ordinarius, ex gravi causa judicio ipsius, parocho diuturniorem absentiam permittere, vel etiam bimestrem juxta rei naturam coarctare (*Ibid.*, § 2).

In his duobus mensibus *non* computantur dies quibus parochus *exercitiis spiritualibus* vacat ad normam can. 126 (vide *n.* 276, 2.°), quos semel quolibet anno peragere *potest* (*can.* 465, § 3), quin praedicti dies ut vacationis ipsi computentur (vide *n.* 711, 7.°).

III. **Licentia, substitutus.** — Sive continui sive intermissi duo hi menses sumantur, cum absentia ultra hebdomadam est duratura, parochus debet: *a)* scriptam ab Ordinario licentiam obtinere, et *b)* vicarium substitutum sui loco relinquere ab eodem Ordinario probandum (*can.* 465, § 4).

IV. **Parochus religiosus.** — Si parochus sit religiosus, *a)* indiget praeterea consensu Superioris, *b)* et substitutus tum ab Ordinario tum a Superiore probari debet (*Ibid.*).

V. **Absentia ex causa urgenti.** — Si parochus repentina et gravi de causa discedere cogatur (v. gr., ob telegraphicum nuntium de gravissimo morbo matris suae in loco sat dissito) quamprimum per litteras Ordinarium monere debet, ei indicans *a) causam* discessus, et *b)* sacerdotem *substitutum*. Quo facto parochus mandatis Ordinarii stare debet (*Ibid.*, § 5).

VI. **Absentia brevis.** — Si absentia *hebdomadam non excedat*, peculiaris licentia non requiritur; debet nihilominus parochus fidelium necessitatibus providere, maxime si id peculiaria rerum adjuncta postulent (*Ibid.*, § 6).

ARTICULUS XIV

ALIAE PAROCHI OBLIGATIONES

762. I. **Missa «pro populo».** — *a)* **Parochus** tenetur Missam *pro populo* applicare ad normam can. 339, id est, eodem modo ac Episcopi. Vide *n.* 652. **Quasi-parochi**, ad normam can. 306, id est, saltem decem diebus pro Vicariis Apostolicis assignatis (*can.* 466, § 1). Vide *n.* 608.

b) Parochus qui plures forte paroecias aeque principaliter unitas regat aut, praeter propriam paroeciam, aliam vel alias in administrationem habeat, unam tantum debet Missam pro populis

sibi commissis diebus praescriptis applicare (*Ibid.*, § 2). Vide *n.* 65.

c) Justa de causa, Ordinarius loci permittere potest ut parochus Missam *pro populo* alia die applicet ab ea qua jure adstringitur (*Ibid.*, § 3). Causa sufficiens esse potest si parocho pauperi eo die stipendium offeratur, quo altero die caret.

d) Applicanda est Missa in ecclesia paroeciali, nisi rerum adjuncta eam alibi celebrandam *exigant* aut saltem *suadeant* (*Ibid.*, § 4); ut si, v. gr., populus eo die ad cappellam aut ecclesiam filialem ex devotione concurreret intra paroeciam, ita ut si parochus ibi non celebret, valde probabile sit plures Missam non audituros.

e) Legitime absens parochus potest Missam *pro populo* applicare vel ipse per se in loco in quo degit, vel per sacerdotem qui ejus vices gerat in paroecia (idque parochi expensis) (*Ibid.*, § 5).

Ideo autem Ecclesia Missam *pro populo* per parochum ipsum applicari curat, quia orationes et sacrificia quae pro nobis aut pro specialiter nobiscum conjunctis sanguine, subordinatione aut obedientia, per nosmetipsos offerimus, efficaciora sunt quam si per alios offeramus. Praeterea, plus proficiunt fideles qui Missae pro ipsis applicatae intersunt, quam si alii interessent quae pro eis non applicaretur.

Ubi utrumque obtineri potest, utrumque Ecclesia fieri vult; si vero alterutrum dumtaxat possibile est, discretioni parochi relinquitur quidnam sit eligendum.

763. II. **Sollicitudo erga parochianos.** — Debet parochus officia divina celebrare, administrare divina Sacramenta fidelibus, quoties legitime petant, suas oves cognoscere et errantes prudenter corrigere, pauperes ac miseros paterna caritate complecti, maximam curam adhibere in catholica puerorum institutione (*can.* 467, § 1).

Vicissim monendi sunt fideles ut frequenter, ubi commode id fieri possit, ad suas paroeciales ecclesias accedant, ibique divinis officiis intersint et verbum Dei audiant (*Ibid.*, § 2). Patet hic non de stricta fidelium obligatione sermonem esse.

III. **Peculiaris aegrotantium cura.** — Sedula cura et effusa caritate debet parochus aegrotos in sua paroecia, maxime vero morti proximos, adjuvare, eos sollicite Sacramentis reficiendo, eorumque animas Deo commendando (*can.* 468, § 1).

764. IV. **Moribundi et apostolica benedictio.** — *a*) *Parocho aliive sacerdoti* qui infirmis assistat, facultas est eis concedendi benedictionem apostolicam cum indulgentia plenaria *in articulo mortis*, secundum formam a probatis liturgicis libris traditam, quam benedictionem impertiri curare debent (*Ibid.*, § 2).

b) **Quo tempore benedictio danda.** — Communiter ea datur post accepta Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta; potest tamen etiam dari iis qui sensibus destituuntur ante accepta haec

Sacramenta, idque etsi apparenter mortui sint, dummodo probabiliter vivant; sc. omnibus quibus licite absolutio et Extrema Unctio, etiam *sub conditione*, dari potest.

c) **Quibus dari potest.** — Potest et generatim debet dari pueris, licet nondum primam communionem susceperint, si capaces peccati sint; indulgentiae enim iis tantum qui peccaverunt, graviter vel leviter, proficere possunt. Cfr. *Ferreres*, Las Religiosas, *com.* VII, *n.* 34 *seq.*

d) **Conditiones a poenitente ponendae.** — Si poenitens potest, ante benedictionem debet confiteri ac Viaticum et Extremam Unctionem recipere. Si id non possit, in animo actus contritionis excitare debet. Etiam cum Sacramenta recepit, debet confessor, ante hanc benedictionem, ad actus amoris divini et contritionem de propriis peccatis poenitentem hortari.

Ut conditiones necessariae, sequentes insuper expresse enumerantur:

1.ª Debet aegrotus ore, aut si id non potest, saltem corde, dulcissimum Jesu nomen invocare. 2.ª Debet patienter et tanquam de manu Dei in poenam peccati mortem cum omnibus suis doloribus acceptare. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 39 *seq.*

e) **Formula.** — Formula necessario ad validitatem hujus benedictionis applicanda, ea est quam Rituale Romanum tradit, *tit.* 5, *c.* 6 (*pag.* 113 ed. typicae Ratisbonen. 1913), quam pariter repetunt Breviaria et Diurna recentiora (v. gr. ed. *Desclée*, 1914, Breviar., pars aestiva, *pag.* [240]), post *Ordinem commendationis animae* et ante *Benedictionem mensae*, seu quae a Ben. XIV in memorata const. *Pia mater*, l. c., *pag.* 132, praescripta fuit. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 41 *seq.*

V. **Institutio doctrinalis et opera zeli propria.** — Debet item parochus *a*) diligenter advigilare ne quid contra mores in sua paroecia, praesertim in scholis publicis et privatis, tradatur; *b*) et opera caritatis, fidei ac pietatis fovere aut instituere (*can.* 469).

In **Hispania** parochus jure proprio est pars et suffragator Conventus localis publicae instructionis (R. D. 19 mart. 1875, *a.* 7.º: *Alcubilla*, v. Instrucción pública, *vol.* 6, *ed.* 5.ª, *pag.* 897); obtinet, praeterea, jus et officium invigilandi puritati institutionis et educationis religiosae, visitatis scholis, monito Praelato de defectibus quos inibi animadverterit, ut Praelatus coram Gubernio opportune reclamare possit (Lex publicae institutionis, 9 sept. 1857, *aa.* 295, 296: *Alcubilla*, l. c., *pag.* 810).

Vide alia utilia documenta in opere *Elías de Molins*, Manual de derecho administrativo, *vol.* 1, *pag.* 241-243.

De hac re fructuose consuli potest opus sapientis Archiepiscopi Tarraconensis, *Excmi. López Peláez*, El derecho español en sus relaciones con la Iglesia, § XXXVI (Madrid, 1902, *pag.* 245 *seq.*).

N. B. Ad leges cognoscendas de institutione religiosa in maxima parte Europae et Americae, videri potest *Giobbio*, Diplomazia eccles., *vol.* 2, *nn.* 421-484. V. *Ferreres*, La enseñanza del catecismo, *nn.* 116-138.

765. VI. **Libri paroeciales.** — Libros paroeciales habere debet, id est, librum baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum, defunctorum; etiam librum de statu animarum accurate conficere pro viribus curare debet (familiarum nempe quibus paroecia constat, personarum in qualibet familia, etc.). Qui omnes secundum usum ab Ecclesia probatum, vel a proprio Ordinario praescriptum, conscribendi ac diligenter asservandi sunt (*can.* 470, § 1).

VII. **Annotationes in libro baptizatorum.** — In libro baptizatorum ad marginem adnotandum est si baptizatus confirmationem etiam receperit, si matrimonium contraxerit, salvo praescripto can. 1107 (de matrimoniis secretis seu conscientiae, quae in hoc libro baptizatorum annotanda non sunt), si sacrum subdiaconatus ordinem susceperit, vel professionem religiosam **solemnem** emiserit, eaeque annotationes in documenta accepti baptismatis semper referantur (*can.* 470, § 2):

Annotatio de contracto matrimonio, aut subdiaconatu suscepto, aut *solemni* professione emissa, ponitur pro casu quo baptizatus matrimonium contrahere vellet, cui obstare potest praecedens matrimonium (si conjux mortuus non fuerit), aut subdiaconatus, aut professio solemnis, quae omnia nullum redderent attentatum matrimonium. Nil jubet Codex de annotando diaconatu aut presbyteratu, quibus conditio casus non mutatur; impedimentum enim in suscipiendo subdiaconatu contrahitur, et per totam vitam durat, sive diaconatus aut presbyteratus suscipiatur, sive non.

Neque annotanda exprimitur professio *simplex*, solum enim solemnis est quae dirimens impedimentum constituit.

Annotanda tamen esset *simplex*, si *privilegium* habeat *solemnis* in *dirimendo* subsequenti matrimonio, prout in Societate Jesu accidit.

VIII. **Librorum paroecialium transmissio.** — In fine cujuslibet anni parochus authenticum exemplar librorum paroecialium ad Curiam episcopalem transmittat, excepto libro de statu paroeciae seu *de statu animarum* (*Ibid.*, § 3).

IX. **Sigillum paroeciale, archivum.** — Debet parochus paroeciali uti sigillo, et habere tabularium seu archivum in quo memorati libri custodiantur una cum Episcoporum epistolis aliisque documentis necessitatis vel utilitatis causa servandis; quae omnia ab Ordinario vel ejus delegato visitationis vel alio opportuno tempore inspicienda sunt. Religiose tamen parochus caveat ne ea ad extraneorum manus perveniant (*Ibid.*, § 4).

CAPUT X

DE VICARIIS PAROECIALIBUS

766.— Nomine **vicariorum paroecialium** designantur in Codice plures sacerdotes qui curam animarum exercent vel loco parochi, vel ei juvamen aut auxilium praestantes.

Hujusmodi sunt: 1.° Qui *actu* totam animarum curam unius paroeciae exercet, loco alicujus communitatis aut collegii ecclesiastici (unde *vicarius* dicitur) ad quod *habitu* pertinet eadem animarum cura totius paroeciae. (Vide *n.* 731 *c*).

2.° Qui curam animarum in paroecia exercet, vacante ipsa paroecia, sive morte, sive translatione aut renuntiatione parochi, etc. Hunc Codex *vicarium oeconomum* nominat, et nomine *oeconomi* etiam ipse in Hispania designatur.

3.° *Vicarius substitutus*, qui parocho in ejus absentia, sive longa sive brevi, sufficitur, vel etiam dum recursus ad Sanctam Sedem pendet. Huic maxime *vicarii* munus et nomen competit.

4.° *Vicarius adjutor*, qui parochi locum supplet, et eum juvat dum is titulum adhuc conservat, sed, propter valetudinem aut alium habitualem defectum, paroeciam vel nullo modo, vel solum ex parte regere potest. In Hispania communiter appellatur *regente*.

5.° *Vicarii cooperatores*, qui parochum ex more juvant, non ob ejus morbum aut alium defectum, sed ob amplitudinem paroeciae, qua fit ut omnibus rebus ad ejus administrationem necessariis parochus sufficere non possit. In Hispania vocari solent *coadjutores*. Vide *n.* 757 *b*) in fine.

ARTICULUS I

VICARIUS COMMUNITATIS HABITU CURAM HABENTIS

767. — I. Si paroecia *pleno jure* fuerit unita domui religiosae, ecclesiae capitulari vel alii personae morali, debet constitui vicarius, qui *actualem* curam gerat animarum, assignata ei congrua fructuum portione, rationabili arbitrio Episcopi (*can.* 471, § 1).

II. **Vicarii nominatio et institutio.** — Vicarium praesentat Superior religiosus, Capitulum aliave persona moralis; loci autem Ordinarius eundem instituit, si idoneum illum invenerit, ad normam can. 459 de qualitatibus promovendi (Vide *nn.* 741, 742) (*Ibid.*, § 2).

Excipe casum *a*) legitimi privilegii aut consuetudinis; *b*) dotationis vicariae ab Episcopo, reservata sibi libera nominatione.

In **Hispania** «nullum Capitulum aut Collegium ecclesiasticum adnexam habere poterit curam animarum; adeoque beneficia curata et vicariae perpetuae, quae antea *pleno jure* alicui Collegio conjuncta erant, deinceps juri communi omnimode subjicientur» (*Concord.* an. 1851, *a.* 25).

III. **Vicarius amovibilis aut inamovibilis**.— Vicarius *a*) si religiosus sit, amovibilis est, sicut parochus religiosus, de quo in can. 454, § 5 (vide *n.* 737); *b*) ceteri omnes vicarii ex parte praesentantis sunt perpetui (id est, ab eo qui ipsos praesentavit removeri nequeunt), sed Ordinarius, monito eo qui praesentavit, ipsos removere potest eodem modo quo de parochis dictum est *n.* 736 (can. 471, § 3).

IV. **Jura et obligationes**. — Ad vicarium exclusive pertinet tota animarum cura cum omnibus juribus et obligationibus ad normam juris communis, et secundum probata statuta dioecesana vel laudabiles consuetudines (*Ibid.*, § 4).

ARTICULUS II

VICARIUS OECONOMUS

768. I. **Paroecia vacans**. — Statim ac paroecia vacaverit, Ordinarius loci idoneum constituere debet *vicarium oeconomum* qui eam tempore vacationis regat. Si electus in oeconomum sit religiosus, ejus assignatio fieri debet de consensu Superioris ipsius. Oeconomo assignabit Ordinarius partem fructuum paroeciae pro honesta sustentatione (*can.* 472, 1.°).

II. *a*) **Donec oeconomus constituatur**, nisi aliter provisum fuerit, regimen paroeciae 1.° a vicario cooperatore assumendum est; si plures vicarii sint, a primo; si omnes sunt gradu aequales, a seniore in munere; 2.° si vicarii desint, a parocho viciniore; 3.° si paroecia alicui religioni commissa est, a Superiore domus (*Ibid.*, 2.°).

b) Ordinarius, sive in Synodo, sive extra Synodum, tempestive determinare debet quaenam paroecia cuique paroeciae vicinior habenda sit (*Ibid.*).

c) Qui hoc tempore intermedio paroeciam modo nunc dicto assumit, Ordinarium loci de paroeciae vacatione statim edocere debet (*Ibid.*, 3.°).

III. **Oeconomi jura et officia**. — *a*) Vicarius oeconomus eadem jura et obligationes ac parochus habet in iis quae animarum curam spectant.

b) Nihil tamen ipsi in paroecia agere licet quod praejudicium afferre possit juribus parochi futuri aut beneficii paroecialis (*can.* 473, § 1).

c) Oeconomus novo parocho vel oeconomo successori, coram vicario foraneo, vel alio sacerdote ab Ordinario designato, tradere debet clavem archivi et inventarium librorum ac documentorum aliarumque rerum quae ad paroeciam pertinent, itemque rationem reddere accepti et expensi tempore administrationis (*Ibid.*, § 2).

ARTICULUS III

VICARIUS SUBSTITUTUS

769. **Quando is constituendus, et quibus juribus.** — Vicarius substitutus, qui constituitur, aut juxta can. 465, § 4, 5 in absentia parochi, aut juxta can. 1923, § 2 in recursu ad Sanctam Sedem contra sententiam firmam privationis beneficii, locum parochi tenet in omnibus quae ad animarum curam spectant, nisi Ordinarius loci vel parochus aliquid exceperint (*can.* 474).

ARTICULUS IV

VICARIUS ADJUTOR SEU REGENS

770. I. **Quis sit.** — Vicarius adjutor est qui parochum juvat, cum is ob causam permanentem, v. gr., senectutem, mentis debilitatem, imperitiam, caecitatem, paroeciam apte regere non valet (*can.* 475, § 1).

II. **Quis eum nominat, quaenam ejus emolumenta.** — *a*) Ab Ordinario libere nominandus est, nisi de paroecia agatur religiosis concredita, tunc enim vicarius a proprio Superiore *praesentandus* est (*Ibid.*).

b) Ordinarius congruam fructuum paroeciae portionem eidem assignare debet, nisi aliter provisum sit (*Ibid.*), v. gr. ex statutis dioecesanis, legitima consuetudine, etc.

III. **Alia jura et officia.** — *a*) Si in omnibus suppleat parochi vicem, jura ei omnia et officia competunt parochorum propria, excepta Missae applicatione *pro populo*, quae parochum gravat; *b*) si vero supplet ex parte dumtaxat, v. gr., in praedicatione, in confessionali, etc., jura et obligationes deducuntur ex statutis, vel ex decreto deputationis ipsius (*Ibid.*, § 2).

IV. Si parochus sit sui compos, adjutor operam suam praestare debet sub ejusdem auctoritate et secundum Ordinarii litteras (*Ibid.*, § 3). Si autem per vicarium adjutorem bono animarum sat provideri nequeat, locus est *parochi amotioni* ad normam can. 2147-2161 (*Ibid.*, § 4).

ARTICULUS V

VICARII COOPERATORES

771. I. **Quinam sint.**— Sunt ii qui parochis in propria paroecia praesentibus eamque administrantibus dantur, quia juvamine indigent sive ob amplitudinem territorii, sive ob populi multitudinem, aut alias similes causas (*can.* 476, § 1).

His casibus datur eis unus aut plures vicarii, quibus congrua remuneratio est assignanda (*Ibid.*).

Nominari possunt: *a*) ut parocho auxilio sint in tota paroecia (*Ibid.*, § 2), quo casu, si plures sint vicarii, id quod in magnis urbibus accidit, alternis vicibus servitiis quibusdam per hebdomadas attendunt; *b*) ut solum pro determinata paroeciae parte ipsum juvent, v. gr., pro annexo aliquo, pro ecclesia filiali, cujus totum aut fere totum servitii ecclesiastici onus vicarius sustinet.

II. **Quis eos nominet.** — Vicarios nominare, *a*) si de *saecularibus sacerdotibus* agitur, pertinet ad Ordinarium loci, qui tamen sententiam parochi audire tenetur (*Ibid.*, § 3); *b*) si vero de *religiosis*, eorum Superior, audito parocho, eos praesentat Ordinario, cujus est eosdem approbare (*Ibid.*, § 4).

III. **Residentia et cetera jura et officia vicarii cooperatoris.** — *a*) Tenetur obligatione *residendi* in paroecia, secundum statuta dioecesana, vel laudabiles consuetudines aut Episcopi praescriptum. Imo prudenter ab Ordinario curandum est, ad normam can. 134 (vide *n.* 292), ut in eadem paroeciali domo commoretur (*Ibid.*, § 5).

b) Ejus jura et obligationes ex statutis dioecesanis, ex litteris Ordinarii et ex ipsius parochi commissione desumenda sunt. Si tamen aliud expresse non caveatur, debet, ratione officii, parochi vicem supplere eumque adjuvare in universo ministerio paroeciali, excepta applicatione Missae *pro populo* (*Ibid.*, § 6).

c) Subest parocho, a quo paterne instituendus est et in cura animarum dirigendus; ipsi etiam parochus invigilabit, et de eo quotannis saltem ad Ordinarium referet (*Ibid.*, § 7).

Vide *n.* 775, *N. B.*

IV. **Paroeciae divisio.** — Si nec per vicarios cooperatores spirituali fidelium bono consuli rite queat, Episcopus providere tenetur, divisa paroecia ad normam can. 1427 (*can.* 476, § 8).

ARTICULUS VI

VICARIORUM PAROECIALIUM REMOTIO ET PRAECEDENTIA

772. I. **Remotio.** — Vicarii paroeciales de quibus in can. 472-476, *a*) si *religiosi* sint, amoveri possunt ad normam can. 454, § 5, sc. ad nutum Superioris, monito Episcopo; *b*) si non sint, ad nutum Episcopi aut Vicarii Capitularis, non autem Vicarii Generalis sine mandato speciali (*can.* 477, § 1).

QUAER. *Quid faciendum si vicaria beneficium perpetuum constituit, ut v. gr., accidit in coadjutoribus beneficiatis coronae Aragonis?*

Resp. In proposito casu processus remotionis ad normas juris instaurandus est, ita ut ad eum removendum, praeter ceteras causas quae in parochis valent, satis sit si in subjectione, quam parocho in exercendis functionibus suis debet, graviter deliquerit (*Ibid.*, § 2).

II. **Praecedentia.** — *a*) Parochus ecclesiae Cathedralis et vicarius Capituli Cathedralis omnibus aliis dioecesis parochis aut vicariis praecedit; *b*) oeconomi praecedentia regitur normis can. 106 (*can.* 478, § 1); *c*) vicarii substituti et coadjutores praecedunt, dum in munere manent, vicariis cooperatoribus; *d*) hi autem postremi praecedunt aliis sacerdotibus ecclesiae paroeciali addictis (ex. gr. beneficiatis, sacerdotibus adscriptis, etc.) (*Ibid.*, § 2).

CAPUT XI

DE RECTORIBUS ECCLESIARUM

773. I. **Quinam sint.** — *Rectores ecclesiarum* dicuntur sacerdotes quibus cura demandatur alicujus ecclesiae, quae nec paroecialis sit nec capitularis, nec adnexa domui communitatis religiosae, quae in eadem officia celebret (*can.* 479, § 1).

II. De cappellano religiosarum, aut sodalium virorum religionis laicalis, aut confraternitatis, aut alterius legitimae associationis, servanda sunt particularium canonum praescripta (*Ibid.*, § 2).

774. I. **Nominatio.** — Ii libere nominantur ab Ordinario loci.

Salvum tamen manet jus eligendi aut praesentandi, si cui id legitime competat; quo in casu, Ordinarii est electum aut praesentatum rectorem approbare (*can.* 480, § 1).

II. Si ecclesia ad religionem exemptam pertinet, rector a Superiore nominatur, at ab Ordinario approbandus est (*Ibid.*, § 2).

III. Si conjuncta sit cum Seminario aliove Collegio quod a clericis regitur, Superior Seminarii vel Collegii est simul rector ecclesiae, nisi aliter Ordinarius constituerit (*Ibid.*, § 3).

I. **Jura rectoris.** — Non potest in ecclesia sua functiones stricte paroeciales (vide *n.* 760) peragere (*can.* 481).

II. Potest divina officia etiam solemnia ibidem celebrare, *a*) salvis legitimis fundationis legibus, *b*) et dummodo non noceant ministerio paroeciali; in dubio autem utrum hujusmodi detrimentum contingat, necne, Ordinarii loci est rem dirimere, et opportunas normas praescribere ad illud evitandum (*can.* 482).

III. Si ecclesia ita a paroeciali distat, ut, Ordinarii judicio, paroeciani sine gravi incommodo paroecialem ecclesiam adire et ibidem divinis officiis assistere nequeant, *a*) Ordinarius loci, gravibus quoque statutis poenis, potest rectori praecipere ut horis populo commodioribus officia celebret, fidelibus dies festos ac jejunia denuntiet et catecheticam instructionem et Evangelii explicationem tradat; *b*) parochus potest ex eadem ecclesia SSmum. Sacramentum, inibi ad normam can. 1265 forte asservatum, pro infirmis desumere (*can.* 483).

IV. Sine rectoris vel alius legitimi superioris licentia, saltem praesumpta, nemini licet in ecclesia Missam celebrare, Sacramenta ministrare, aliasve functiones sacras peragere. Licentia dari vel negari debet ad normam juris (*can.* 484, § 1).

Quod attinet ad conciones in ecclesia habendas, serventur praescripta can. 1337-1342 (*Ibid.*, § 2).

775. **Rectoris officia.** — Rector ecclesiae, sub auctoritate Ordinarii loci, servatisque legitimis statutis ac quaesitis juribus, curare seu advigilare debet *a*) ut divina officia ordinate et secundum sacrorum canonum praescripta in ecclesia celebrentur; *b*) ut onera fideliter adimpleantur (quae sc. ecclesiam gravant ratione fundationum, etc.); *c*) bona rite administrentur; *d*) sacrae suppellectili atque aedium sacrarum conservationi et decori prospiciatur, et ne quidpiam fiat quod sanctitati loci ac reverentiae domo Dei debitae quoquo modo repugnet (*can.* 485).

Remotio. — Ab Ordinario ad nutum removeri potest ex quilibet justa causa, idque licet ab aliis electus et praesentatus fuerit (*can.* 486).

Si rector fuerit religiosus, ab Ordinario aut a Superiore amoveri potest, ad normam can. 454, § 5, de parocho religioso (*Ibid.*).

N. B. In **Hispania** «Coadjutores et ceteri parochiarum administri, cunctique clerici sacris ruralibus aediculis, sanctuariis, oratoriis, sacellis publicis, vel ecclesiis non paroecialibus inservientes, per proprium uniuscujusque territorii parochum dirigentur, eique in omnibus subjacebunt quae ad cultum et religiosas functiones referantur» (*Concord.* an. 1851, *a.* 25).

PARS II

De Religiosis

776. — I. Postquam Codex disciplinam de personis ecclesiasticis seu clericis in prima parte hujus secundi libri exposuit, agit in secunda de religiosis, in tertia autem de laicis.

II. **Ratio hujus ordinis.** — Ratio hujus ordinis est quia religiosi locum medium inter clericos et laicos occupant. Plures enim religiosi sunt item proprio sensu clerici, quia tonsuram susceperunt, et haud pauci etiam ordines sacros: contra vero, alii sunt laici, nec enim ad statum clericalem pertinent, cum nullum ordinem, imo nec primam tonsuram, receperint; et haud pauci, ut feminae, incapaces sunt ut in statum clericalem adsciscantur.

Antiqui eremitae communiter laici fuerunt, et pauci admodum clerici inter illos numerabantur. In priscis Ordinibus monachalibus pauci clerici erant, pauciores vero sacerdotes. In Ordinibus fratrum, multo major erat jam numerus clericorum: inter fines enim horum Ordinum comprehensa fuit communicatio cum proximis ut ii praedicatione et usu sacramentorum in sanctificationem adducerentur; haec autem characterem sacerdotalem in pluribus requirunt. Tandem, in Ordinibus clericorum regularium indoles clericalis adeo praevalet, ut laici solum quatenus id opus est ad munia domestica et ad expeditiorem reddendum ministerium sacerdotum, admittantur.

Omnes tamen religiosi (itemque *religiosae*) plura privilegia clericalia participant, v. gr., privilegium canonis (*n.* 253), privilegium fori (*nn.* 255-268), etc.; pluribus etiam obligationibus clericis impositis subjiciuntur, v. gr. *can.* 124-142 (*nn.* 276-305). Vide *can.* 592, 614, 680.

III. Sicut alibi pluries, sic etiam hoc loco, ante inceptam secundam partem Libri II, et ante ejus titulum I, Codex nonnullos canones praevios proponit, quibus notiones generales ad ea quae postea dicenda sunt, tradantur.

TITULUS PRAEVIUS

Notiones et principia generalia

CAPUT I

NOTIONES GENERALES DE STATU ET PERSONIS RELIGIOSIS

777. — I. *Status religiosus* dicitur modus stabilis vivendi in communi, quo fideles, praeter praecepta communia, evangelica quoque consilia servanda per vota obedientiae, castitatis et paupertatis suscipiunt (*can.* 487).

II. Status religiosus ab omnibus in honore habendus est. (*Ibid.*).

III. Juxta Codicem, dicitur: 1.° *Religio*, societas a legitima ecclesiastica auctoritate approbata, in qua sodales, secundum proprias ipsius societatis leges, vota publica (cfr. *n.* 781, I, *a*), perpetua vel temporaria, elapso tamen tempore renovanda, nuncupant, atque ita ad evangelicam perfectionem tendunt.

2.° *a*) *Ordo*, religio in qua vota solemnia nuncupantur (vide *n.* 780 *seq.*); *b*) *Congregatio monastica*, plurium monasteriorum sui juris inter se conjunctio sub eodem Superiore; *c*) *Religio exempta*, religio sive votorum solemnium sive simplicium, jurisdictioni Ordinarii non subjecta; *d*) *Congregatio religiosa* vel simpliciter *Congregatio*, religio in qua vota dumtaxat simplicia, sive ea sint perpetua sive temporalia, emittuntur.

3.° *Religio a*) *juris pontificii*, religio quae vel approbationem vel saltem *laudis decretum* ab Apostolica Sede est consecuta; *b*) *religio juris dioecesani*, religio quae ab Ordinario erecta, hoc *laudis decretum* nondum obtinuit (Vide *nn.* 797, 798).

4.° *Religio a*) *clericalis*, religio cujus plerique sodales sacerdotio augentur; *b*) *religio laicalis*, ea quae aliter se habet.

5.° *a*) *Domus religiosa*, domus cujusque religionis in genere; *b*) *domus regularis*, domus alicujus Ordinis; *c*) *domus formata*, domus religiosa in qua sex saltem religiosi professi degunt, quorum, si agatur de religione clericali, quatuor saltem sint sacerdotes.

6.° *Provincia*, plurium religiosarum domorum inter se conjunctio, sub eodem Superiore, partem ejusdem religionis constituens.

7.° *a*) *Religiosi*, qui vota nuncuparunt in aliqua religione; *b*) *religiosi votorum simplicium*, qui in Congregatione religiosa; *c*) *regulares*, qui in Ordine ea nuncuparunt; *d*) *sorores*, religiosae votorum simplicium; *moniales*, religiosae votorum solemnium, aut saltem religiosae quae, licet ex Sedis Apostolicae praescripto pro aliquibus locis tantum simplicia sint, ex instituto earum sunt solemnia.

8.° **Superiores majores**: Abbas Primas, Abbas Superior Congregationis monasticae, Abbas monasterii sui juris, licet ad monasticam Congregationem pertinentis; Generalis cujusque religionis, Provincialis, horum omnium vicarii, et qui *instar* provincialium potestatem habeant (*can.* 488).

CAPUT II

STATUS RELIGIOSI ORIGO ET EVOLUTIO

778. I. **Origo status religiosi** in illis Christi Domini verbis est, quibus juveni quaerenti quid sibi faciendum esset ad vitam aeternam adipiscendam, primum declaravit mandata ei servanda esse; cum autem instaret adolescens, affirmans se ea jam custodire, velle porro scire quid sibi ulterius deesset, respondit tandem divinus Salvator: *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus,... et veni, sequere me* (*Matth.*, XIX, 21).

Nempe, ad salvandam animam, satis est si mandata serventur; at ad *perfectionem* assequendam necessarium praeterea, aut valde opportunum est, bona terrena relinquere, et Christum servatis consiliis evangelicis sequi et imitari, id quod religiosi faciunt. Juxta Christi verba, plenitudo hujus status tunc datur cum bonorum abjectio plena est, quod vel per vota solemnia fit, vel per vota quae, licet solemnia non sint, solemnium tamen privilegia in renuntiatione bonorum participant, ut infra dicetur. Vide *n.* 913, 1.°, *b*).

II. Ut autem accuratius status religiosi origo dignosci possit, illa etiam divini Magistri verba prae oculis habenda sunt: «Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter me, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit» (*Matth.*, XIX, 29). «Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me» (*Matth.*, XVI, 24).

779. I. **Status religiosi evolutio et perpetuitas.** — Ex dictis apparet statum religiosum esse spontaneum evangelicae doctrinae fructum; eumque ex imitatione et perpetua Christi vocatione derivari; quare et semper extitit, et ubicumque religio catholica rite diffundi possit, semper idem existet.

II. Prisci christiani omnes quasi religiosam vitam exercebant, bona abdicabant, et ex eorum pretio acervum commune constituebant. Primis saeculis *ascetae* vixerunt, praesertim Alexandriae et quibusdam sparsim locis. Saeculo III floruerunt magno numero eremitae; saec. IV coeperunt in Oriente monachi S. Basilii; saec. VI ineunte, monachi in Occidente sub S. Benedicto (490-543); saec. X et sequentibus, canonici regulares et militares Ordines; sub initium saec. XIII, magni Fratrum Ordines, praesertim S. Francisci et S. Dominici; saec. XVI florent Ordines clericorum regularium; et ab exitu praesertim saec. XVIII Congregationes votorum simplicium maximo numero propagantur.

III. Altera perpetuitatis causa status religiosi sive hac sive alia forma, in nota sanctitatis Ecclesiae propria reponenda est, ex qua procedit ut sanctitas in Ecclesia modo publico et permanenti ab aliquibus in usum sit deducenda, id quod status religiosus exsequitur.

CAPUT III

VOTA SOLEMNIA ET SIMPLICIA, PROFESSIO SOLEMNIS ET SIMPLEX

ARTICULUS I

SOLEMNIUM ET SIMPLICIUM VOTORUM NATURA

780. — Plures sunt doctorum sententiae ad differentiam inter votum solemne et votum simplex explicandam.

Ea quae solidiori fundamento innixa videtur est sententia *P. Suárez* (De religione, *part.* 3, *lib.* 2, *cap.* 6), juxta quam solemnis professio a simplici professione duobus differt:

1.um In solemni, obligatio, quae cum Ordine contrahitur, non solum mutua est, sed utrinque perpetua, adeoque religiosus perpetuo obligatur Ordini, et Ordo perpetuo obligatur religioso; at vero in simplici professione, potest dari obligatio perpetua religiosi erga Ordinem quin tamen semper Ordo perpetuo obligetur erga religiosum.

2.um Votum solemne *inhabilem* reddit religiosum pro omnibus actibus voto contrariis, adeo ut actus tales *irriti* ac *nulli* sint, si *nullitatis et irritationis capaces sunt;* vota vero simplicia *illicitos* hujusmodi actus faciunt, non autem invalidos. Ita matrimonium attentatum ab eo qui solemni castitatis voto ligatus est, nullum est; si tamen voto simplici tantum contrahens ligatus fuerit, validum,

quamvis illicitum, erit. Pariter, religiosus qui solemne paupertatis votum edidit, *omni* bonorum temporalium dominio fit incapax, quare nullum validum de iis bonis facere potest nomine proprio contractum; si tamen votum est simplex, bonorum temporalium dominium *radicale* servat, et contractus de iis bonis aut de aliis quae acquirere possit, sine licentia Superioris facti, erunt validi, quamvis illiciti sint.

781. — I. Ad clariorem dictorum intelligentiam notandum est, ad essentiam status religiosi *proprie dicti*, *nunc* requiri: *a*) ut *tria* emittantur *vota substantialia* paupertatis, castitatis et obedientiae; *b*) ut vota sint *perpetua*, aliter vita religiosa firmitate et stabilitate ad statum constituendum careret; *c*) ut vota sint **publica**, scil. in religione aut congregatione ab Ecclesia approbata emittantur, et nomine Ecclesiae eadem acceptentur.

II. Unde, ad normam praesentis disciplinae ecclesiasticae, nemo in statum religiosum *ingredi* potest nisi per ingressum in Ordinem vel Congregationem religiosam, ideoque, observata vita in communi. Quare, ut observat *Wernz*, l. c., *vol.* 3, *n.* 570, III, «si quis ipsum *statum religiosum* in forma solitaria suscipere vellet, esset in statu rebellionis, non perfectionis.»

ARTICULUS II

PROFESSIO SOLEMNIS ET PROFESSIO SIMPLEX

782. — I. Ut igitur quis statum religiosum capessat, requiritur hodie ut professionem in aliquo Ordine aut Congregatione religiosa emittat. **Professio** ex se significat actum quo quis Ordini aut Congregationi religiosae immediate, mediate vero Ecclesiae ipsi, se ad divinum servitium omnino tradit; traditione vicissim ab Ordine aut Congregatione, *nomine Ecclesiae*, acceptata: unde Ordo aut Congregatio speciale jus in religiosum acquirit, et religiosus ipse fit proprie membrum illius, et persona sacra servitio divino, non quidem *privata* devotione, sed *publica* auctoritate Ecclesiae, deputata.

II. Suppositis praedictis conditionibus, *professio* solemnis *a*) *directe* requirit hanc traditionem et acceptationem utrinque perpetuam esse, religiosum nempe perpetuo religioni obligari, itemque perpetuo religionem obligari religioso; *b*) *indirecte* requirit ut vota eam comitantia solemnia sint.

III. Pariter *vota* solemnia *a*) *directe* requirunt personam ea nuncupantem inhabilem fieri ad actus voto contrarios; *b*) *indirecte* autem, ut ea simul cum professione solemni emittantur.

IV. At in professione votorum *simplicium*, etsi religiosus potest se perpetuo ligare et tradere religioni cum proposito viven-

di et moriendi in illa et sub ejus auctoritate; religio tamen libera manet ad eum dimittendum in casibus legitime in statutis expressis, aut ubi dimissio bono tum religionis tum ipsius personae opportunior videretur.

ARTICULUS III

NOTAE HISTORICAE

783. — Olim nulla erat religio in qua ante vota solemnia vota simplicia emitterentur; in omnibus enim ab Ecclesia probatis religionibus tantum vota solemnia erant.

Id clare exprimit Bonifacius VIII, *lib.* 3, *tit.* 15, *cap. unic.,* in 6.°: «Quod votum debeat dici solemne ac ad dirimendum matrimonium efficax nos consulere voluisti. Nos igitur, *attendentes quod voti solemnitas* **ex sola constitutione Ecclesiae est inventa...** praesentis declarandum duximus oraculo sanctionis illud *solum votum* debere dici **solemne,** quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod **solemnizatum** fuerit per susceptionem sacri ordinis, aut per **professionem** *expressam* vel tacitam, factam **alicui de religionibus** per Sedem Apostolicam approbatis.»

Itaque votum *castitatis* solemne erat in omnibus religionibus approbatis, et consequenter etiam duo reliqua, *paupertatis* sc. et *obedientiae,* solemnia erant; in votis enim substantialibus (1) non admittitur unum dumtaxat esse solemne, quin tria simul solemnia sint (2).

Primus qui vota simplicia in *Ordinem* regularem induxit, fuit Sanctus Ignatius de Loyola, ubi Societatem Jesu fundavit.

784. — I. Per approbationem votorum simplicium Societatis Jesu a Sancta Sede concessam, nova aera vitae religiosae cepta est. Ecclesia eousque omnem approbationem, non solum congregationibus religiosis votorum simplicium, sed etiam nominatis *piis congregationibus* denegaverat.

Etiam post Societatem fundatam, S. Pius V hujusmodi congregationes prohibuit, sed haud multo post plures illarum formalem approbationem obtinuerunt. Exemplo sit Congregatio Clericorum regularium infirmis ministrantium, a S. Camillo de Lellis fundata, et a Sixto V an. 1586 ut pia congregatio, deinceps autem ut religio a Gregorio XIII 21 sept. 1591 probata; et Congregatio Clericorum regularium Matris Dei, a beato Joanne Leonardo instituta, a Clemente VIII an. 1593 ut congregatio votorum simplicium probata, et tandem ad statum religionis votorum solemnium an. 1621 (3 nov.) a Gregorio XV evecta.

---

(1) *S. Poenit.,* 28 nov. 1818: «Votum paupertatis, quod novae Galliarum religiosae secundum articulum a Gubernio adjectum emittunt non esse solemne, cum per illud bonorum suorum proprietatem ac dominium adhuc retineant. Proinde *nec solemnia sunt alia duo vota castitatis et obedientiae.*»

(2) *Suárez,* l. c., *cap.* 14; *De Angelis, lib.* III, *tit.* 31, *n.* 5; *Santi-Leitner,* Praelect. Jur. can., *lib.* III, *tit.* 31, *n.* 4; *Vermeersch,* l. c., *n.* 86.

II. Nunc hujusmodi Congregationes mirifice auctae sunt; et Ecclesia, quae, ut vidimus, saeculis praeteritis religiones votorum solemnium dumtaxat probabat, approbatione congregationibus votorum simplicium negata, hodie frequenter approbat Congregationes votorum simplicium, *religionem autem novam ullam votorum solemnium probare non solet.*

III. In diversis Ordinibus, et in nonnullis Congregationibus religiosis, praeter tria substantialia vota, aliquod aliud addi solet, interdum autem adduntur plures. In nonnullis Ordinibus religiosis haec vota addita solemnia etiam sunt, in aliis sunt simplicia, nec desunt Ordines qui et solemnia et simplicia simul adjiciant.

IV. At in novis Congregationibus votis substantialibus Sancta Sedes nova vota addere non permittit.

ARTICULUS IV

SOLEMNITAS VOTORUM EST INSTITUTIONIS ECCLESIASTICAE

785. — Solemnitas votorum (seu id quo solemnia vota a votis simplicibus differunt) est institutionis pure ecclesiasticae, et ideo, extrinseca voto (1). Vide *n.* 919, III.

Unde infertur:

1.° Posse Romanum Pontificem effectus ex solemnitate votorum requisitos suspendere, adeoque, posse concedere ut religiosus, quamvis solemnia emiserit vota, adhuc tamen suorum bonorum dominium aut administrationem retineat.

Hoc modo Sancto Francisco a Borgia, Paulus III concessit, ut non obstante professione in Societate Jesu facta, per tres annos Ducatus Gandiae et omnium suorum bonorum dominium et administrationem retinere posset; et quod magis est notandum, an. 1820 omnibus generatim viris religiosis Belgii, Sancta Sedes per Poenitentiariam concessit, ut, voto solemni paupertatis non obstante, quaedam bona acquirere, possidere et administrare possent; quam concessionem Leo XIII die 31 julii 1878 ratam habuit. Et vicissim, concedere potest ut simul cum votis simplicibus nonnulli effectus solemnium proprii conjungantur; ita, v. gr., vi privilegii a Gregorio XIII per const. *Ascendente Domino,* Societati Jesu concessi, in ea votum simplex castitatis matrimonium dirimit post ejus emissionem attentatum, etsi matrimonium ratum non consummatum, quod forte praecesserit, non dirimat. V. *n.* 913, I, *b*).

2.° Posse Romanum Pontificem facere ut vota velut solemnia emissa, simplicia evadant; et contra, solemnia evadant quae velut simplicia emissa sunt, sine ulla nova professione.

Hoc postremum interdum fecit, evecta ad gradum religionis votorum solemnium, ea quae prius non erat nisi congregatio votorum simplicium;

---

(1) Vide verba Bonifacii VIII superius relata, *n.* 783. Idem affirmat Greg. XIII in Bulla *Ascendente Domino,* 25 maji 1584 (*Bull. Rom. Taurin., vol.* 8, *pag.* 457 *seq.*

sic, v. gr., Congregatio Scholarum Piarum a Gregorio XV, const. *In Supremo*, 16 nov. 1621, religio votorum solemnium facta est. In hoc et similibus casibus, ii qui jam simplicia vota nuncupaverant, nulla nova emissa professione, professi votorum solemnium facti sunt. Alias tamen Sancta Sedes in simili casu jubet ut nova emittatur pro votis solemnibus professio: id quod Clemens XI, 3 april. 1710 praescripsit, ubi Congregationem *Bethlehemitarum* const. *Ex debito* religionem votorum solemnium constituit.

3.° Posse igitur super solemnibus votis dispensare, sicut super simplicibus dispensat; nam, ablata solemnitate, simplicia fiunt.

786. — *a*) In praxi notandum est, vota simplicia, ubi justa causa adest, posse interdum ab ipso *Ordine* virorum religiosorum per dimissionem ab Ordine *irritari*, ita ut religiosus ab omnibus obligationibus suorum votorum liber evadat; in Ordinibus religiosarum, vota solum a Papa irritari possunt.

b) Vota autem solemnia nunquam a religione *irritari* possunt, licet forte haec solemniter professos *expellere* possit; hi tamen expulsi votis obligati manent.

c) Super simplicibus votis *dispensare*, solius Papae est, et de facto id saepius facit; super solemnibus autem fere nunquam, nisi in admodum extraordinariis adjunctis, dispensat.

CAPUT IV

ORDINES MENDICANTES, CONTEMPLATIVI, ETC.

787. I. **Mendicantes Ordines**. — *Mendicantes* Ordines ii dicuntur, qui sive ex regula, sive ex constitutione, nec bona nec reditus, nequidem in communi, possidere possunt. In *Corpore Juris* ut mendicantes recognoscebantur Dominicani, Minores S. Francisci, Eremitae S. Augustini et Carmelitae. Ex his, Minores dumtaxat vi Regulae, ceteri autem vi Constitutionum quae Regulae adjiciuntur, mendicantes sunt.

II. His quatuor, quatuor alii Ordines a S. Pio V additae sunt, vid. Servitae, Minimi, Jesuati et Jesuitae.

III. Tridentinum jussit omnes Ordines religiosos bona in communi possidere. Ex hoc mandato excipiuntur Minores Observantes S. Francisci, Capuccini et Jesuitae.

IV. De Jesuitis, S. Pius V, const. *Dum indefessae*, 7 jul. 1573, definivit «Societatem, et illius Praepositum, ac singulas personas Societatis hujusmodi vere et non ficte mendicantes fuisse, esse et fore.» — Nec domus professae Societatis, nec ejus residentiae, nec Provinciae in communi, bona aut reditus ullos habent nec habere possunt. *Collegia* id quod ad sustentationem magistrorum et alu-

mnorum necessarium est habere possunt; nec enim *pro dignitate* docere, nec debita intensione studio vacare quis potest ubi simul victum quaerere tenetur.

788. **Ordines vitae contemplativae, vitae activae et vitae mixtae.** — Dividuntur insuper Ordines et Congregationes religiosae in contemplativas, activas et mixtae vitae. Nominantur *a*) *contemplativae*, quae cultui divino et rerum divinarum contemplationi principaliter et ex professo vacant, quod monachis antiquis et plerisque religionibus feminarum clausurae papalis convenit.

b) *Vitae activae*, quae ad exercenda opera misericordiae, praesertim corporalis, institutae sunt, ut Ordo Fratrum S. Joannis de Deo, et Ordines militares.

c) *Vitae mixtae*, quae utramque vitam conjungunt, ut Franciscani, Dominicani, Jesuitae, et generatim Ordines clericorum regularium.

d) Ordines vitae contemplativae loca ab hominum habitatione dissita communiter quaerunt, ut inibi, a mundi strepitu segregati, divinarum rerum contemplationi aptius vacare possint; Ordines autem vitae mixtae loca in quibus adest hominum frequentia potius quaerunt, ubi cum proximis agere, eosque ad Deum adducere valeant (1).

CAPUT V

REGULAE ET CONSTITUTIONES — RELIGIONES FEMINARUM.

PRAECEDENTIA

789. I. **Regulae et particulares Constitutiones** singularum religionum, canonibus Codicis non contrariae, vim suam servant; quae vero eisdem opponuntur, abrogatae sunt (*can.* 489).

790. — In Ordinibus religiosis distinguendum est inter *Regulam* et *Constitutiones*. Regula est quid substantialius et magis indeterminatum, eaque pluribus Ordinibus religiosis communis esse solet. Constitutiones autem cuilibet Ordini propriae sunt, eique peculiarem indolem a ceteris distinctam communicant.

Quatuor magnae Regulae sunt: *a*) **Sancti Basilii**, quam omnes monachi Ecclesiae orientalis sequuntur (2); *b*) **Sancti Augustini**, quam sequuntur Canonici regulares, Eremitae Sancti Augustini, Praemonstratenses, Dominicani et Servitae; *c*) **Sancti Benedicti**,

(1) Hinc notum carmen: «*Bernardus valles, montes Benedictus, amabat — Oppida Franciscus, magnas Ignatius urbes*».

(2) Non desunt qui asserant Carmelitas regulam Sancti Basilii profiteri; ipsi vero id negant. *Suárez*, De Relig. Soc. Jesu, *lib.* 1, *c.* 1, *n.* 2 et 6.

quam sequuntur Benedictini, Cistercienses, Cluniacenses, Camaldulenses, Caelestini, etc., et plerumque omnes Ordines militares hispani; *d*) **Sancti Francisci**, quae diversos ramos magnae familia Franciscanae, Capuccinos, etc., comprehendit.

Peculiarem Regulam habent Carthusienses et Minimi Sancti Francisci a Paula.

Societas Jesu pro Regula, a Sancta Sede approbata, habet Constitutiones quas Sanctus Ignatius ei dedit. Cfr. *Suárez*, De Relig. Soc. Jesu, *lib.* 1, *c.* 1, *n.* 7.

Nobis dubium est num Codex in praesenti canone 489, de Regula proprie dicta Ordinum religiosorum, et consequenter, de Sancti Ignatii Constitutionibus agat, vel potius de regulis pluraliter sumptis, uti sunt regulae magistri novitiorum, etc.

791. II. **Religiones feminarum.**—Quae de religiosis in Codice statuuntur, etsi masculino vocabulo expressa, valent etiam pari jure de mulieribus, nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet (*can.* 490).

III. **Praecedentia.**—*a*) Religiosi praecedunt laicis; *b*) religiones clericales, laicalibus; *c*) canonici regulares, monachis; *d*) monachi, ceteris, regularibus; *e*) regulares, Congregationibus religiosis; *f*) Congregationes juris pontificii, Congregationibus juris dioecesani; *g*) intra eamdem speciem, servandum est praescriptum canone 106, n. 5 (*can.* 491, § 1; vide *n.* 233, 5.[a]); *h*) *clericus saecularis* praecedit tum laicis tum religiosis extra eorum ecclesias, atque etiam in eorum ecclesiis si agatur de religione laicali (v. gr. fratrum S. Joannis de Deo, fratrum de Doctrina Christiana, etc.); *i*) Capitulum Cathedrale vel Collegiale religiosis praecedit ubique locorum, etiam intra eorum ecclesias (*can.* 491, § 2).

TITULUS IX

De erectione et suppressione religionis, provinciae, domus

CAPUT I

RELIGIONIS ERECTIO SEU FUNDATIO

792. — I. Episcopi, *non* autem *Vicarius Capitularis vel Vicarius Generalis*, Congregationes religiosas condere possunt. Nihilominus, inconsulta Sede Apostolica, nec ipsis eas condere licet, nec permittere ut alii eas condant (*can.* 492, § 1).

II. Si de *Tertiariis* agitur in communi viventibus, requiritur etiam ut a Generali primi Ordinis suae religioni aggregentur (*Ibid.*).

793. **Historica animadversio.** — *a*) Approbatio religionis votorum solemnium reservata fuit Papae a Concilio Lateranensi IV, celebrato an. 1215, et a Lugdunensi an. 1273 (1).

b) Instituta votorum simplicium nondum tunc fundata fuerant, et deinceps a Sancto Pio V expresse prohibita sunt. Ubi autem ab Ecclesia postea admissa sunt, eorum approbatio Sedi Apostolicae reservata censebatur (2). Paulatim vero, ex Ecclesiae tolerantia, consuetudo invaluit ea cum approbatione Ordinarii dumtaxat instituendi. Cfr. *Bouix*, l. c., § III.

794. *a*) **Expressa facultas a Leone XIII data.** — Primum documentum pontificium quo expresse vis juridica illi consuetudini tribuitur, est const. Leonis XIII *Conditae a Christo*, 8 dec. 1900, qua instituta religiosa in dioecesana et pontificia dividuntur, prout ab Ordinario solum approbata sint, aut gratiam obtinuerint saltem recognitionis suarum constitutionum jussu Sanctae Sedis. Recognitio nunc ad S. C. Religiosorum pertinet.

b) «**Normae**». — Imo, ex *Normis* an. 1901 a S. C. Episcoporum et Regularium editis, apparet Sanctam Sedem nullum jam simplicium votorum institutum generatim probare, nisi illa quae pluribus annis sola approbatione Ordinarii velut ad experimentum vitam duxerint. *Ferreres*, La Curia, *nn.* 508-511.

c) **Pii X restrictio.** — Haec Ordinarii facultas *Motu proprio* Pii X *Dei providentia*, 16 jul. 1906, quodammodo coarctata est; eamdemque restrictionem Codex hoc canone 492, § 1, confirmat; ait enim Episcopum, inconsulta S. Sede, Congregationes fundare non posse.

795. **Disciplina vigens.** — Vi hujus restrictionis, Episcopus nullum novum institutum sive virorum sive mulierum approbare potest, quin prius ad S. C. Religiosorum recurrat, eamque edoceat quaenam sit persona fundatoris, quid intendat, quisnam sit finis instituti, quod ejus nomen, quis habitus (quo, v. gr., colore, qua forma), etc., pro novitiis aut pro professis desideratur; quibus operibus vacare intendat, quibus mediis potiatur; et si alia similia instituta jam in dioecesi adsint, quibus operibus haec instituta vacent.

Accepto beneplacito S. Congregationis, Episcopus in approbatione, normam a Congregatione traditam sequetur, quin unquam deinceps haec praescripta S. Congregationis immutari valeant. Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 512-519.

---

(1) Vide *Decretal., lib.* 3, *tit.* 36, *c.* 9; *lib.* 3, *tit.* 17, *c. un.* in 6.°; *Extrav.* Joann. XXII, *tit.* 7, *c. un.*

(2) Cfr. *Suárez*, de Relig., 1-2, *c.* 16, *n.* 22; *Pirhing, lib.* 3, *tit.* 36, *n.* 33; *Bouix*, De jur. Regul., *part.* 2, *sect.* 1, *c.* 2, § 2, *pag.* 4 et 12.

Instituta ab Ordinario approbata, post acceptam veniam S. Congr. Religiosorum, **sunt juris dioecesani.** *Ferreres*, l. c., *n.* 520.

795. **Tertiarii.** — Ut canonis praescriptum de tertiariis intelligatur, sciendum est nonnullos Ordines religiosos, v. gr. Sancti Dominici, S. Francisci, etc., praeter Primarium Ordinem, duplicem alium habere, sc., Ordinem Secundum, pro solis feminis; et Ordinem Tertium, qui in duas partes subdividitur: Tertium nempe Ordinem *regularem*, et Tertium Ordinem *saecularem*.

Tertius Ordo *regularis* religionem proprie dictam interdum constituit cum votis *solemnibus;* interdum Congregationem religiosam votorum simplicium.

Tertii Ordines *saeculares*, ut postea explicabitur, tantum personas saeculares comprehendunt. Cfr. *Ferreres*, Las Cofradías, *n.* 156.

CAPUT II

CONGREGATIONUM INDOLES DIOECESANA. NOMEN ET HABITUS

797. **Quando dioecesanam indolem amittunt.** — Congregatio juris dioecesani, quamvis decursu temporis in plures dioeceses diffusa, usque tamen dum pontificiae approbationis aut laudis testimonio caruerit, remanet dioecesana, Ordinariorum jurisdictioni ad normam juris plane subjecta (*can.* 492, § 2).

798. — Ut melius haec doctrina declaretur, sciendum est S. C. Religiosorum in approbatione instituti alicujus religiosi his gradibus procedere consuevisse: 1.° interdum *finem* dumtaxat instituti, aut rectam fundatoris *intentionem* laudat, quo quidem institutum ex indole et conditione dioecesani non extrahitur; 2.° interdum *decretum laudis* concedit, seu *amplissimis verbis* institutum ipsum commendat et laudat, quo evulgato, institutum ex dioecesano fit papale, et legibus talium institutorum subjicitur; 3.°, decretum *aprobationis instituti* promulgat, quod solum post aliquot annos a *decreto laudis* elapsos facit. Hi sunt consueti gradus, quamvis interdum approbatio haec postrema detur quin decretum laudis nec litterae commendatitiae praecesserint. Cfr. *Ferreres*, La Curia, *n.* 521.

799. **Jus exclusivum ad nomen et habitum.** — Nec nomen nec habitus religionis jam institutae assumi potest ab iis qui ad illam legitime non pertinent, aut a nova alia religione (*can.* 492, § 3).

CAPUT III

SUPPRESSIO ALICUJUS RELIGIONIS: DISPOSITIO DE IPSIUS BONIS

800. — I. Solus Papa religionem legitime constitutam supprimere potest, licet ea dioecesana tantum sit, imo etsi unica domo constet (*can.* 493).

II. Suppressione facta, ad Papam dumtaxat pertinet de bonis ejus statuere, salva offerentium voluntate (*Ibid.*), quae sc. servanda est, si, v. gr., providerint ut in casu suppressionis ad familiam offerentis devolvantur, aut in aliud religiosum institutum transferantur, aut in Missis celebrandis, vel scholis fundandis impendantur, etc.

CAPUT IV

PROVINCIARUM ERECTIO, DIVISIO, ETC.

801. I. Sanctae Sedi pariter reservatur religionem juris pontificii in provincias *dividere*, constitutas jam provincias conjungere vel aliter circumscribere, novas condere conditasque supprimere, monasteria sui juris a monastica Congregatione separare et alii unire, etc. (*can.* 494, § 1).

II. Salvis legibus justitiae et voluntate fundatorum, statuere de bonis extinctae alicujus provinciae, spectat, nisi constitutiones aliud caveant, ad Capitulum generale, vel, extra tempus Capituli, ad Superiorem generalem cum suo Consilio (*Ibid.*, § 2).

III. *a*) Congregatio religiosa juris dioecesani in alia dioecesi domos constituere non potest, nisi consentiente utroque Ordinario, tum loci ubi est domus princeps, tum loci quo velit commigrare. Ordinarius autem loci unde excedit, consensum sine gravi causa negare nequit (*can.* 495, § 1).

b) Si ad alias dioeceses ea propagetur, nihil de ipsius legibus mutari potest, sine consensu *omnium* Ordinariorum quorum in dioecesibus domos habet. Imo in Congregationibus quae Sedi Apostolicae subjectae fuerunt eo quod ab ipsa approbationem vel decretum laudis obtinuerunt ad normam canonis 492, nihil omnino mutari poterit (*Ibid.*, § 2). Vide *nn.* 797, 798.

CAPUT V

DOMORUM ERECTIO ET SUPPRESSIO

802. **Erectio**. — I. Nulla religiosa domus erigenda est nisi judicari prudenter possit vel ex reditibus propriis, vel ex consuetis eleemosynis vel alio modo congruae sodalium habitationi et sustentationi provisum iri (*can.* 496).

II. 1.° Ad erectionem domus religiosae quae sit *a*) *exempta*, sive formata sive non formata, aut *b*) monasterium monialium, aut *c*) domus quaecumque in territorio S. Congr. de Propaganda Fide subjecto, requiritur beneplacitum Sedis Apostolicae, et Ordinarii loci consensus in scriptis datus. 2.° Si tamen domus *nec exempta*, nec monialium monasterium sit, nec in territorio S. Congr. de Propaganda Fide subjecto exstruatur, sufficit licentia Ordinarii loci (*can.* 497, § 1).

III. Licentia ad novam domum constituendam secumfert: *a*) si de religione clericali agitur, facultatem habendi ecclesiam vel publicum oratorium domui annexum (salvo praescripto can. 1162 § 4), itemque facultatem sacra ministeria peragendi, servatis de jure servandis (v. gr., in approbatione ad confessiones excipiendas necessaria, etc.); *b*) tum in clericali tum in ceteris omnibus, facultatem pia opera exercendi religionis propria, salvis conditionibus in ipsa licentia expressis (*Ibid.*, § 2).

IV. Ut aedificentur et aperiantur schola, hospitium vel similis rationis sedes separata a domo, etiam exempta, necessaria est et sufficit specialis Ordinarii scripta licentia (*Ibid.*, § 3).

V. Ut constituta domus in alios usus convertatur, eaedem solemnitates requiruntur ac pro fundatione in § 1, nisi, salvis legibus fundationis, conversio ad internum regimen et disciplinam religiosam dumtaxat referatur (*Ibid.*, § 4); ut si in domum in qua studia philosophiae sunt, theologiae studia transferantur; aut in domo in qua ministeria cum proximis exercentur, et collegium alumnorum saecularium habetur, suppresso hoc, studia sodalium Ordinis instituantur, etc.

803. **Domorum suppressio**. — Ad supprimendam *a*) domum *exemptam*, sive formatam sive non formatam, requiritur beneplacitum apostolicum; *b*) si domus *non* sit *exempta* et sit *juris pontificii*, sufficit et requiritur auctoritas Superioris Generalis cum consensu Ordinarii loci; *c*) si *juris dioecesani* sit, sufficit auctoritas Ordinarii loci, audito Superiore Congregationis. Excipe si Congregatio nullam omnino aliam domum habeat, hanc enim supprimere esset aequipollenter Congregationem ipsam supprimere, quod ex can.

493 Sanctae Sedi reservatur. A decreto suppressionis cujuslibet potest Superior ad Sanctam Sedem appellare, ita ut Ordinarii decretum *suspendatur* donec Sancta Sedes rem definiat (*can.* 498).

CAPUT VI

DE RELIGIOSIS DOMIBUS IN HISPANIA ERIGENDIS

804. —Quoniam erectio domus religiosae ad regimen internum Ecclesiae pertinet, ad eam sufficit de se licentia auctoritatis ecclesiasticae, quin necessaria sit in natione catholica licentia auctoritatis civilis.

Ubi tamen ob hanc vel aliam rationem potestas civilis sibi damnum aliquod imminere existimat, Sancta Sedes reclamationes aut observationes sibi propositas admittit, et interdum de hac re Concordata instituit.

805. In **Hispania**, Concordatum, art. 29, expresse de religiosis viris agit sequentibus verbis:

«Eum in finem, ut in universa Peninsula adsint sufficienti numero ministri atque operarii evangelici, quibus uti valeant Episcopi ad sacras missiones pro variis suarum dioecesium locis, ad parochorum subsidium, ad aegrotantium opem, atque ad alia charitatis et publicae utilitatis opera, Regium Gubernium, cui mens est meliori conditioni collegiorum quae ad missiones pro ultramarina ditione institut asunt, opportune prospicere, nulla interposita mora, reque prius cum Praelatis dioecesanis collata, efficiet ut ubi necesse sit, constituantur domus et Congregationes religiosae, Sancti Vincentii a Paulo, Sancti Philippi Nerii, atque alterius regularis Ordinis ex adprobatis per Apostolicam Sedem, quae simul ecclesiasticis viris ad se recolligendum, his aliisque ad spiritualia exercitia peragenda, ceterisque id genus piis usibus inservient.»

Non defuerunt qui contenderent, ex Concordato, in Hispania solum eos admitti Ordines vel Instituta religiosa quae hoc articulo 29 nominantur; at graviter errant.

Articulus solum de iis Ordinibus agit ad quos fovendos et subsidiis ad sustentationem juvandos Gubernium se obligat.

806. — Reliqui Ordines libere domos erigere possunt vi art. 1.^{i}, 4.^{i} et 43.^{i} 1.^{us} enim jura omnia et praerogativas Ecclesiae catholicae recognoscit; 4.^{us} recognoscit exercitium auctoritatis Ecclesiae juxta sacros canones; 43 sic ait: «Cetera ad res et personas ecclesiasticas pertinentia, super quibus provisum non est articulis praecedentibus, dirigentur omnia et administrabuntur juxta canonice vigentem Ecclesiae disciplinam.»

Id etiam deducitur ex allocutione Pii IX habita in Consistorio secreto 5 sept. 1851, his enim verbis de Concordato cum Hispania

recenter celebrato Cardinales certiores facit: «Cum autem Religiosae Familiae pie institutae ac recte administratae maximo sint Ecclesiae et civili societati usui et ornamento, quantum in Nobis fuit haud omisimus eniti ut illic (*in Hispania*) Regulares Ordines *conserventur*, *restituantur*, *augeantur*. Atque in eam profecto spem erigimur, fore ut propter avitam ejusdem Carissimae in Christo Filiae Nostrae pietatem et eximiam Hispanae Nationis religionem ipsi Regulares Ordines ibi pristina dignitate ac splendore fruantur» (*Acta Pii IX*, *part.* I, *vol.* 1, *pag.* 297).

Profecto, si nihil nisi contentum in art. 29 obtinuisset Pontifex, in spem eam erigi non potuisset, nec meminisse suum conatum ut in Hispania Regulares Ordines conservarentur, restituerentur, augerentur.

Valde etiam rarum fuisset eumdem Pium IX, qui in omnibus concordatis a se celebratis plenam libertatem Ordines Religiosos erigendi vindicavit (1), id tantum in Hispania, natione apprime catholica, omisisset.

807. Itaque, juri concordato valde consonum est id quod D. Maura in sessione Congressus 16 julii 1901 ait: «El Concordato, por lo menos en tres de sus artículos, dice que la integridad de la disciplina y del Derecho canónico queda incorporado por el acuerdo de las dos Potestades al Derecho español (artículos 1.°, 4.° y 43). Pues, siendo así, todos los institutos religiosos tienen la misma legitimidad de origen que las tres Órdenes del art. 29, que se supone ser lo único concordado y estatuído acerca de este punto.

»Hay más. A raíz del Concordato, Pío IX, en el Consistorio de 5 de septiembre de 1851, dijo explícitamente que había hecho el Concordato *para que en España se conserven, restablezcan y aumenten las Ordenes Religiosas...*

»Han pasado largos años viendo establecerse Ordenes Religiosas, viendo autorizar Ordenes Religiosas, viendo cruzar por las calles a los Religiosos con sus hábitos, y, sin embargo, a nadie se le ha ocurrido que fuesen esos actos ilegales, ni que constituyeran extralimitación el autorizarlas y el consentirlas», etc. Cfr. *Alcubilla*, v. Concordatos, *vol.* 4, *pag.* 113, edit. 6.ª — Itemque id quod sequentis diei sessione ait D. Franciscus Silvela: «Las grandes Ordenes Religiosas de la Iglesia universal no son Asociaciones, son Institutos de la Iglesia, no comprendidos en la ley de Asociaciones, sino en el Concordato, el cual debe ser entendido en el sentido de libertad completa de la Iglesia para las Ordenes Religiosas.» *Alcubilla*, l. c., *pag.* 113, 114.

---

(1) Vide Concordata Costaricae *a.* 20; Guatemalae, *a.* 21; Austriae, *a.* 28; Wurtemberg et Baden, *a.* 4; Haití, *a.* 12; Aequatoris, *a.* 20; Nicaraguae, *a.* 20; Sancti Salvatoris, *a.* 20. Vide *Nussi*, l. c., *pag.* 146-149.

TITULUS X

De religionum regimine

CAPUT I

DE SUPERIORIBUS ET DE CAPITULIS

ARTICULUS I

DE RELIGIOSIS RESPECTU SUPERIORUM QUI DE RELIGIONE IPSA NON SUNT

808. **Religiosi** *a*) **respectu Papae.** — Religiosi omnes, tanquam supremo Superiori, subduntur Romano Pontifici, cui obedire tenentur etiam vi voti obedientiae (*can.* 499, § 1).

b) **Respectu Cardinalis Protectoris.** — Cardinalis Protector cujusque religionis, nisi aliud expresse cautum fuerit in peculiaribus casibus, jurisdictione in religionem aut in singulos sodales non pollet, nec potest se interiori disciplinae et bonorum administrationi immiscere; sed ejus est tantummodo bonum religionis consilio et patrocinio promovere (*Ibid.*, § 2).

c) **Respectu Ordinarii loci.** — Subduntur Ordinario loci, iis exceptis qui a Sede Apostolica exemptionis privilegium consecuti sunt; qui tamen ipsi etiam subjecti sunt in rebus quae jure definiuntur (*can.* 500, § 1).

Moniales quae sub jurisdictione Superiorum regularium ex praescripto constitutionum sunt, Ordinario loci subduntur tantum in casibus jure expressis (*Ibid.*, § 2).

d) **Respectu alterius Ordinis religiosi.** — Nulla virorum religio sine *apostolico* indulto potest sibi subditas habere religiosas Congregationes mulierum, aut earum religiosarum curam et directionem retinere sibi specialiter commendatam (*Ibid.*, § 3).

ARTICULUS II

NATURA ET AMPLITUDO POTESTATIS SUPERIORUM RELIGIOSORUM

809. — I. Superiores et Capitula *a*) *potestatem dominativam* in subditos habent ad normam constitutionum et juris communis; *b*) si religio est *clericalis exempta*, habent insuper *jurisdictionem*

ecclesiasticam in illos, tam pro foro interno, quam pro foro externo (*can.* 501, § 1).

Inde infertur Superiores locales religionum clericalium exemptarum esse proprie Praelatos, habent enim jurisdictionem in foro externo (vide *can.* 110 et *n.* 245); non tamen sunt Ordinarii (vide *can.* 198 et *nn.* 366, 367).

II. Superioribus quibuslibet districte prohibetur quominus in causis ad S. Officium spectantibus se intromittant (*Ibid.*, § 2).

III. Abbas Primas et Superior Congregationis monasticae non habent omnem potestatem et jurisdictionem quam jus commune tribuit Superioribus majoribus, sed eorum potestas et jurisdictio desumenda est ex propriis constitutionibus et ex peculiaribus Sanctae Sedis decretis, firmo praescripto can. 655, 1594, § 4 (*can.* 501, § 3).

IV. Superior Generalis potestatem obtinet in omnes provincias, domos, sodales religionis, exercendam secundum constitutiones. Alii Superiores ea gaudent intra fines sui muneris (*can.* 502) (Provincialis nempe in provincia, Superior localis in domo etc.).

In religionibus clericalibus *exemptis*, Superiores majores possunt *notarios* constituere, sed tantum pro negotiis ecclesiasticis suae religionis (*can.* 503).

ARTICULUS III

QUALITATES SUPERIORUM, EORUMQUE MUNERIS DURATIO

810. *a*) **Qualitates**. — Ad munus Superioris majoris *valide* suscipiendum, requiritur ut saltem a *decem* annis, a prima professione computandis, in eadem religione electus professus sit, atque e legitimo sit matrimonio natus. Item, ratione aetatis *quadragesimum* annum expletum habere debet, si de Generali religionis aut de Antistita in monasterio monialium agitur, et triginta, si de aliis Superioribus majoribus. Firmae autem manent constitutiones quae provectiorem aetatem aut potiora requisita exigant (*can.* 504).

b) **Muneris duratio**. — Superiores *majores* non debent esse perpetui, nisi aliter ferant constitutiones; Superiores *minores locales* ad tempus ultra triennium constituendi non sunt; quo exacto, possunt ad idem munus iterum assumi, sed non tertio immediate in eadem religiosa domo (*can.* 505).

ARTICULUS IV

ELECTIONES

811. I. **Capitulum ad electiones**. — In religionibus virorum, cum ad eligendos Superiores majores Capitulum congregatur,

omnes et singuli de Capitulo debent ante ipsam electionem jure-jurando promittere se electuros quos secundum Deum eligendos esse existimaverint (*can.* 506, § 1).

812. II. **Electio Antistitae in monasterio monialium. Praesidentia.** — *a*) Episcopus per se, aut per delegatum, electioni praesidebit, et suffragia recipiet, si monasterium ejusdem jurisdictioni subsit (*Ibid.*, § 2). Cfr. *Ferreres*, Las Religiosas, *com.* V, *n.* 31 *seq.*

Suffragia vero recipiet Superior regularis (1), si huic subjectum sit monasterium (*can.* 506, § 2), quo in casu etiam Episcopus assistere cum Superiore potest, et cum eo praesidere (*Ibid.*), non tamen suffragia annotare. Episcopus ibi praeses ratione honoris et directionis est, praeses autem effectivus ratione jurisdictionis est Praelatus regularis. Episcopus nequit moniales ante electionem de rebus electionis interrogare: debet tamen suffragia audire si voce (2) ferantur, aut schedarum traditioni assistere si suffragia scripta sint.

b) **Tempestive monendus Praelatus.** — Integro mense antequam triennium finiatur, debet Antistita Praelatum cui subjecta est de electione commonefacere, eique duplex mittere exemplar catalogi in quo notentur nomina, aetas, tempus professionis et munera omnium vocem habentium, itemque specialia adjuncta ob quae aliqua eligi non possit, v. gr. quia vidua sit.

c) **Scrutatores.** — Praeses seu qui suffragia recipit duos alios sacerdotes secum testes habere debet, qui munus scrutatorum gerant (*can.* 506, § 2).

Suffragia excipient aut audient exterius ante cancellos, quin monasterii clausuram ingrediantur (*Ibid.*). *Trid. sess.* 25. De regular., *c.* 7. Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 32-34.

d) **Moniales regularibus subjectae.** — In monasteriis regularibus subjectis, licet Episcopus assistat, neminem alium qui secum etiam assistat ducere potest; potest tamen alium, qui nomine suo assistat et praesit, delegare (*Ibid.*). Electionis confirmatio non ad Episcopum, sed ad Praelatum regularem spectat.

Ad hunc etiam, et non ad Episcopum, pertinet designatio diei et horae electionis, et de utraque tempestive Episcopus est edocendus.

Si Episcopus declaret velle se proprium jus assistendi et electioni praesidendi exercere, exspectandus est usque ad assignatam horam. Si eo tempore non comparet, non est obligatio eum ulte-

---

(1) Notandum est religiosas omnes, etiam votorum solemnium, in Hispania Ordinario subjectas esse, juxta encyclicam S. C. Ep. et Reg. *Peculiaribus inspectis*, 10 dec. 1858. Haec est transitoria praescriptio, orta ex specialibus Hispaniae adjunctis, eaque singulis trienniis renovatur. Vide *Ferreres*, Las Religiosas, *com.* I, *n.* 17.

(2) Suffragia in capsulam mittuntur scripta; si tamen aliqua religiosa scribere nesciat, aut ob impedimentum scribere nequeat, viva voce et secreto ante praesidem et scrutatores suffragium proferet, ipsi autem id scribent et in capsulam mittent.

rius exspectandi, et electio fieri potest. Si vero ante assignatam horam fit electio, aut Episcopus praevie non fuerat admonitus, jus habet ipse Episcopus in Superiorem animadvertendi, imo et electionem irritandi. Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 35, 36.

e) **Confessarius et electio**. — Confessarius ordinarius in scrutatorem assumi non potest (*can.* 506, § 3). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 37, 6.°

Ratio excludendi confessarium ordinarium e numero scrutatorum est ne praesentia ipsius libertatem eligentium coarctet; idque non tantum ubi suffragium voce, sed etiam ubi scripto ferendum sit, fortasse enim timere possunt ne ex scriptionis forma a confessario dignoscantur. Generatim expedit ut qui in foro interno judex est, quam minimum fieri possit rebus suorum poenitentium ad forum externum pertinentibus sese immisceat.

Eamdem ob causam videtur non posse eum designari tamquam delegatum ab Ordinario aut a Praelato regulari, ut electioni praesit. *Ferreres*, l. c., *n.* 39.

f) **Ordo electionis**. — Electio facienda est collectis suffragiis in capsula clausa.

Schedulae in capsula depositae, quibus suffragia significantur, a praeside et scrutatoribus aperiendae sunt.

Si ob aliquam gravem rationem suffragia viva voce emittenda fuerint, ea pariter tum a praeside, tum a sacerdotibus scrutatoribus audienda sunt. S. C. Religiosorum, 27 aug. 1910. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 37.

813. **Conditiones essentiales**. — Quaenam ex praedictis conditionibus ad validitatem sint essentiales, quaenam vero ad liceitatem solum requirantur, Codex non definit.

Duplicem scrutatorem actui interesse, et utrumque cum praeside suffragia scripta legere aut viva voce prolata audire, id certe essentiale nobis videtur. Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 42, 127 *seq.*

814. **Electiones in Congregationibus votorum simplicium**. — *a*) In Congregationibus votorum simplicium, etiam Ordinarius loci in quo electio celebratur Capitulo generali, sive per se, sive per alium sacerdotem a se delegatum, praeesse debet (*can.* 506, § 4). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 45.

b) Si Ordinarius unum aut plures sacerdotes secum adducere velit, hi nullatenus electioni interesse possunt, non enim scrutatores sunt; sed ipsae eligentes e gremio suo duas scrutatrices ad scrutinium, et unam secretariam ad acta omnia Capituli exaranda eligere debent. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 46.

c) Si Congregatio dioecesana fuerit, ad Ordinarium pertinet electionem confirmare aut rescindere, juxta prudens suum judicium (*can.* 506, § 4). Hinc infertur in Congregationibus pontificiis electionem non esse confirmandam.

815. IV. **Normae electionum generales**. — *a*) In electionibus a Capitulis faciendis, jus commune ad normam can. 160-182 (vide *nn.* 321-349) servandum est, praeter constitutiones cujusque religionis quae ipsi non sint contrariae (*can.* 507, § 1).

b) Cavere omnes item debent ne directe aut indirecte pro se aut pro alio suffragium quaerant (*Ibid.*, § 2).

c) *Postulatio* (vide *n.* 342 *seq.*) solum in casu extraordinario, et dummodo constitutiones non prohibeant, admitti potest (*Ibid.*, § 3).

ARTICULUS V

SUPERIORUM OFFICIA

816. I. **Residentia**. — Superiores in sua cujusque domo degere, nec inde, nisi ad normam constitutionum, discedere debent (*can.* 508). Id praesertim ad Superiores locales, itemque ad Generalem spectat, minus autem ad Provinciales, qui ratione sui muneris diversas provinciae domos visitare debent.

II. **De promovenda observantia**. — *a*) Omnes Superiores *decretorum Sanctae Sedis* quae religiosos respiciunt, cognitionem et exsecutionem apud subditos suos promovere debent (*can.* 509, § 1).

b) Curare debent: 1.° ut saltem semel in anno, statis diebus, publice legantur: *a*) propriae constitutiones; *b*) decreta quae Sancta Sedes legenda praescripserit; 2.° ut saltem *bis in mense* (praeter praescriptum can. 565, § 2, de catechetica hebdomadaria adhortatione pro fratribus laicis), fiat *a*) pro laicis et familiaribus, doctrinae christianae explicatio eorum captui accommodata; *b*) pro communitate, praesertim in religionibus laicalibus, pia exhortatio (*Ibid.*, § 2).

817. III. **Relatio de statu religionis.**—*Quo tempore, quis, quomodo eam mittere debeat. a*) Singulis *quinquenniis*, aut frequentius, si id constitutiones exigant, scripta relatio de statu religionis ad Sanctam Sedem mittenda est. *b*) Eam mittere debent Abbas Primas, Superior Congregationis monasticae, et Generalis cujuslibet Instituti juris pontificii. *c*) Relatio a Superiore et ejus Consilio subscribenda est; et si agatur de Congregatione mulierum, etiam ab Ordinario loci in quo suprema Antistita cum suo Consilio residet (*can.* 510).

Hujusmodi relatio similis quodammodo est ei quam Episcopi, etc., in visitatione *ad Limina* faciunt (vide *n.* 653 *seq.*).

d) *Non est mittenda* praedicta relatio ab Antistitis conventuum clausurae: ibi enim rationem Sanctae Sedi reddere tenentur Ordinarius aut Superior regularis cui subditae sint. Nec talem relatio-

nem mittent Congregationes mere dioecesanae, hae enim solum Ordinario cujusque domus, si eam exigat, relationem deferre tenentur.

IV. **Domorum visitatio**. — Majores religionum Superiores quos ad hoc munus constitutiones designant, temporibus in eisdem definitis, omnes domos sibi subjectas visitare debent, per se, vel per alios, si fuerint *legitime* impediti (*can.* 511).

ARTICULUS VI

ORDINARIUS LOCI ET VISITATIO RELIGIOSARUM

818. **Quo tempore, qua ratione, quas domos visitare debet.** — Per se vel per alium, *quinto quoque anno*, visitare debet: *a*) singula *monialium monasteria* quae ipsi aut Sedi Apostolicae immediate subjecta sunt; *b*) singulas domos sive virorum sive mulierum *Congregationis juris dioecesani; c*) monasteria *monialium quae regularibus subduntur*, idque tantum de rebus ad religiosam *clausuram* spectantibus; si tamen Superior regularis monasterium a quinque annis non visitaverit, etiam in aliis omnibus rebus illud Episcopus visitare tenetur; *d*) singulas domos *Congregationis* (non *Ordinis*) *clericalis* juris *pontificii*, etiam exemptae, in iis quae pertinent ad ecclesiam, sacrarium, oratorium publicum et confessionalia; *e*) singulas domos *Congregationis laicalis juris pontificii*, non solum in iis, de quibus nunc pro clericalibus dictum est, sed etiam in aliis quae internam disciplinam spectant, ad normam tamen can. 618, § 2, *n.* 2 (*can.* 512).

N. B. De *administratione bonorum*, servanda sunt praescripta can. 533-535 (*Ibid.*).

ARTICULUS VII

VISITATORIS JURA ET OFFICIA

819. *a*) Visitator jus et officium habet interrogandi religiosos quos oportere judicaverit, et cognoscendi de iis quae ad visitationem spectant. Omnes autem religiosi obligatione tenentur respondendi secundum veritatem quaestionibus Visitatoris (*can.* 513, § 1).

b) Superioribus non licet subditos suos ab hac obligatione avertere, aut aliter visitationis scopum impedire (*Ibid.*).

c) A decretis Visitatoris recursus datur in devolutivo tantum, non vero in suspensivo, nisi Visitator ordine judiciario processerit (*Ibid.*, § 2).

ARTICULUS VIII

VIATICUM, EXTREMA UNCTIO, EXEQUIAE

820. **Ad quem hoc jus et officium pertinet.** — I. Superioribus religionis clericalis jus et officium est per se vel per alium Eucharisticum Viaticum et Extremam Unctionem ministrandi: *a*) aegrotis, sive professis, sive novitiis; *b*) ceteris in religiosa domo diu noctuque degentibus causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis (*can.* 514, § 1).

II. In *monialium* domo idem jus et officium habet ordinarius *confessarius* vel qui ejus vices gerit (*Ibid.*, § 2).

III. In alia religione laicali hoc jus et officium spectat ad parochum loci vel ad cappellanum quem Ordinarius parocho suffecerit ad normam can. 464, § 2 (*can.* 514, § 3). Cappellano nempe poterit Ordinarius hoc jus et officium tribuere vel non tribuere, prout id opportunum censuerit. Vide *n.* 760, V.

IV. In *funeribus* servandum praescriptum can. 1221, 1230, § 5 (*can.* 514, § 4), quod suo loco, lib. III, declarabitur.

ARTICULUS IX

TITULI HONORIFICI APUD RELIGIOSOS

821. **Tituli dignitatum aut officii mere honorifici religiosis prohibentur**, — et solummodo *tolerantur*, si id permittant constitutiones, tituli officiorum *majorum* quibus religiosi in propria religione reapse functi sint (*can.* 515). Toleratur itaque, si id constitutiones permittant, titulus ex-Generalis, ex-Provincialis, si de facto quis Generalis aut Provincialis in illo Ordine fuerit. Interdum in nonnullis Ordinibus id velut titulus honorificus pro meritis concedebatur. Nec permittitur titulus ex-Definitoris, etc., aliique similes. In Societate Jesu nulli alii tituli sunt nisi munerum quae actu quis gerit: quibus postquam functus est, in conditionem meri subditi redit, licet Provincialis fuerit, nulla servata praecedentia nisi in Congregatione provinciali.

Ratio praescripti hujus canonis est humilitas promovenda (religio enim humilitatis status et est et esse debet), itemque fraterna aequalitas, quibus virtutibus ii qui Superiores fuerunt, multum ceteris exemplo prodesse possunt.

ARTICULUS X

CONSULTORES — OECONOMUS — PROCURATOR GENERALIS

822. **Consultores**. — Supremus religionis aut monasticae Congregationis Moderator, Superior provincialis et localis, saltem si domus sit formata, suos habere debent consultores, quorum *consensum aut consilium* exquirant ad normam constitutionum et sacrorum canonum (*can.* 516, § 1). Vide *nn.* 229-231.

Oeconomi. — I. *Oeconomos* etiam (sive procuratores) pro administratione bonorum temporalium habere debent: *a*) alium *generalem*, qui religionis universae bona administret; *b*) alium *provinciae*, pro provincia; *c*) alium *localem*, pro cujusque domus bonis; qui omnes officio suo sub directione Superioris fungentur (*can.* 516, § 2).

II. Oeconomi generalis et provincialis munus gerere Superior ipse non potest. Munus oeconomi localis, quamvis melius a munere Superioris distinguatur, componi tamen cum eo potest, si necessitas id exigat (*Ibid.*, § 3).

III. Si de modo oeconomos eligendi constitutiones sileant, a Superiore majore cum *consensu* sui Consilii eligentur (*Ibid.*, § 4).

823. **Procurator generalis**. — Quaevis virorum religio juris *pontificii* procuratorem *generalem* habeat, qui, secundum constitutiones designatus, negotia propriae religionis apud Sanctam Sedem pertractet (*can.* 517, § 1).

Antequam praescriptum in constitutionibus tempus exspiret, is, inconsulta Sede Apostolica, *amovendus* non est (*Ibid.*, § 2).

CAPUT II

DE CONFESSARIIS ET CAPPELLANIS

ARTICULUS I

CONFESSARII IN RELIGIONIBUS CLERICALIBUS

824. I. **Confessariorum numerus; eorum facultates**. — In singulis religionis clericalis domibus plures pro sodalium numero confessarii approbati deputari debent, cum potestate, si agatur de religione exempta, absolvendi etiam a casibus in religione reservatis (*can.* 518, § 1).

Religiones non exemptae casus intra religionem reservatos non habent.

Facultas autem reservatos in religione casus omnes comprehendere debet, sive ii Generali, sive Provinciali aut locali Superiori reserventur.

II. **Quando Superiores subditorum confessiones audire possint.** — Superiores religiosi, potestatem audiendi confessiones habentes, *a*) confessiones subditorum tunc solum excipere possunt, cum ii sponte sua ac motu proprio id petant; at sine gravi causa id per modum *habitus* non agendum (*Ibid.*, § 2).

b) Praeterea cavere debent ne quem subditum aut ipsi per se, aut per alium vi, metu, importunis suasionibus aliave ratione inducant ut peccata apud se confiteatur (*Ibid.*, § 3).

Si tamen confessarius intelligit poenitentem gravi obnoxium esse periculo, a quo nisi a Superiore eripi nequeat, planum est posse ei consulere ut Superiori confiteatur, aut ei periculum aperiat et ab eo remedium petat.

825. **Confessarii a Superioribus assignati.** — Constitutiones quae confessionem statis temporibus praecipiunt vel suadent apud determinatos confessarios peragendam, vim suam retinent (*can.* 519). Perstat itaque *obligatio ex regula* eis peccata confitendi.

Si tamen religiosus, etiam exemptus, ad suae conscientiae quietem, confessarium adeat ab Ordinario loci approbatum, etsi inter designatos non recensitum, *a*) confessio, revocato quolibet contrario privilegio, *valida* et *licita* est; *b*) et confessarius potest religiosum absolvere etiam a peccatis et censuris in religione reservatis (*Ibid.*). Aliqua causa requiritur, quae raro aberit, ut ad hos confessarios quis recurrat. Sufficit ut poenitens quietem suae conscientiae quaerat.

Praesens canon decreto Pii X 5 aug. 1913 innititur. Cfr. *Ferreres*, ap. *Razón y Fe*, *vol.* 37, *pag.* 372 *seq.*

Vi hujus praescripti, antiqua et saecularis disciplina de confessariis regularium in praxi fere omnino abrogata fuit, idemque dicendum de disciplina circa casus reservatos in Ordinibus religiosis.

826. — *a*) Deinceps jam regulares et ceteri religiosi, tum intra tum extra domum, poterunt, occurrente praedicta causa, confiteri, sicut saeculares, cuicumque confessario saeculari aut religioso, proprii vel alterius Ordinis, dummodo ab Ordinario loci ad audiendas confessiones sit approbatus; et confessarius eos directe absolvere poterit, etiam a peccatis in Ordine reservatis, quamvis cum censura. Absolutio datur jurisdictione, non ab Ordinario, sed a Papa accepta. *Ferreres*, l. c., *pag.* 373, *nn.* 6, 7.

b) Sic omnis reservatio in Ordine practice cessat. Non id quidem absolute, nam cum Superior religiosus sacerdotibus appro-

batione Ordinarii destitutis facultatem absolvendi suos subditos adhuc concedere possit, hujusmodi confessarii antiquam disciplinam de reservatorum absolutione in Ordine sequi tenentur; attamen hi confessarii pauci erunt, cum confessarii maxima ex parte ab Ordinario approbationem habere consueverint. *Ferreres*, l. c., *n.* 11.

c) Extra dubium est religiosos easdem censuras quas prius ob certa peccata incurrebant, pariter in posterum incursuros. Attamen, practice loquendo, censurae intra Ordinem dumtaxat reservatae, erunt jam *nemini reservatae*, omnes enim aut fere omnes confessarii ab eis, sicuti a ceteris reservatis, absolvere poterunt. *Ferreres*, l. c., *pag.* 375, *n.* 14.

827. — Ad religiosos a *reservatis Papae* absolvendos, requiritur, ut prius, facultas specialis, qua qui gaudet et approbatus est ab Ordinario, eodem pacto religiosos ac saeculares absolvere potest. Idem dicendum de absolutione *in casibus urgentioribus:* qui enim ab Ordinario approbatus est, aeque saeculares ac religiosos absolvere valet.

Si qua religio insuetum obtinuit privilegium, ut ad absolvendos subditos suos, praeter facultatem Papae, requireretur licentia Superioris, censemus hoc item privilegium abrogari, nec enim aliud esset nisi reservatio intra aliam reservationem. *Ferreres*, l. c., *pag.* 377, *n.* 27.

Ratio qua praesens disciplina paulatim praeparata est videri potest ap. *Ferreres*, l. c., *pag.* 375-377, *nn.* 15-23. Haec disciplina religiosos viros respicit.

ARTICULUS II

DE CONFESSARIIS RELIGIOSARUM (1)

828. **Confessarius unicus.** — Singulis religiosarum domibus unus dumtaxat dandus confessarius, nisi propter magnum religiosarum numerum vel aliam justam causam sit opus altero vel pluribus (*can.* 520, § 1).

Causa justa ad novum confessarium ordinarium assignandum,

---

(1) Ad confessiones quarumcumque religiosarum (etiamsi novitiae sint) excipiendas, sive votorum solemnium sive simplicium eae sint, etiamsi Congregationis dumtaxat dioecesanae et non papalis fuerint, specialis jurisdictio requiritur. Quae disciplina ad ceteras feminarum pias communitates nullo voto adstrictas, itemque ad Filias Caritatis, ut lib. III, tit. IV dicemus, extenditur.

Memorata *specialis* jurisdictio *ad validitatem* requiritur, adeo ut sine ipsa ab Ordinario loci suscepta, nequidem ipse Generalis Ordinis religiosas sibi subjectas valide absolvere possit.

licet communitas magno numero non constet, esse potest, v. gr., si aliquae religiosae idioma alterius confessarii probe non intelligant aut loquantur; si magna pars communitatis ei confiteri repugnet, etc., etc. Cfr. *Ferreres*, Las Religiosas, *com.* I, *n.* 33.

829. **Confessarius seu director specialis**. — Si qua religiosa, ad animi sui quietem, et ad majorem in via Dei progressum, aliquem specialem confessarium vel moderatorem spiritualem postulet, eum facile Ordinarius concedere debet; qui tamen invigilet ne ex hac concessione abusus irrepant; quod si irrepserint, eos caute et prudenter eliminet, salva conscientiae libertate (*can.* 520, § 2).

Agitur, ut patet, de facultate data alicui religiosae, ut per modum habitus vel quasi habitualiter, et ad tempus quo pro animae suae quiete et profectu in spiritu id cupiat, specialem sibi confessarium aut moderatorem habeat. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 106.

830. **Confessarius extraordinarius generalis**.—Saltem quater in anno unicuique religiosarum communitati extraordinarius confessarius dandus est, cui omnes religiosae se sistere debent, saltem benedictionem recepturae (*can.* 521, § 1).

831. **Confessarii «ad casum»**. - *a*) Ordinarii locorum, in quibus religiosarum communitates exsistunt, aliquot sacerdotes pro singulis domibus designare debent, ad quos pro sacramento poenitentiae in casibus particularibus recurrere eae facile possint, quin necessarium sit ipsum Ordinarium toties quoties adire (*Ibid.*, § 2). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 88 *seq.*

b) Si qua religiosa aliquem ex his confessariis expetat, nulli Antistitae (nec locali, nec provinciali, etc.) licet, nec per se, nec per alios, nec directe, nec indirecte, petitionis rationem inquirere, petitioni verbis aut factis refragari, aut quavis ratione ostendere se id aegre ferre (*can.* 521, § 3). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 98 *seq.*

c) Religiosa confessarium inter designatos a Praelato quem maluerit eligere potest.

d) Antistita confessarium expetitum negare nequit, quamvis intelligat rationem petendi nullam esse, «quamvis plane videat necessitatem esse fictam, vel scrupulis, vel alio mentis defectu, ut veram ab ipsa petenti apprehensam» (1); subditi tamen *in genere* admoneri possunt sibi licitum non esse extraordinarium confessarium petere, nisi cum ad bonum suae conscientiae id necessarium est.

e) Quod si de facto particularem extraordinarium confessarium pluries quam id opus sit expetant, *a*) debet Ordinarius religiosas monere facultatem in decreto concessam *exceptionem* dumtaxat esse, pro casibus verae et absolutae necessitatis, et *b*) confes-

(1) S. C. Ep. et Reg., 17 aug. 1891, ad III.

sarius eis ministerium suum negare debet. Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 93, 94 *seq.*

832. **Religiosarum confessio in ecclesia aut oratorio semipublico.** — I. Si, non obstante praescripto can. 520, 521, aliqua religiosa, ad suae conscientiae tranquillitatem, confessarium adeat ab Ordinario loci pro mulieribus approbatum (licet non pro feminis religiosis), confessio in qualibet ecclesia vel oratorio (publico), et etiam semipublico peracta, valida et licita est, revocato quolibet contrario privilegio (*can.* 522).

II. Antistita non potest has confessiones sive directe sive indirecte prohibere, aut de iis inquirere; religiosae de iis nihil Antistitae dicere tenentur (*Ibid.*). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 118.

833. **Confessarii graviter aegrotantium.** — Religiosae omnes, sive votorum solemnium sive votorum simplicium, cum graviter aegrotant, *licet mortis periculum absit*, quemlibet sacerdotem ad mulierum confessiones excipiendas approbatum, etsi non destinatum religiosis, arcessere possunt; eique, perdurante *gravi* infirmitate, quoties voluerint, confiteri, nec Antistita potest eas sive directe sive indirecte prohibere (*can.* 523).

Prudentes Antistitae non exspectant in his adjunctis donec aegrotans extraordinarium confessarium expetat, sed ipsaemet, licet morbus gravis non afferat mortis periculum, eum sponte offerunt, et hoc modo infirmam solantur et adjuvant, quae forte timida nimis aut verecunda confessarium exposcere cunctatur. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 137.

ARTICULUS III

QUALITATES CONFESSARII RELIGIOSARUM, EIUS NOMINATIO, MUNERIS DURATIO, ET REMOTIO

834. **Qualitates.** — In munus confessarii religiosarum, sive ordinarii sive extraordinarii (sive specialis), deputandi sunt sacerdotes, sive e clero saeculari, sive religiosi de Superiorum licentia, morum integritate ac prudentia praestantes (*can.* 524, § 1).

Hujusmodi confessarii *a*) quadragesimum annum expletum habere debent, nisi justa causa, judicio Ordinarii, aliud exigat; *b*) nullam potestatem in easdem religiosas in foro externo habere debent (*Ibid.*): quare nequit confessarius esse Vicarius Generalis, nec Generalis aut Provincialis superior pro religiosis sibi subjectis. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 63.

Justa causa ad juniorem confessarium assignandum poterit esse defectus aliorum confessariorum qui sint apti et quadragesimum annum expleverint; junioris aptitudo et prudentia singularis; triennium ejus qui solus sit quadragenarius elapsum jam esse, etc. Cfr. Ferreres, l. c., *n.* 58.

N. B. Confessarii religiosarum, tum ordinarii tum extraordinarii, interno vel externo communitatis regimini nullo modo sese immiscere queunt (*can.* 524, § 3).

835. **Quis eos nominat.** — I. Tam ordinarii quam extraordinarii pro iis religiosis quae Ordinario aut Sanctae Sedi immediate subjiciuntur, ab ipso Ordinario nominandi sunt (*can.* 525).

II. Pro subjectis Superiori regulari, hic confessarios Ordinario praesentat, cujus est eosdem approbare, et Superioris negligentiam, si opus sit, supplere (*Ibid.*).

836. **Muneris duratio.** — I. Confessarius ordinarius generatim ultra triennium munus suum exercere nequit. Poterit tamen Ordinarius eumdem confirmare ad secundum, imo ad tertium triennium, *a*) si ob sacerdotum ad hoc officium idoneorum penuriam aliter providere nequeat, *b*) aut major religiosarum pars, earum quoque quae in aliis negotiis jus non habent ferendi suffragium, in ejusdem confessarii confirmationem per secreta suffragia convenerit. Dissentientibus tamen, si velint, aliter providendum est (*can.* 526).

II. Confessarius ordinarius non potest nominari extraordinarius, nec, praeter casus in can. 526 recensitos, rursus deputari ordinarius in eadem communitate, nisi post annum ab expleto munere. Extraordinarius vero immediate ut ordinarius designari potest (*can.* 524, § 2).

837. **Remotio.** — Loci Ordinarius, ad normam can. 880, potest, gravem ob causam, religiosarum confessarium, tam ordinarium quam extraordinarium, amovere. Id etiam facere potest etiamsi monasterium regularibus subdatur, et ipse confessarius sit regularis. Nec tenetur causam amotionis cuiquam significare, excepta Apostolica Sede, si ab ea requiratur; de amotione autem debet Superiorem regularem monere, si moniales regularibus subdantur (*can.* 527).

ARTICULUS IV

CONFESSARII ET CAPPELLANI IN LAICALIBUS VIRORUM RELIGIONIBUS

838. **Confessarii in laicalibus virorum religionibus.** — Etiam in laicalibus virorum religionibus deputandi sunt, ad normam can. 874, § 1, 875, § 2, confessarius ordinarius et extraordinarius; et si religiosus aliquem specialem confessarium expostulet, illum Superior concedat, nullo modo petitionis rationem inquirens neque id aegre se ferre demonstrans (*can.* 528).

839. **Cappellanus vel is qui adhortationes facturus est.** — *a*) Si agatur de religionibus laicalibus non exemptis, Ordinarii loci est

capellanum designare et concionatorem probare; *b*) si de exemptis agitur, Superior regularis eosdem sacerdotes designat, ejusque negligentiam supplet Ordinarius (*can.* 529).

ARTICULUS V

CONSCIENTIAE MANIFESTATIO

840. — I. Omnes religiosi Superiores districte vetantur personas sibi subditas quoquo modo inducere ad conscientiae manifestationem sibi peragendam (*can.* 530, § 1).

II. Non tamen prohibentur subditi quominus libere ac ultro aperire animum suum Superioribus valeant; imo expedit ut ipsi filiali cum fiducia Superiores adeant, eis, **si sint sacerdotes**, dubia quoque et anxietates suae conscientiae exponentes (*Ibid.*, § 2).

III. Vetatur Superior, non autem Praefectus spiritus aut magister novitiorum, si sint sacerdotes, inducere, ubi id opportunum esse duxerint, ad conscientiae manifestationem sibi, aut Superiori, *si sacerdos sit*, faciendam. Cum conscientiae manifestatio actus bonus sit (*expedit*), potest is qui non sit Superior ad eam hortari, et ad eam etiam Superiori *sacerdoti* faciendam, dummodo id nec directe nec indirecte a Superiore motus faciat.

CAPUT III

DE BONIS TEMPORALIBUS EORUMQUE ADMINISTRATIONE

841. I. **Jus acquirendi et possidendi**. — Acquirendi et possidendi bona temporalia cum reditibus stabilibus seu fundatis capaces sunt *a*) religio, *b*) provincia, *c*) domus particulares, nisi earum capacitas in regulis et constitutionibus excludatur aut coarctetur (*can.* 531). Vide supra dicta, *n.* 787.

II. **Administratio**. — Bona tum religionis, tum provinciae domusque, ad normam constitutionum *administranda* sunt (*can.* 532, § 1).

Expensas et actus juridicos ordinariae administrationis valide, praeter Superiorem, faciunt, intra fines sui muneris, officiales quoque, qui in constitutionibus ad hoc designantur (*Ibid.*, § 2).

III. **Pecuniae collocatio**. — Ad collocandam pecuniam, constitutionum praescripta servanda sunt, ad normam can. 532, § 1 (*n.* 841, II); sed praeterea praevium Ordinarii loci consensum impetrare debent (nempe ut pecunia mutuo detur, vel in censum, in

Status valores, in actiones aut obligationes commercialium aut industrialium societatum, etc., impendatur):

1.° Monialium, vel etiam religiosarum juris dioecesani Antistita, pro quacumque collocatione; imo, si monialium monasterium sit Superiori regulari subjectum, ipsius quoque consensus est necessarius.

2.° Antistita in Congregatione religiosa juris pontificii, si pecunia dotem professarum constituat, ad normam can. 549.

3.° Superior vel Antistita domus Congregationis religiosae, si qui fundi domui tributi sint vel legati ad Dei cultum beneficentiamve eo ipso loco impendendam. (Planum est cum Ordinario conveniendum esse de venditione boni immobilis et de pretii obtenti collocatione).

4.° Religiosus quilibet, etsi Ordinis regularis alumnus, si pecunia data sit paroeciae vel missioni, aut religiosis intuitu paroeciae vel missionis (*can.* 533, § 1).

Haec item servanda sunt pro qualibet collocationis mutatione (*Ibid.*, § 2).

842. **Alienationes.** — *a*) Firmo praescripto can. 1531, si agatur de alienandis rebus pretiosis aliisve bonis quorum valor superet summam *triginta millium pesetarum* (francorum aut lirarum), vel de contrahendis debitis et obligationibus ultra indicatam summam, **Sedis Apostolicae** beneplacitum, sub poena nullitatis, in antecessum obtinendum est.

b) Si valor *triginta millia pesetarum non excedat*, requiritur et sufficit licentia, in scriptis data, *Superioris* ad normam constitutionum cum *consensu* sui Capituli seu Consilii per secreta suffragia manifestato (vide *n.* 229).

c) Si agatur de *monialibus* aut sororibus *juris dioecesani*, requiritur insuper *consensus* (*n.* 229 *seq.*), *in scriptis* praestitus, *Ordinarii loci*, necnon Superioris regularis, si monialium monasterium eidem subjectum sit (*can.* 534, § 1).

In precibus pro obtinendo consensu ad contrahenda *debita vel obligationes*, exprimi debent alia debita vel obligationes, quibus ipsa persona moralis, religio vel provincia vel domus, ad eum diem gravatur; secus obtenta venia invalida est (*Ibid.*, § 2).

843. **Reddenda administrationis ratio.** — I. In quolibet monialium monasterio, etiam exempto, administrationis ratio reddenda est saltem semel in anno, aut etiam saepius, si id in constitutionibus praescribatur. Eam reddet Antistita Ordinario loci, itemque Superiori regulari, si monasterium eidem sit subjectum. Gratis exigenda (et accipienda) est.

II. Si ratio administrationis ab Ordinario non probetur, ipse potest opportuna remedia adhibere, etiam removendo, si res postulet, oeconomam aliosque administratores; quod si monasterium

sit Superiori regulari subjectum, eum Ordinarius, si casus id postulet, moneat; quod si ille neglexerit, ipse per se consulat (*can.* 535, § 1, 1.°, 2.°).

III. In aliis mulierum religionibus, ratio administrationis bonorum quae dotes constituunt, Ordinario loci reddenda est occasione visitationis, et etiam saepius, si Ordinarius id necessarium duxerit (*Ibid.*, § 2).

IV. Praeterea, Ordinario jus est cognoscendi: 1.° de rationibus oeconomicis domus religiosae juris dioecesani; 2.° de administratione fundorum legatorumque de quibus in can. 533, § 1, nn. 3, 4 (*Ibid.*, § 3). Vide *n.* 841.

844. **Quis debitis et obligationibus respondeat.** — I. Persona moralis (sive religio, sive provincia, sive domus) quae debita et obligationes contraxerit, etiam cum Superiorum licentia, ipsa est quae de eisdem respondere tenetur (*can.* 536, § 1).

II. Si contraxerit *regularis* cum licentia Superiorum, respondere debet persona moralis cujus Superior licentiam dedit (*Ibid.*, § 2); ideoque religio respondere debet, si Generalis; provincia, si Provincialis; domus, si Superior localis licentiam dederit.

III. Si debita aut obligationes contraxerit religiosus votorum simplicium, ipse respondere debet, nisi de Superioris licentia negotium religionis gesserit (*Ibid.*).

Differentia inter regularem et religiosum votorum simplicium in eo est quod primus nihil possidere potest, secundus autem bonorum suorum radicale dominium potest retinere.

IV. Si contraxerit religiosus sine ulla Superiorum licentia, ipsemet respondere debet, non autem religio vel provincia vel domus (*Ibid.*, § 3).

V. Firmum tamen semper remanet, contra eum, qui aliquid sibi lucratus est ex inito contractu, semper posse actionem institui (*Ibid.*, § 4).

Hujus canonis doctrinae attendere debent ii qui cum religiosis res pertractant, ut sciant quis de celebratis contractibus responsurus est. Ideoque, probe scire debent num religiosi Superiorum licentiam habeant necne, et quorum Superiorum: nec enim idem est tantummodo religiosum, qui forte nihil habet nec habebit, aut Generalem vel Provincialem respondere.

VI. Superiores vero religiosi cavere debent ne debita contrahenda permittant, nisi certo constet ex consuetis reditibus posse debiti foenus solvi, et intra tempus non nimis longum per legitimam *amortizationem* reddi summam capitalem (*Ibid.*, § 5). Aliter agere est religionem dedecori exponere, ac gravium offensionum fontem aperire.

845. **Donationes.** — I. Largitiones ex bonis domus, provinciae aut religionis non permittuntur, nisi *a*) ratione eleemosynae vel

alia justa de causa; *b*) de venia Superioris; *c*) et ad normam Constitutionum (*can.* 537).

II. Quare religiosis in genere prohibentur donationes gratuitae, sive directae sive indirecte (v. gr. remissis debitis), ea potiore ratione quod *Superiores non domini*, sed *meri* **administratores** bonorum communium sunt (1).

846. **Donationes permissae.** — Permittuntur nihilominus ipsis moderatae donationes acceptorum beneficiorum remuneratoriae, eae quae ad alicujus personae benevolentiam erga conventum aut institutum acquirendam aut conservandam spectant, et generatim eae quae actum virtutis constituant. Hae autem largitiones solum a Superioribus, idque de consensu Capituli, ubi id constitutiones aut consuetudo requirant, fieri possunt.

Quoniam vero eleemosynae, debita moderatione factae, sunt actus religionis, eas generatim possunt Superiores facere ea forma qua bonus paterfamilias uteretur. Debent itaque bonis communitatis congruere, juxta praescripta in constitutionibus, aut Capitulis Instituti cujusque, vel, eorum defectu, juxta normam a Superiore Generali cum suo Consilio propositam.

Donationes illicitae. — Qui religiosorum largitionem contra praedictas normas acceperit, ad restitutionem tenetur, siquidem donans nec dominus erat nec ad largitionem facultatem habuit. Vide *Ferreres*, Las Religiosas, *com.* VII, *nn.* 56-58; 87-91.

TITULUS XI

De admissione in religionem

847. **Quinam in religionem admitti possint.** — Quilibet catholicus *a*) qui *nullo* legitimo detineatur impedimento, *b*) qui recta intentione ducitur ad postulandum ingressum, et *c*) ad religiosa onera ferenda sit idoneus (*can.* 538).

Haec sunt tria fundamentalia principia religiosae vocationis, Christus enim Dominus eos omnes qui necessariis qualitatibus praediti sint ad perfectionem christianam vitamque religiosam invitat. Qua invitatione generali supposita, sufficit per se ut *a*) impedimenta absint, de quibus postea; *b*) adsit recta intentio, quaeratur

---

(1) Cfr. Clem. VIII, const. *Religiosae Congregationis*, 18 jun. 1594; Urb. VIII, decr. *Nuper*, 16 oct. 1640. Vide etiam *Appeltern*, *q.* 169; *Mocchegiani*, Jurisprudentia, *vol.* 1, *n.* 1359; *Vermeersch*, De Religiosis, I, *n.* 282 *seq.*; *Il Monitore*, *vol.* 8, *pag.* 10 *seq.*; *Fine*, Juris Regularis declaratio, *pag.* 558.

sc. vita religiosa ad perfectionem christianam consequendam; et *c*) necessaria requisita quae ex natura peculiaris Instituti requiruntur, concurrant.

Id non excludit dari alias supernaturales vocationes, ut in Sancto Aloysio, Sancto Stanislao, etc., aut alias in quibus plura adjuncta vere extraordinaria concurrunt; attamen illa non sunt absolute necessaria ut de vocatione amplectentis vitam religiosam sufficienter constet.

CAPUT I

DE POSTULATU

848. **Ejus necessitas et duratio.** — In religionibus *a votis perpetuis*, mulieres omnes, et, si agatur de religione virorum, conversi seu fratres laici, antequam ad novitiatum admittantur, postulatum ad *sex* saltem integros *menses* facere debent (*can.* 539, § 1).

In religionibus *a votis temporariis*, ad necessitatem et tempus postulatus quod attinet, standum constitutionibus (*Ibid.*).

Mos erat jam sat diffusus ut candidati antequam novitiatum proprie talem inciperent, in postulatu per aliquod temporis spatium exercerentur.

849. **Temporis prorogatio.** — Superior major praescriptum postulatus tempus potest prorogare, non tamen ultra aliud semestre (*Ibid.*, § 2).

Postulatus, ut dictum est, saltem per sex menses durare debet; si tamen alicubi constitutiones longius tempus requirant, eae in suo robore manent.

Postulatum ad validitatem requiri non constat, et ad normam can. 572 dicendum est eum nonnisi ad licitudinem requiri.

Nihil exprimit Codex de aetate necessaria ut quis ad postulatum admittatur; supponimus eam esse quae ad novitiatum incipiendum requiritur, aut ea qua, finito postulatu, novitiatus incipi possit.

850. **Locus et forma postulatus.** — I. Postulatus peragi debet *a*) vel in domo novitiatus vel in alia religionis domo in quo disciplina ad normam constitutionum accurate servetur; *b*) sub speciali cura probati religiosi (*can.* 540, § 1).

II. Postulantes vestem modestam induere debent, ac diversam a veste novitiorum (*Ibid.*, § 2).

III. In monasteriis monialium, adspirantes, dum postulatum peragunt, lege clausurae tenentur (*Ibid.*, § 3).

Itaque: 1.° nequeunt inde exire antequam novitiatum incipiant;

2.° ad admittendas eas intra claustra non requiritur specialis S. Sedis licentia, quae ante decretum S. C. de Relig. 15 aug. 1912 necesaria erat. Vide *Ferreres*, Las religiosas, *com.* IV, *n.* 55 *seq.*

IV. Codex non definit an admissionem ad postulatum exploratio Ordinarii praecedere debeat, imo eam excludere videtur. Censemus nihilominus saltem Ordinarii veniam praecedere debere, atque ita congruus interventus ipsi tribuetur ut clausurae custodi, et fraudes vitari poterunt, ne forte clausuram ingredi queat aliqua mulier ex curiositate, praetextu postulatus, aut illuc invita ducatur a familia.

V. In fine postulatus et ante inceptum novitiatum, postulantes saltem per octo integros dies exercitiis spiritualibus vacare debent. Confessionem generalem etiam praemittent, si id confessario opportunum videtur (*can.* 541).

CAPUT II

DE NOVITIATU

Postulatum sequitur immediate novitiatus, qui assumptione habitus incipere solet.

ARTICULUS I

REQUISITA AD ADMISSIONEM — PECULIARIA CUJUSQUE INSTITUTI

851. **Impedimenta.** — I. Omnia religiosa Instituta, sive solemnium sive simplicium votorum, sive virorum sive mulierum, in regulis et constitutionibus suis impedimenta determinant quae nonnullorum candidatorum admissioni opponuntur.

Impedimentorum alia *invalidam* admissionem faciunt, quorum dispensatio generatim Sanctae Sedi reservatur; alia admissionem *illicitam* dumtaxat reddunt, et communiter in eis Superiores Instituti dispensare valent, praesertim ubi candidatus dotibus aliis praeditus est quibus ea impedimenta compensantur.

Ad dignoscenda hujusmodi impedimenta, quodlibet Institutum ad propriam regulam et proprias constitutiones recurrere debet. Cf. *Ferreres*, Las Religiosas, *com.* IV, *nn.* 27-29.

II. **Impedimenta pro omnibus Institutis generalia.** — Praeter ea particularia impedimenta, Codex alia generalia statuit pro omnibus Institutis, nempe:

a) Impedimenta quae admissionem ad novitiatum **invalidam** reddunt:

1.° Qui sectae acatholicae adhaeserunt; 2.° qui aetatem ad novitiatum requisitam non habent; 3.° qui religionem ingrediuntur vi, metu gravi aut dolo inducti, vel quos Superior eodem modo inductus recipit; 4.° conjux, durante matrimonio; 5.° qui *obstringuntur* vel *obstricti fuerunt* vinculo professionis religiosae; 6.° hi quibus imminet poena ob grave delictum commissum de quo accusantur vel accusari possunt; 7.° Episcopus, sive residentialis sive titularis, licet a Romano Pontifice sit tantum designatus; 8.° clerici qui *ex instituto Sanctae Sedis* juramento obligati sunt ad serviendum suae dioecesi vel missioni, toto eo tempore quo haec jurata obligatio perdurat.

Impedimentum 5.um egressos e novitiatu non afficit, afficit tamen eos qui vota nuncuparunt, etiam temporaria, in Ordine aut Congregatione religiosa, etiam juris dioecesani. Id ad constantiam in vocatione fovendam dirigitur. 8.um nonnullos clericos tangit qui tempore studiorum expensis quorumdam collegiorum aluntur, conditione tamen a Sancta Sede imposita et cum jurejurando acceptata, serviendi deinceps per certum tempus missioni vel dioecesi, etc., ad quam collegium pertinet (*can.* 542, 1.°). Vide *n.* 517 *c*).

Impedimenta quae **illicitam** admissionem reddunt, *non* tamen invalidam:

1.° Clerici in sacris constituti, inconsulto loci Ordinario aut eodem contradicente ex eo quod eorum discessus in grave animarum detrimentum cedat, quod aliter vitari minime possit; 2.° aere alieno gravati qui solvendo pares non sint; 3.° reddendae rationi obnoxii, aut aliis saecularibus negotiis implicati, ex quibus lites et molestias religio timere possit; 4.° filii qui parentibus, id est, patri vel matri, avo vel aviae, in gravi necessitate constitutis, opitulari debent; et parentes quorum opera sit ad liberos alendos vel educandos necessaria; 5.° ad sacerdotium in religione destinati, a quo tamen removeantur irregularitate aliove canonico impedimento; 6.° orientales in latinis religionibus sine venia scripto data S. C. pro Ecclesia Orientali (*can.* 542, 2.°).

852. **Jus admittendi.** — Jus admittendi ad novitiatum et subsequentem professionem religiosam, tam temporariam quam perpetuam, spectat ad Superiores majores cum *suffragio* sui Consilii seu Capituli, secundum peculiares cujusque religionis constitutiones (*can.* 543).

853. **Documenta ad admissionem necessaria.** — I. In omni religione, adspirantes, antequam (ad postulatum aut novitiatum) admittantur, debent *a*) exhibere *testimonium* recepti *baptismatis* et *confirmationis* (*can.* 544, § 1).

b) Adspirantes viri debent praeterea *litteras testimoniales* exhibere Ordinarii originis ac cujusque loci in quo, post expletum decimum quartum aetatis annum, morati sint ultra *annum* mora-

liter *continuum*, sublato quolibet contrario privilegio (*Ibid.*, § 2).

c) Si adspirans in Seminario, collegio vel alius religionis novitiatu fuit, requiruntur praeterea litterae testimoniales, datae pro diversis casibus a Rectore Seminarii vel collegii, audito Ordinario loci, vel a majori religionis Superiore (*Ibid.*, § 3).

Videtur itaque in testimonio Rectoris Seminarii vel collegii opus esse *approbatione* (*vistobueno*) Ordinarii; et de his qui novitii fuerant, testimonium a Generali aut Provinciali dandum esse, quin Superioris localis aut magistri novitiorum testimonium sufficiat.

d) Si adspirans *clericus* sit, praeter testimonium ordinationis, sufficiunt litterae testimoniales Ordinariorum in quorum dioecesibus post ordinationem ultra annum moraliter continuum sit commoratus, salvo praescripto § 3 (*Ibid.*, § 4).

e) Si sit *religiosus professus* unius religionis, qui ex apostolico indulto in aliam religionem transit, satis est testimonium Superioris majoris primae religionis (*Ibid.*, § 5).

Praeter hucusque dicta testimonia, quae ex jure requiruntur, potest Superior cui jus est admittendi, alia quoque exigere quae ad hunc finem necessaria aut opportuna videantur (*Ibid.*, § 6).

II. *Mulieres* recipi non debent, nisi praemissis accuratis investigationibus de earum indole et moribus, et praeterea, si in collegio aut novitiatu versatae sint, requiruntur testimonia § 3 praescripta (*Ibid.*, § 7).

854. **Ratio litteras testimoniales expediendi.** — Qui praedicta testimonia dare debent, ea non ipsis adspirantibus, sed Superioribus religiosis, intra *trimestre* ab earum requisitione, *gratuito* dabunt, sigillo clausa; et, si agatur de illis qui in Seminario, collegio vel alius religionis postulatu aut novitiatu fuerint, a Superiore juramento firmata (*can.* 545, § 1).

Difficultates occurrentes. — *a*) Si ob graves rationes judicaverint se quaesitis respondere non posse, causas Apostolicae Sedi intra eosdem tres menses exponent (*Ibid.*, § 2).

b) Si reposuerint adspirantem satis non esse sibi cognitum, per aliam accuratam investigationem ac fide dignam relationem Superior religiosus suppleat. Si non respondeant, Superior de eo S. Sedem certiorem faciat (*Ibid.*, § 3).

855. **De quibus dandum est testimonium.** — Testimonium post accuratam investigationem, etiam secretis, si opus sit, notitiis requisitis, dandum est; et in eo, graviter onerata eorum conscientia super veritate expositorum, referendum est: *a*) de adspirantis natalibus, moribus, ingenio, vita, fama, conditione, scientia; *b*) sitne inquisitus, aliqua censura, irregularitate aut alio canonico impedimento irretitus; *c*) num propria familia ejus auxilio indigeat, et *d*) si agatur de illis qui in Seminario, collegio aut alius religionis postulatu aut novitiatu fuerint, quanam de causa dimissi sint vel sponte discesserint (*Ibid.*, § 4).

Quidquid in hoc et in praecedenti casu (*nn.* 854-855) praescribitur de his qui in Seminario, etc., versati sunt, ex decreto procedit S. C. de Relig., 7 sept. 1909 quoad religiosos, et 4 jan. 1910 quoad religiosas. Vide *Ferreres*, Las Religiosas, *com.* IV, *nn.* 33-54. Illius decreti spiritum Codex retinet, effectus tamen magnopere mitigat. In illis decretis, expulsio a collegiis, Seminariis, etc., impedimentum irritans erat pro admissione, ab Apostolica dumtaxat Sede dispensandum. Secundum Codicem, Superior religiosus judicabit an causae discessus aut expulsionis tales sint ut eum admissione in religionem indignum reddant, an non; admissio autem de se valida est.

856. **Obligatio secreti servandi.**—Omnes qui praedictas informationes receperint, stricta obligatione tenentur secreti servandi de notitiis habitis et de personis a quibus traditae sunt (*can.* 546). Hoc secretum non solum ex jure naturae, sed etiam ex justitia commutativa obligat, orta ex quasi-contractu; et est, natura sua, *secretum commissum*. Cfr. *Ferreres*, Comp. Theol. mor., *vol.* I, *n.* 572 *seq.*, edit. 8.ª, 1917.

857. **Dos.** – I. In omnibus monasteriis monialium (votorum solemnium) postulans dotem in constitutionibus statutam aut legitima consuetudine determinatam afferre debet (*can.* 547, § 1).

II. Haec dos ante susceptionem habitus monasterio tradenda est, vel saltem forma tuta in jure civili, facto publico instrumento, velut depositum servanda apud institutum aliquod crediti, aut apud fidam personam, imposita lege tradendi pecuniam monasterio cum religiosa vota simplicia nuncupatura est (*Ibid.*, § 2).

In religionibus votorum simplicium, quod ad religiosarum dotem pertinet, standum constitutionibus (*Ibid.*, § 3).

III. Dos praescripta *condonari ex toto vel ex parte* nequit, ita ut communitas minorem summam, vel nullam, retineat: v. gr., quia alia religiosa ultro et sine conditione ulla majorem dotem tradiderit, vel magnam pecuniam haereditate post factam solemnem professionem acquisiverit (*Ibid.*, § 4).

Pecunia enim talis propria est monasterii, et ex illa religiosas nondum ingressas dotare idem est ac eas sine dote aut imminuta dote accipere, quod communitas facere nequit. Poterit, tamen, id velut causam proponere S. Congregationi, ut facultatem tribuat aliam aut alias religiosas sine dote aut cum minore dote admittendi.

Nec Ordinarius loci exemptionem a dote aut parte dotis in Institutis juris pontificii concedere potest (*Ibid.*).

Ad hanc exemptionem opus est facultate Sanctae Sedis in Institutis juris pontificii, sive solemnium, sive simplicium votorum (*Ibid.*).

In iis quae juris dioecesani sunt, sat est venia Ordinarii loci (*Ibid.*).

IV. Dos pecunia numerata, non autem fundis aut censibus, tradenda est. Interdum tamen dispensatur ut in reditus censuum aut fundorum ea convertatur.

Pro expensis sustentationis, vestimenti, etc., tempore postulatus, debet item tradi pecuniae summa quae legitime designata fuerit. Vide *n.* 872.

V. Dos monasterio seu religioni irrevocabiliter acquiritur per obitum religiosae, licet haec nonnisi vota temporaria nuncupaverit (*can.* 548).

VI. Monasterium, statim ac dotem susceperit, curare debet ut ea *collocetur* juxta Praelati instructionem, in tutis, licitis ac fructiferis nominibus, v. gr., in titulis Debiti perpetui interioris, qui dotem semper repraesentabunt, ita ut soli reditus in bonum communitatis impendantur (*can.* 549).

VII. Si, superstite religiosa, necessarium sit integram dotem aut partem ejus, v. gr., ad monasterii aedes reparandas, alienare, opus est ad hoc venia S. Sedis. Sine hac licentia, dos intacta manere debet toto tempore quo religiosa vivit (*Ibid.*).

VIII. Dos caute et integre *administranda est* apud monasterium vel apud domum habitualis residentiae Antistitae Generalis aut Provincialis (*can.* 550, § 1).

IX. Ordinarii locorum conservandis religiosarum dotibus sedulo invigilare; et praesertim in sacra visitatione de iisdem rationem exigere debent (*Ibid.*, § 2).

X. **Dotis restitutio**. — Si religiosa professa, sive votorum solemnium sive votorum simplicium, a religione discedit, dos integra ipsi restituenda est, non vero reditus jam recepti (*can.* 551, § 1).

Si ad aliam religionem ex *apostolico* indulto transeat, reditus ei tempore novitiatus traduntur; emissa autem nova professione, dos ipsa religioni danda est (*Ibid.*, § 2).

Si ad aliud ejusdem religionis monasterium transeat, huic dos a die transitus tradi debet (*Ibid.*).

858. **Explorationes.** *a*) **Monitum** —Religiosarum etiam, exemptarum, Antistita debet Ordinarium loci, *duobus* saltem *mensibus* ante, certiorem facere de proxima admissione ad novitiatum et ad professionem, tum temporariam tum perpetuam, sive solemnem sive simplicem (*can.* 552, § 1).

b) **Forma explorationis**. — Ordinarius loci, per se vel per delegatum, adspirantis voluntatem, saltem *triginta* diebus ante novitiatum et ante utramque professionem, diligenter et gratuito exploret, an ea libera voluntate et sciens quid agat, talem statum amplectatur, an contra, coacta seductave sit. Si de pia ejus ac libera voluntate plane constiterit, tunc adspirans poterit ad novitiatum, vel novitia ad professionem admitti (*Ibid.*, § 2).

Exploratio in novitiis clausurae ad crates facienda est, ita ut

novitia intra, Episcopus aut ejus delegatus extra clausuram maneat (*Ibid.*). Tamen, si causae fundatae suppeterent (et tantum in hoc casu) ad suspicandum novitiam intra clausuram non esse in debitis adjunctis ut libere voluntatem suam manifestare valeat, posset ea e clausura educi, ita ut exploratio in ecclesia fieret. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 290.

Obligationem explorandi induxit Tridentinum, *sess.* 25, *de Regul. et Mon., c.* 17. Monitum ante mensem mittendum erat, explorationes vero quindecim diebus ante faciendae erant. Codex tempus duplicat.

Quoniam autem Tridentini tempore solemnis dumtaxat professio fiebat, idcirco duae tantum explorationes indixit. Pius X, 19 jan. 1909, tertiam explorationem addidit, praecedentem nempe professionem quae post novitiatum fit. Cfr. *Ferreres,* l. c., *n.* 284 *seq.*

Hujusmodi explorationes etiam in feminis religiosis votorum simplicium faciendae sunt.

Professio tamen religiosarum sive solemnium sive simplicium votorum *valida* esset, licet omnes explorationes omitterentur.

ARTICULUS II

DE NOVITIORUM INSTITUTIONE

859. **Novitiatus initium.** — Novitiatus incipit susceptione habitus, vel alio modo in constitutionibus praescripto (*can.* 553). Quoniam Instituta religiosa dantur quae peculiari habitu carent, v. gr., Societas Jesu, in ipsis novitiatus susceptione habitus incipere nequit.

Domus novitiatus. — Erigenda est ad normam constitutionum. Ad eam erigendam in religione juris pontificii, necessaria est licentia Sedis Apostolicae (*can.* 554, § 1). Una tantum in singulis provinciis designari potest, nisi ad plures erigendas gravis adsit causa et licentia Sedis Apostolicae (*Ibid.*, § 2).

Superiores a domo novitiatus aut studiorum excludere debent religiosos qui non sint ad exemplum regularis observantiae studio (*Ibid.*, § 3). Multo igitur minus inibi religiosos parum observantes, qui correctione indigent, collocare poterunt.

860. **Conditiones ad novitiatus validitatem.** — I. Praeter superius dicta can. 542, ut *validus* sit novitiatus, oportet ut fiat: *a*) post completum saltem *decimum quintum* aetatis annum; *b*) per *annum* integrum et continuum; *c*) in domo novitiatus (*can.* 555, § 1).

II. Si longius tempus in constitutionibus pro novitiatu praescribatur, illud ad validitatem professionis non requiritur, nisi in eisdem constitutionibus aliud *expresse* dicatur. (*Ibid.*, § 2).

861. **Novitiatus interruptio et suspensio**. — I. Novitiatus **interrumpitur**, ita ut *denuo incipiendus ac perficiendus sit: a*) si novitius, a Superiore dimissus, e domo exierit; *b*) aut domum sine illius licentia, non reversurus, deseruerit; *c*) aut extra domum, etsi reversurus, ultra triginta dies sive continuos sive non continuos permanserit, etiam de Superiorum licentia (*can.* 556, § 1).

Praescripta *a*) et *b*) disciplinam antiquam retinent; praescriptio *c*) in decreto 3 maji 1914 primum inducta fuit. Cfr. *Ferreres*, Las Religiosas, *com.* IV, *nn.* 101, 102.

II. Novitiatus **suspenditur**, adeo ut ad validitatem *protrahendus sit ut dies absentiae suppleantur*, si novitius, ultra quindecim et non ultra triginta dies etiam non continuos, de Superiorum licentia vel vi coactus, extra domus septa permanserit, etsi sub obedientia Superioris (*can.* 556, § 2).

Si non ultra quindecim dies manserit, supplementum potest a Superioribus praescribi, sed non est ad validitatem necessarium (*Ibid.*).

Absentiae, quae diem integrum non attingunt, non videntur computandae, dummodo adeo frequentes non sint, ut novitiatus exercitiis et probationibus detrimentum afferant.

III. A Superioribus licentia manendi extra septa novitiatus, nisi justa et gravi de causa impertienda non est (*Ibid.*, § 3). Causa foret, v. gr., novitiorum mors vitanda in violento civili dissidio, iter novitii ut parentibus in extremo vitae assistat, vel ut medicinalibus aquis ex praescripto medici utatur, si res donec novitiatus finiatur differri nequeat, etc.

IV. Non interrumpitur novitiatus si novitius a Superioribus in aliam novitiatus domum transferatur (*Ibid.*, § 4); idque licet translatio ultra mensem duret, dummodo arbitrarie morae factae non sint. Vide de hac re *Ferreres*, Las Religiosas, *com.* IV, *n.* 93 *seq.*

862. **Habitus tempore novitiatus**. — Integer novitiatus peragendus est in habitu a constitutionibus praescripto, nisi specialia locorum adjuncta aliud exigant (*can.* 557).

Haec adjuncta in quibusdam nationibus continuo instant, in quibus, saltem extra domum, habitus religiosus non permittitur. Alibi autem hujusmodi impedimentum ex politicis perturbationibus transitoriis oriri potest.

863. **Novitiatus pro classe distincta**. — In religionibus in quibus duae sunt sodalium classes (v. gr., ad sacerdotium destinati et laici; religiosi chori et laici, magistri et laici), novitiatus pro altera classe peractus, pro altera non valet (*can.* 558).

864. **Magistri novitiorum qualitates**. — Debet esse annos natus saltem triginta quinque, et decem saltem annos a prima professione professus; prudentia, caritate, pietate, religionis observantia conspicuus, et, si de clericali religione agatur, in sacerdotio constitutus (*can.* 559, § 1).

865. **Socius ejusque qualitates.** — Si ob novitiorum numerum vel aliam justam causam expedire visum fuerit, Magistro novitiorum socius adjungetur, eidem immediate subjectus in iis quae ad novitiatus regimen spectant, annos natus saltem triginta, quinque saltem ab annis a prima professione professus, cum ceteris dotibus necessariis et opportunis (*Ibid.*, § 2), quam simillimis, quod fieri possit, dotibus magistri novitiorum.

866. **Utriusque occupatio et nominatio.** — I. Uterque ab omnibus officiis oneribusque vacare debet, quae novitiorum curam et regimen impedire valeant (*Ibid.*, § 3).

II. Eligendi sunt ad normam constitutionum. Si certum inibi tempus ad durationem muneris praescriptum sit, eo durante, sine justa et gravi causa a munere removeri nequeunt; elapso vero eo tempore, rursus eligi possunt (*can.* 560). Gravis et justa causa potest esse adversa valetudo, negligentia in munere postquam monitum praecessit, etc.

867. **Magistri novitiorum jura et officia.** — Uni Magistro jus est et officium: *a*) consulendi novitiorum institutioni; *b*) novitiatum regendi, ita ut nemini liceat institutioni aut regimini sese immiscere, exceptis Superioribus quibus id a Constitutionibus permittitur ac Visitatoribus. Ad disciplinam vero universae domus quod attinet, Magister, perinde ac novitii, Superiori est obnoxius (*can.* 561, § 1). *c*) Gravi obligatione tenetur omnem adhibendi diligentiam ut sui alumni in religiosa disciplina, secundum constitutiones, sedulo exerceantur, ad normam can. 565 (*can.* 562). Vide *n.* 869. *d*) Singulis annis, ad normam constitutionum, de agendi ratione singulorum alumnorum relationem Capitulo vel Superiori majori exhibere debet (*can.* 563).

868. — **Novitii** non solum Magistro, sed etiam Superioribus religionis subjecti sunt (*can.* 561, § 2).

Locus novitiatus. — Novitiatus ab ea parte domus, in qua degunt professi, ita segregatus esse debet, quantum fieri possit, ut, sine speciali causa ac Superioris et Magistri licentia, novitii nullam habeant communicationem cum professis, neque hi cum novitiis (*can.* 564, § 1).

Conversis autem seu laicis novitiis, (intra novitiatum), locus separatus assignandus est (*Ibid.*, § 2).

869. **Occupatio anni novitiatus.** — Annus novitiatus debet, sub disciplina Magistri integre impendi in informando animo per studium Regulae et Constitutionum; per orationem, institutionem in votis et virtutibus, et exercitia opportuna ad emendationem vitiorum, ad passiones fraenandas, ad virtutes acquirendas (*can.* 565, § 1). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 84.

Laici seu conversi praeterea diligenter in christiana doctrina instituendi sunt, speciali collatione ad eos habita semel saltem in hebdomada (*Ibid.*, § 2).

Anno novitiatus novitii concionibus habendis aut audiendis confessionibus aut exterioribus religionis muniis destinandi non sunt, neque dedita opera in litterarum, scientiarum aut artium studiis exercendi. Conversi autem seu laici in ipsa religiosa domo officiis propriae classis fungi poterunt, duplici tamen limitatione: 1.° ut ab exercitiis novitiatus pro ipsis constitutis hoc opere non impediantur; 2.° ut ne primarii officiales, seu officinae rectores sint (*Ibid.*, § 3).

870. **Novitiorum confessarii.** — I. De confessariis in mulierum novitiatu servanda sunt praescripta can. 520-527 (*can.* 566, § 1). Vide *nn.* 829-837.

II. In religionibus virorum firmum manet praescriptum can. 519 de confessione valida et licita apud quemcumque sacerdotem ab Ordinario loci approbatum (*can.* 566, § 2). Vide *n.* 826.

III. Praeterea, pro novitiorum numero, unus aut plures ordinarii confessarii adesse debent (*Ibid.*, 1.°).

Firmum manet praescriptum can. 891 (*Ibid.*). Ideo, nec Magister novitiorum, nec ejus socius, nec Superior domus per habitum confessarii novitiorum esse possunt, nisi casu particulari quo ipsi sponte id postulent, ut dicetur *lib.* III, *tit.* 4, *cap.* 1.

IV. Confessarii *ordinarii*, si agatur de religione *clericali*, in ipsa novitiatus domo degere debent; si de laicali, saltem frequenter ad domum novitiatus accedant, novitiorum confessiones audituri (*Ibid.*, 2.°).

V. Praeter confessarios ordinarios, designandi sunt aliqui confessarii, quos novitii in casibus particularibus adire libere possint; nec Magister aegre id se ferre demonstret (*Ibid.*, 3.°).

VI. Quater saltem in anno dandus est novitiis confessarius extraordinarius, ad quem omnes accedant, saltem benedictionem recepturi (*Ibid.*, 4.°).

871. **Novitiorum jura et officia.** — I. Novitii privilegiis omnibus ac spiritualibus gratiis religioni concessis gaudent; et si decesserint, ad eadem suffragia jus habent, quae pro professis praescripta sunt (*can.* 567, § 1).

II. Ad ordines, durante novitiatu, licite promoveri nequeunt. (*Ibid.*, § 2).

III. Durante novitiatu, nec *licite* nec *valide* suis *beneficiis* aut *bonis* renuntiare valent, nec ea quocumque modo obligare (ut si hypotheca, fidejussione, etc., ea gravaverint) (*can.* 568).

a) Ante emissionem votorum simplicium, sive ea temporaria sint sive perpetua, et pro tempore quo ea perseverent, bonis suis renuntiare, aut eorum *administrationem*, *usumfructum* et *usum* ei cui maluerint, aut proprio Ordini et monasterio (si ex parte hujus nihil obstet, et religiosus plena libertate id statuerit) cedere debent (*can.* 569, § 1). Si tempore votorum simplicium alia bona ipsis

titulo legitimo obvenerint, eorum quidem radicale dominium acquirent, sed administrationem, usumfructum et usum, eo modo quo nunc dictum est, quantocius cedere debent (*Ibid.*, § 2). Cfr. *Ferreres*, Las Religiosas, *n.* 216 *seq.*

b) Haec administrandi cessio durat tantum dum religiosus (*vel religiosa*) in Ordine aut Congregatione manet. Quare, per discessum a religione, sive ex votis dispensatis, sive ex dimissione accepta, plenum suorum dominium iterum acquirit (*can.* 580, § 3).

c) Notandum est, ex declaratione S. C. Ep. et Regul. (21 nov. 1902), novitium cum usuifructui renuntiat, conditionem adjicere non posse ut fructus et reditus massae principali accumulentur, quo massa ipsa in dies augeatur.

Si ita juberet, accumulatio valida esset, sed illicita. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 234.

d) Ususfructus renuntiatio in favorem Ordinis, a Minoribus observantibus, Recollectis et Capuccinis fieri nequit. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 238.

e) Novitius in Congregationibus religiosis, *ante* professionem votorum *temporariorum*, **testamentum** de bonis praesentibus vel forte obventuris libere condere debet (*can.* 569, § 3).

Post emissa vota simplicia, ad faciendum vel mutandum testamentum licentia Papae requiritur, quamvis in urgenti casu, Superioris generalis, et si neque ea haberi potest, Superioris localis licentia sufficiet. Religiosae, Ordinarii loci licentiam, quoad fieri possit, impetrare debent. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 239 *seq.*

f) In immutanda dispositione qua usumfructum et bonorum administrationem quorum radicale dominium professus a votis simplicibus retinet, nequit arbitrio proprio agere, nisi constitutiones id sinant. Nec item pontificia licentia indiget, sed sufficit ei licentia Superioris aut Antistitae generalis Ordinis aut Congregationis. Si de *monialibus* agatur, Ordinarii loci licentia requiritur, et insuper licentia Superioris regularis, si monasterium regularibus obnoxium sit (*can.* 580, § 3).

Quod intelligendum est, dummodo mutatio in favorem Instituti, in parte bonorum notabili non fiat (*Ibid.*), aliter enim periculum coactionis moralis ex parte Instituti adesset. Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 248, 249, 265, et speciatim *n.* 258 cum *nota.*

872. — IV. Pro **expensis postulatus et novitiatus** nihil exigi potest, nisi quod pro alimentis et habitu religioso in constitutionibus vel expressa conventione initio postulatus vel novitiatus inita, solvendum cautum sit (*can.* 570, § 1).

V. Quae adspirans attulerit et usu consumpta non fuerint, si e religione, non emissa professione, egrediatur, ei restituenda sunt (*Ibid.*, § 2).

VI. Novitius, dum talis est, libere religionem **deserere** po-

est; et vicissim, Superiores aut Capitulum, secundum constitutiones, quavis *justa* de *causa* eum **dimittere** possunt, quin teneantur dimissionis causam dimisso patefacere (*can.* 571, § 1).

VII. **Exacto novitiatu**, si judicetur idoneus, novitius ad professionem *admittendus est;* secus *dimittendus*, si ad id causa sufficiens adsit; nec possunt Superiores, votis non concessis, eum *indefinite* retinere.

Ex causa tamen *rationabili*, poterunt ei simplicia vota, non tamen ultra *sex menses*, prorogari seu **differri** (*Ibid.*, § 2).

VIII. Votis nuncupandis spiritualia exercitia novitius praemittere debet per *octo* saltem solidos *dies* (*Ibid.*, § 3).

CAPUT III

DE PROFESSIONE RELIGIOSA

ARTICULUS I

REQUISITA IN PROFESSIONE SERVANDA

873. I. **Conditiones in omni professione necessariae**. — Ad *cujuscumque religiosae professionis validitatem* requiritur ut: 1.° Qui eam emissurus est *legitimam aetatem* habeat ad normam can. 573, nempe *decimumsextum* annum ad temporariam professionem *expleverit*, et *vigesimumprimum* ad perpetuam, tam solemnem quam simplicem; 2.° eum ad professionem admittat legitimus Superior secundum constitutiones; 3.° *novitiatus validus* ad normam can. 555 (vide *n.* 860) praecesserit; 4.° professio (*libere*) sine vi aut metu gravi aut dolo emittatur; 5.° sit *expressa* (unde professio *tacita* abrogatur); 6.° a legitimo Superiore secundum constitutiones per se vel per alium *recipiatur* (*can.* 572, § 1).

II. **In professione perpetua**. — Ad *validitatem* professionis *perpetuae*, sive solemnis sive simplicis, requiritur insuper ut praecesserit professio *simplex temporaria* ad normam can. 574 (*Ibid.*, § 2).

874. **Professio temporaria**. — I. In quolibet Ordine, tam *virorum* quam *mulierum*, et in qualibet congregatione quae vota perpetua habeat, novitius, post expletum novitiatum, in ipsa novitiatus domo debet votorum simplicium professionem ad triennium valituram emittere, vel ad longius tempus, si aetas ad perpetuam professionem requisita longius distet, nisi constitutiones exigant annualem professionem (*can.* 574, § 1). Superior potest professionem temporariam prorogare, dummodo subditus eam professionem renovet, et prorogatio ultra *triennium* alterum non extendatur (*Ibid.*, § 2).

II. Exacto professionis *temporariae* tempore, religiosus, ad normam can. 637, *professionem perpetuam*, solemnem aut simplicem juxta constitutiones, emittere, aut ad saeculum redire debet (*can.* 575, § 1).

III. Durante *tempore* professionis *temporariae*, potest etiam, ad normam can. 647, dimitti, si dignus non habeatur qui vota perpetua nuncupet (*Ibid.*).

875. **Capituli suffragium.** — Suffragium Consilii seu Capituli pro prima professione temporaria est *deliberativum;* pro perpetua, sive solemni sive simplici, est *consultivum* tantum (*Ibid.*, § 2). Itaque, ad professionem temporariam, consensus Capituli requiritur; ad perpetuam, sufficit ejus sententiam audire. Vide *n.* 229.

Ritus et acta professionis. — I. In emittenda professione religiosa, servandus est ritus in constitutionibus praescriptus (*can.* 576, § 1).

II. Documentum emissae professionis, ab ipso professo, et saltem ab eo coram quo professio emissa est, subscriptum, faciendum est. Ipsum in tabulario religionis asservari debet (*Ibid.*, § 2).

Monendus parochus baptismi. — Si agitur de professione solemni, Superior eam excipiens *parochum* loci ubi *professus baptizatus est* de professione certiorem facere debet, ad normam can. 470, § 2 (*can.* 576, § 2).

876. **Renovatio votorum.** — Elapso tempore ad quod vota (*temporaria*) sunt nuncupata, renovationi votorum nulla est interponenda mora (*can.* 577, § 1).

Potest tamen ea, de Superioris licentia, occurrente justa causa, *anticipari*, non tamen ultra *mensem* (*Ibid.*, § 2).

ARTICULUS II

JURA ET OFFICIA PROFESSI A VOTIS TEMPORARIIS

877. **Indulgentiae, privilegia, suffragia, etc.** — Professi a votis temporariis, de quibus in can. 574 (vide *n.* 874), 1.° fruuntur iisdem *indulgentiis, privilegiis et spiritualibus gratiis*, quibus gaudent professi a votis solemnibus, aut professi a votis simplicibus perpetuis (*respectivi proprii monasterii*); et, casu mortis, ad eadem *suffragia* jus habent (*can.* 578, 1.°).

Regularum observantia, chorus, etc. — 2.° Eadem obligatione tenentur observandi regulas et constitutiones sicut solemniter professi, et eodem modo adstringuntur obligationi chori ubi haec viget, sed divini officii privatim recitandi lege non obstringuntur, nisi sint in sacris constituti aut aliud constitutiones expresse praescribant (*Ibid.*, 2.°).

Itaque religiosi et religiosae a votis simplicibus qui ad chorum deputantur, et ad Ordines regulares proprie dictos pertinent, tenentur assistere choro sicut tenentur solemniter professi, ideoque sub poena peccati mortalis, ubi defectus praesentiae voluntarius causa fuerit impossibilitatis chorum constituendi; in ceteris casibus, defectus praesentiae *venialis* tantum erit. Quaecumque vero causa sit cur choro non interfuerunt, eximuntur ab obligatione *privatim* officium divinum recitandi. *Ferreres*, Las Religiosas, *com.* IV, *n.* 170.

3.° **Vox activa et passiva**. — Activa et passiva voce carent (1), nisi contrarium expresse in constitutionibus declaratum sit. Tempus autem ad fruendum voce activa et passiva praescriptum, ubi constitutiones id non determinant, a prima professione computatur (*can.* 578, 3.°).

ARTICULUS III

PROFESSIONIS NATURA ET EFFECTUS

878. — I. **Simplex professio**, temporaria sit vel perpetua, actus votis contrarios reddit *illicitos*, sed non *invalidos*, nisi aliud expresse cautum fuerit; professio autem **solemnis**, si sint irritabiles, etiam *invalidos* (*can.* 579). Vide dicta *nn.* 780-786.

Religiosi Minimi solemne votum habent a carnibus abstinendi; manifestum autem est actus contrarios, si forte ponantur, *illicitos* futuros, non autem *invalidos*, quia irritabiles non sunt. Contra vero, matrimonium ab eo qui solemne votum castitatis habet, attentatum, invalidum erit.

II. **Bonorum temporalium proprietas et ususfructus**. — *a*) Quilibet professus a votis simplicibus, sive perpetuis sive temporariis, nisi aliud in constitutionibus cautum sit, conservat *proprietatem* bonorum suorum et *capacitatem* alia bona acquirendi; attamen eorum *administrationi* et *usuifructui* renuntiare debet ad normam can. 569 (*can.* 580, § 1).

b) Quidquid autem industria sua vel intuitu religionis acquirit, religioni acquirit (*Ibid.*, § 2).

c) De praescriptis can. 569 vide *n.* 871, III, ubi etiam § 3 hujus can. 580 declaratur.

879. III. **Dominii radicalis renuntiatio**. — *a*) Professi votorum simplicium dominium *radicale* (2) suorum bonorum exuere ne-

---

(1) Sc. nec vocem ad eligendum habent, nec ipsi eligi possunt.

(2) Hoc *radicale* dominium stat in proprietate bonorum, sine jure tamen ususfructus et administrationis eorum.

queunt nisi duobus postremis mensibus professionem **solemnem** praecedentibus. Intra hos duos menses, salvis peculiaribus Sanctae Sedis indultis (vide *n.* 785, 1.°), omnia bona *praesentia* abdicare debent, eis in favorem ejus quem maluerint renuntiatis, *sub conditione secuturae professionis* (*can.* 581, § 1). Si ante solemnem professionem emissam ab Ordine discesserint, renuntiatio nulla evadet.

b) Professione facta, ea omnia documenta statim exaranda sunt quae necessaria erunt ut renuntiatio etiam jure civili effectum consequatur (*Ibid.*, § 2).

c) Renuntiatio dominii radicalis, facta antequam advenerint duo postremi menses solemnem professionem praecedentes, etiamsi uno tantum die anticipetur, nulla est. *Trid.*, l. c. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 224.

d) Ut valide dominio radicali renuntiari queat *per actus inter vivos* prius quam duo postremi menses professionem solemnem praecedentes adveniant, opus est licentia Papae.

e) Facta renuntiatio intra illos duos menses, valet, licet professio postea differatur. Cfr. *Appeltern*, *q.* 82; *Ferreres*, l. c., *n.* 224.

f) Si renuntiatio non fit, aut nulla erat, post professionem ea jam fieri nequit, sed bona in proprietatem Ordinis aut S. Sedis transeunt, ut statim de bonis religioso post solemnem professionem obvenientibus dicetur. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 225.

IV. **Bona temporalia post solemnem professionem**. — *a*) Si, post solemnem professionem, hereditas aut bona alia quaecumque religioso obvenerint, salvis peculiaribus Apostolicae Sedis indultis, omnia cedunt Ordini vel provinciae vel domui secundum constitutiones, *si Ordo capax sit possidendi* (*can.* 582, 1.°).

b) Si Ordo *incapax sit possidendi*, acquiruntur S. Sedi in proprietatem (*Ibid.*, 2.°).

c) In **Hispania**, juxta legem civilem, religiosus ipse est heres; attamen ex jure canonico, religiosus a S. Sede licentiam impetrare debet ut nomine proprio actus necessarios exerceat; et licet in scripturis et ceteris documentis bona ut propria ipsius appareant, in conscientia ad monasterium pertinent, vel ad provinciam, etc., ut dictum est (S. C. Ep. et Reg., 15 jun. 1897). *Mach-Ferreres*, Tesoro del Sacerdote, *vol.* 2, *n.* 654; *Ferreres*, l. c., *n.* 227.

V. **Professi in Congregatione votorum simplicium**. — In Congregationibus votorum simplicium, nequeunt professi *dominio radicali* per actus inter vivos titulo gratuito renuntiare (*can.* 583, 1.°). Ad *testamentum* faciendum vel mutandum post vota simplicia emissa, licentia Papae necessaria est; quamvis si res urgeat, sufficiet licentia Ordinarii aut Superioris generalis, vel si aliud fieri nequeat, licentia Superioris localis (*Ibid.*, 2.°). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 239.

880. VI. **Beneficiorum vacatio. Amissio dioecesis.** — *a*) Post *annum* ab emissa qualibet professione religiosa, vacant *beneficia paroecialia;* post *triennium* cetera (*can.* 584).

b) Professus a votis perpetuis sive solemnibus sive simplicibus amittit ipso jure propriam quam in saeculo habebat *dioecesim* (*can.* 585).

ARTICULUS IV

PROFESSIONIS NULLITAS — EJUS CONVALIDATIO

881. — I. Professionis nullitas oriri potest aut ab aliquo impedimento externo (ex iis nempe quae in foro externo demonstrari valent, v. gr., defectus aetatis, valide novitiatum non exegisse, professio prius in alia religione emissa, etc.), aut ob consensus defectum mere internum.

In primo casu, ut professio convalescat, necesse est ut vel S. Sedes defectum sanet, vel, cognita nullitate et impedimento sublato, professio denuo emittatur (*can.* 586, § 1). In secundo casu, sufficit ut qui interne in professionem suam non consenserat, consensum praestet, dummodo ex parte religionis consensus non fuerit revocatus (*Ibid.*, § 2).

Id intelligitur de defectu *mere interno* consensus; si enim talis defectus externe probari posset, quia v. gr., eum religiosus aliqua ratione manifestavit, aut minae praecesserant, etc., tunc impedimentum externum est, et agendum est ut de externis dictum est.

II. Si contra validitatem professionis religiosae gravia sint argumenta, et religiosus renuat *ad cautelam* sive professionem renovare sive ejusdem sanationem petere, res ad Sedem Apostolicam deferenda est (*Ibid.*, § 3).

TITULUS XII

De ratione studiorum in religionibus clericalibus

882. **De quibus agitur studiis.** — Etsi religiones non clericales, v. gr. Fratrum Maristarum, Fratrum Scholarum Christianarum, Religiosarum quae institutioni incumbunt, collegia studiorum pro institutione suorum religiosorum habere possunt et solent, hic tamen de clericalibus dumtaxat religionibus sermo est, seu de studiis proprie ecclesiasticis pro his qui ad sacerdotium destinantur.

Studiorum clericalium collegia.—I. Quaelibet clericalis religio collegia seu studiorum sedes (pro institutione suorum religiosorum) a Capitulo generali vel a Superioribus approbatas habere debet, firmo praescripto can. 554, § 3, religiosos qui in observantia regulari deficiunt ibi non collocandi (*can.* 587, § 1).

II. In studiorum domo perfecta vita communis vigere debet; secus studentes ad ordines promoveri nequeunt (*Ibid.*, § 2).

Tunc vita communis vigere dicitur, cum omnes (praeter aegrotos) ex eadem mensa vescuntur, nullus peculium particulare habet, vestes sunt uniformes, etc.

III. **Si collegia erigi nequeant.** — Si religio aut provincia studiorum domos rite instructas habere nequeat (v. gr. ob defectum sufficientis numeri competentium professorum vel numeri alumnorum), aut si quas habet, adire, Superiorum judicio, difficile sit, religiosi alumni mittantur vel ad recte ordinatam studiorum sedem alius provinciae (religionis ejusdem) aut alius religionis, vel ad scholas Seminarii episcopalis, vel ad publicum catholicum Institutum aut Universitatem (*Ibid.*, § 3).

IV. **Religiosi qui longe a propria domo studiis vacant.** — Religiosis, qui studiorum causa longe a propria domo mittuntur, non licet in privatis domibus habitare, sed opus est ut in aliquam suae religionis domum se recipiant, vel, si id fieri non possit, apud religiosum aliquod Institutum virorum, vel Seminarium aliamve piam domum, cui sacri ordinis viri praesint, quaeque ab ecclesiastica auctoritate approbata sit (*Ibid.*, § 4).

883. **Spiritus informatio tempore studiorum.** — I. Toto studiorum curriculo religiosi committantur speciali curae Praefecti seu Magistri spiritus, qui eorum animos ad vitam religiosam informet opportunis monitis, instructionibus atque exhortationibus (*can.* 588, § 1).

II. Hic iis qualitatibus praeditus sit oportet, quae ad normam can. 559 in Magistro novitiorum requiruntur (*Ibid.*, § 2).

III. Superiores praeterea sedulo invigilare tenentur ut quae can. 595 de vitae spiritualis auxiliis pro omnibus religiosis praescribuntur, in studiorum domo perfectissime observentur (*Ibid.*, § 3).

884. **Tempus studiis destinandum.** — I. Religiosi, postquam in inferioribus disciplinis rite instructi sint, in *philosophiae* studia saltem per *biennium* et sacrae *theologiae* saltem per *quadriennium*, doctrinae *D. Thomae* inhaerentes ad normam can. 1366, § 2, diligenter incumbent, secundum instructiones Apostolicae Sedis (*can.* 589, § 1).

II. Studiorum magistris et alumnis officia imponenda non sunt, quae a studio eos avocent, vel scholam quoquo modo impediant.

III. Generalis, et in casibus particularibus alii quoque Superiores, possunt, pro sua prudentia, eos a nonnullis communitatis actibus, etiam a choro, praesertim nocturnis horis, eximere, quoties id studiis excolendis necessarium videatur (*Ibid.*, § 2).

885. **Specimina studiis peractis.** — I. Religiosi sacerdotes, iis tantum exceptis qui *a*) a Superioribus majoribus gravem ob causam fuerunt exempti, aut *b*) vel sacram theologiam vel jus canonicum vel philosophiam scholasticam doceant, post absolutum studiorum curriculum, quotannis, saltem per *quinquennium*, a doctis gravibusque patribus examinentur in variis doctrinae sacrae disciplinis antea opportune designatis (*can.* 590). Vide *n.* 280.

II. **Morales et liturgicae collationes.** — *a*) In qualibet formata domo, minimum saltem in mense, habenda est solutio casus moralis et liturgici, cui, si Superior opportunum existimaverit, addi potest sermo de re dogmatica conjunctisve doctrinis. (*can.* 591).

b) **Quinam eis assistere debent.** — Omnes clerici professi qui studio sacrae theologiae operam navant, aut illud expleverunt et in domo degunt, assistere tenentur, nisi aliud in constitutionibus caveatur (*Ibid.*).

TITULUS XIII

De obligationibus et privilegiis religiosorum

CAPUT I

DE OBLIGATIONIBUS

ARTICULUS I

OBLIGATIONES GENERALES

886. **Clericorum obligationes.** — I. Obligationibus communibus clericorum, de quibus in can. 124-142 (vide *nn.* 276-305), etiam religiosi omnes tenentur, nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet (*can.* 592).

II. **Obligatio contendendi ad perfectionem.** — Omnes et singuli religiosi, Superiores aeque ac subditi, debent, non solum quae nuncuparunt vota fideliter integreque servare, sed etiam secundum *regulas et constitutiones* propriae religionis vitam componere, atque ita *ad perfectionem* sui status *contendere* (*can.* 593).

III. **Vita communis.** — *a*) In quavis religione *vita communis* accurate servanda est, etiam in iis quae ad victum, ad vestitum et ad supellectilem pertinent (*can.* 594, § 1).

b) *Quidquid* a religiosis, etiam a Superioribus, *acquiritur* ad normam can. 580, § 2, et can. 582, *n.* 1 (vide *nn.* 878, II, et 879, IV), *bonis domus*, provinciae vel religionis *admisceatur*, et pecunia quaelibet omnesque *tituli* (ut v. gr. publici Debiti, *actionum aut obligationum* societatum industrialium aut commercialium, etc.) in capsa communi deponendi sunt (*can.* 594, § 2) in qualibet domo, provincia, etc.

c) Religiosorum supellex paupertati quam professi sunt congruat oportet (*Ibid.*, § 3).

ARTICULUS II

SUPERIORES ET BONUM SPIRITUALE SUBDITORUM

887. I. **Officium Superiorum de religioso spiritu promovendo.** — Curare debent Superiores ut omnes religiosi: *a*) **quotannis** exercitiis spiritualibus vacent; *b*) legitime non impediti **quotidie** Sacro intersint, orationi mentali vacent, et in alia pietatis officia (lectionem spiritualem, examen conscientiae, etc.), quae a regulis et constitutionibus praescripta sint, sedulo incumbant; *c*) ad poenitentiae sacramentum **semel** saltem **in hebdomada** accedant (*can.* 595, § 1, 1.°-3.°).

888. II. **Frequens et quotidana communio.** — *a*) Superiores inter subditos frequentem, etiam quotidianam, sanctissimi Corporis Christi receptionem promovere debent; subditis autem liberum est frequenter imo quotidie sacram Synaxim suscipere, si sint *rite dispositi* (*can.* 595, § 2).

b) Dispositiones sunt status gratiae ac recta et pura intentio. Recta intentio in eo est ut qui ad sacram mensam accedit, non id ob usum, vanitatem aut terrenos fines faciat, sed ut Deo placeat, ei arctius caritate conjungatur, et divino sacramenti remedio suis infirmitatibus ac defectibus occurrat. Decr. S. C. C., 16 dec. 1905, *aa.* 1 et 2. Cfr. *Ferreres*, La Comunión frecuente y diaria, *nn.* 14 *seq.*; 26-195.

c) Nihilominus, si post ultimam sacramentalem confessionem religiosus communitati gravi scandalo fuerit, aut *gravem et externam culpam* patraverit, potest Superior, donec ad poenitentiae sacramentum denuo accesserit, ei communionem prohibere (*can.* 595, § 3).

d) Si quae sint religiones votorum sive solemnium sive simplicium, quarum in regulis, constitutionibus aut calendariis com-

muniones aliquibus diebus affixae aut jussae reperiantur, hae normae vim dumtaxat directivam, non praeceptivam habent (*Ibid.*, § 4).

QUAER. *Quodnam igitur Superiorum in hac re jus et officium sit?*

Resp. 1.° Confessariis et concionatoribus praecipere possunt ut vel poenitentes, vel communitatem in genere, ad quotidianam communionem hortentur; iidemque Superiores communitatem et singulos subditos ad idem hortari, ultimam tamen resolutionem confessarii consilio committere *debent*.

2.° *Debet* item Superior suis subditis quotidianam communionem facilem reddere, distributo, quatenus fieri possit, labore et occupationibus singulorum et ordine temporis communi, ut omnibus facile sit quotidie ad sacram mensam accedere.

3.° Nequit subdito communionem prohibere nisi in casu jam exposito, nempe, ubi post ultimam confessionem gravis scandali aut gravis et externae culpae reus fuerit; nec prohibitio sustineri potest nisi donec subditus iterum confiteatur. Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 218-220.

In ceteris casibus communionem prohibere nequit; Papa enim' non modo quotidianam communionem permittit, sed ad eam omnes fideles hortatur qui statum gratiae et rectam mentem habeant; quod autem Papa permittit et commendat, nullus Superior id vetare imo nec difficilem reddere licite potest. *Ferreres*, l. c., *n.* 222 *seq.*

ARTICULUS III

HABITUS ET CLAUSURA IN GENERE

889. I. **Habitus.** — Religiosi omnes proprium habitum deferre debent, tum intra tum extra domum, nisi gravis causa excuset, judicio Superioris majoris, aut, urgente necessitate, etiam localis (*can.* 596).

Causae *graves* dari possunt in nationibus ubi lex civilis publicum usum vestis religiosae non tolerat; *urgens* causa forte datur tempore alicujus turbationis politicae.

890. II. **Clausura-Notio.** — Clausura dicitur locus religiosorum habitationi destinatus, unde nec ipsis nisi statis legibus egredi, nec aliis nisi juxta constitutionum statuta ingredi licet.

Divisio. — *a*) Clausura potest esse *papalis*, *episcopalis* aut mere *disciplinaris*, prout poenis juris communis sancita sit, aut censuris ab Episcopo religiosis votorum simplicium sibi subjectis impositis, aut tantum in Codice vel in regulis aut constitutionibus praecepta.

b) In clausura papali, praeter casus a jure expressos, solus Papa dispensare potest; in episcopali potest semper Episcopus a poenis a se impositis eximere; in disciplinari Superiores dispensant.

c) Clausura est vel *totalis*, quae integram religiosam domum comprehendit; vel *partialis*, quae ad aliquam domus partem dumtaxat extenditur, v. gr., in collegiis regularium ubi convictores saeculares instituuntur. Vide *n.* 892, *c*), *d*).

ARTICULUS IV

CLAUSURA PAPALIS

891. **Ubi clausura papalis obliget.** — In domibus regularium sive virorum sive mulierum canonice constitutis, etiam non formatis, clausura papalis servanda est (*can.* 597, § 1).

Est obligatoria clausura papalis *in omnibus* regularium sive virorum sive mulierum domibus in quibus vota solemnia emittuntur, et generatim *tantum in illis obligat;* adeo ut, si ratione adjunctorum temporis aut regionis, leges clausurae papalis servari nequeunt, soleat Rom. Pontifex decernere ut in his domibus, licet ad Ordines regulares stricte dictos pertinentibus, vota tamen solemnia non emittantur, sed simplicia tantummodo, prout id ad religiosas quod attinet fit generatim in Gallia, Belgio, Mexico, aliisque nationibus. Cfr. *Ferreres*, Las religiosas, *comm.* III, *n.* 6 *seq.*

Quodnam spatium ea comprehendat. — *a*) Clausura papalis comprehendit totum spatium intra septa monasterii clausum, nempe: cellas, chorum, valetudinarium, officinas, culinam, refectorium, imo hortos aut viridarium, nisi a domo muro et janua clave obseratum sit (*can.* 597, § 2).

b) Extra clausuram sunt publicum templum cum adjuncto sacrario, hospitium pro advenis, si adsit, et collocutorium, quod, quantum fieri potest, prope januam domus constitui debet (*Ibid.*).

c) Partes clausurae obnoxiae patenter indicandae sunt. Superioris majoris vel Capituli generalis, secundum constitutiones, erit clausurae fines praescribere aut mutare. Si agatur de monasterio monialium, id ad Episcopum pertinet (*Ibid.*, § 3).

892. **Quinam clausuram ingredi nequeunt.** — I. *a*) In clausuram **virorum** nulla mulier, cujusvis aetatis, generis aut conditionis, sub quovis praetextu ingredi potest (*can.* 598, § 1).

b) **Excipiuntur** hodie uxores eorum qui *supremam auctoritatem* in natione exercent, et earum comitatus (*Ibid.*, § 2).

c) **Clausura partialis.** — Si domus **regularium** virorum annexum habeat convictum pro alumnis internis vel alia opera religio-

nis propria, separata saltem aedis pars, si fieri possit, religiosorum habitationi reservanda est, eaque legi clausurae subjecta (*can.* 599, § 1).

d) Etiam in partem eam, extra clausuram alumnis externis aut internis vel operibus religionis propriis destinatam, personae alterius sexus, nisi aequa de causa et de Superioris licentia admittendae non sunt (*Ibid.*, § 2).

893. — II. *a*) Intra **monialium** clausuram nemo, cujusvis generis, conditionis, sexus, aetatis admittendus est, sine Sanctae Sedis licentia (*can.* 600).

b) **Excipiuntur**: 1.° *Ordinarius loci* in casu necessitatis aut ad sanctam visitationem peragendam: is comitatum deferre debet, at paucis personis, iisque gravibus constantem (*Ibid.*, 1.°). Ad explorandam novitiae voluntatem, aut ejus professionem recipiendam, aut ad assistendum electioni Antistitae, ingredi nequit. Haec omnia ad crates agenda sunt.

2.° *Praelatus regularis* (si monasterium sit exemptum) ad sanctam visitationem *semel* in anno peragendam; is socium adducere debet (Generalis duos socios afferre potest), et ex quo clausuram ingrediuntur donec inde egrediantur, quatuor e senioribus monialibus stipati pergere debent. Ad ingrediendum Episcopi venia non est petenda, sed utique Episcopus est praevie monendus. Visitatio unico die finiri debet (ab ortu ad occasum solis); personarum autem visitatio ad crates et non alibi peragenda est (*Ibid.*) Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 57.

Tum Episcopus tum Superior regularis alteri delegare possunt visitationem faciendam.

3.° *Confessarius* clausuram ingredi potest in casu necessitatis tum ad ministranda infirmis Sacramenta Confessionis, Communionis et Extremae Unctionis, tum ad assistendum morientibus (*can.* 600, 2.°). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 16 *seq.*

Confessarius, cum ingreditur clausuram, stola et superpelliceo indutus esse debet; si regularis sit, comitem assumere debet maturae aetatis et ejusdem Ordinis, qui ita eum comitetur ut et videre eum, et ab ipso videri semper possit. *Ferreres*, l. c., *n.* 16.

Si confessarius sit saecularis, comitem non deferet, sed ex quo in clausuram ingreditur donec inde exeat, duae religiosae eum comitari debent. *Ferreres*, l. c., *n.* 16.

4.° Possunt etiam ingredi clausuram *a*) qui *supremum actu* tenent *populorum principatum*, eorumque *uxores*, cum *comitatu; b*) S. R. E. Cardinales (*can.* 600, 3.°).

5.° *a*) Antistitae est, adhibitis debitis cautelis, ingressum permittere medicis, chirurgis, et aliis quorum opera sit necessaria (*fabro ferrario, lignario, caementario, hortulano*, etc.). Ad hoc praevie impetranda est licentia saltem *habitualis* ab Ordinario loci. Si

necessitas urgeat (v. gr. in casu incendii), nec tempus suppetat approbationem petendi, haec jure praesumitur (*Ibid.*, 4.°).

b) Pro his casibus seligendae sunt personae maturae aetatis et quarum probati sunt mores; eae, salvo casu necessitatis, clausuram ingredi nequeunt nisi post ortum solis, et inde ante occasum solis egredi debent. Cfr. *Ferreres*, Las Religiosas, *com.* III, *n.* 58.

c) Ratio cur semper ad Episcopum recurrendum sit pro licentia, quamvis monasteria sint exempta, est quia Tridentinum Concilium Episcopis clausurae custodiam in cunctis monasteriis commisit, jubens ut in monasteriis *exemptis* tanquam delegati Sedis Apostolicae procederent (Trid., *sess.* 25, *cap.* 5, *De regul.* et *mon.*). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 59. Codex eamdem disciplinam confirmat, ita tamen ut Ordinarius jure proprio procedat. Vide *n.* 895, II.

894. **Egressus e clausura**.—Nemini **monialium** licet post professionem exire e monasterio, etiam ad breve tempus, quovis praetextu, sine speciali S. Sedis indulto, excepto casu imminentis periculi mortis vel alius gravissimi mali (v. gr., incendii, inundationis; infidelium, haereticorum aut latronum invasionis; leprae aut alterius contagiosi morbi quae vitae religiosarum periculum imminens creet, tunc enim ipsae, tempore dumtaxat periculi, egredi poterunt), idque licentia *in scriptis* ab Episcopo accepta (*can.* 601, § 1, 2).

Planum est, si incendium, inundatio etc., talis conditionis forent ut tempus licentiae Episcopi impetrandae non sufficeret, eo casu sine licentia religiosas e clausura egredi posse (*Ibid.*, § 1). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 69 *seq.*

895. **Clausurae dispositio ejusque vigilantia**. — I. Clausura *monasterii* ita circumsepta esse debet ut, quoad fieri potest, neque a parte exteriore, nequidem a turribus, in clausuram prospectus sit, neque a clausura in partem exteriorem (*can.* 602). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 11.

II. *a*) Clausura **monialium**, etsi regularibus subjectarum, sub vigilantia est Ordinarii loci, qui potest delinquentes, *regularibus viris non exceptis*, poenis ac censuris corrigere et coërcere (*can.* 603, § 1).

b) Etiam Superiori regulari custodia clausurae *monialium* sibi subjectarum commissa est, qui *moniales* aut alios *suos subditos*, si quid hac in re deliquerint, poenis quoque punire potest (*Ibid.*, § 2).

ARTICULUS V

CLAUSURA DISCIPLINARIS ET EPISCOPALIS

896. **Clausura disciplinaris**. — In domibus etiam Congregationum religiosarum, sive pontificii sive dioecesani juris, clausura

servetur, in quam nemo *alterius sexus* admittatur, nisi ii qui ad normam can. 598, § 2 et can. 600 (vide *nn.* 892, *b* et 893) clausuram papalem ingredi possunt; aliique quos ex justis ac rationabilibus causis Superiores admitti posse censuerint (*can.* 604, § 1).

Quod can. 599 (vide *n.* 892) de *partiali* clausura traditur, idem ad domus Congregationum religiosarum, sive virorum sive mulierum, est applicandum (*Ibid.*, § 2).

897. **Clausura episcopalis.** — Episcopus in adjunctis peculiaribus potest hanc clausuram, nisi agatur de religione clericali *exempta*, munire censuris; semper autem curare debet ut eadem rite servetur, et quidquid in eam irrepat vitii corrigere (*Ibid.*, § 3).

898. **Religiosi qui adeuntur quique alienos adeunt.** — I. Ii quibus est clausurae custodia, sedulo advigilare debent ne, alienis invisentibus, inutili collocutione disciplina perturbetur, et spiritus religiosus detrimentum patiatur (*can.* 605).

Mitigatur igitur disciplina de feminis religiosis visendis; servatur tamen spiritus.

II. Curabunt Superiores ut accurate observentur quae sive *a*) super egressu subditorum e claustris, sive *b*) super excipiendis vel adeundis extraneis, in propriis Constitutionibus praescripta sunt (*can.* 606, § 1).

899. **Prohibetur religiosis extra proprias domos degere.** — *a*) Neque fas est Superioribus, salvis praescriptis in can. 621-624 (*nn.* 908, 909), permittere ut subditi extra domum propriae religionis degant, nisi gravi et justa de causa atque ad tempus quo fieri potest brevius secundum constitutiones (*can.* 606, § 2).

b) Si autem absentia sex menses debet excedere, nisi causa studiorum intercedat, semper Apostolicae Sedis venia requiritur (*Ibid.*).

900. **Religiosae ne solae domo exeant.** — Antistitae et Ordinarii locorum serio advigilent ne *religiosae*, citra casum necessitatis, singulae extra domum pergant (*can.* 607).

ARTICULUS VI

RELATIONES RELIGIOSORUM CUM ORDINARIIS ET PAROCHIS

901. — I. Superioribus curandum est ut subditi a se designati, praesertim in dioecesi in qua degunt, cum a locorum Ordinariis vel parochis eorum ministerium requiritur ad consulendum populi necessitati, tum intra tum extra proprias ecclesias aut oratoria publica, illud, salva religiosa disciplina, libenter praestent (*can.* 608, § 1).

II. Vicissim locorum Ordinarii et parochi libenter utantur opera religiosorum, praesertim in dioecesi degentium, in sacro mini-

sterio maximeque in administrando sacramento poenitentiae (*Ibid.*, § 2).

III. Si ecclesia, apud quam residet communitas religiosa, est simul paroecialis, servetur, congrua congruis referendo, praescriptum can. 415 pro casu in quo Cathedralis paroecia est (*can.* 609, § 1). Vide *n.* 704.

IV. In templis religiosarum a votis sive solemnibus sive simplicibus paroecia erigi nequit (*Ibid.*, § 2).

V. Superioribus advigilandum est ne divinorum officiorum in propriis ecclesiis celebratio catecheticae instructioni aut Evangelii explanationi in ecclesia paroeciali tradendae nocumentum afferat; judicium autem utrum nocumentum afferat, necne, ad loci Ordinarium pertinet (*Ibid.*, § 3).

VI. Praeter praescriptum can. 1345 de brevi Evangelii explicatione aut catechismi in missis dierum festorum, si Ordinarius ob causam publicam sonitum campanarum, preces aliquas vel sacra solemnia indicit, religiosi omnes, etiam exempti, obedire debent, salvis constitutionibus et privilegiis suae cujusque religionis (*can.* 612).

ARTICULUS VII

DE OBLIGATIONE CHORI

902. — I. In religionibus sive virorum sive mulierum, quibus est chori obligatio, in singulis domibus ubi *quatuor* saltem sint religiosi choro obligati et *actu* legitime non impediti, et etiam pauciores, si ita ferant constitutiones, debet ad normam constitutionum quotidie *divinum officium communiter* persolvi (*can.* 610, § 1).

Agitur hic de religionibus (communiter regularibus) quae obligantur ad divinum officium canendum juxta breviarium; non de illis quae solum officium parvum recitare debent.

II. *a*) Missa quoque officio diei respondens secundum rubricas quotidie celebrari debet in religionibus *virorum* (ad chorum obligatis), et etiam, quoad fieri possit, in religionibus *mulierum* (*Ibid.*, § 2).

b) Hoc praescriptum doctrinam generalem continet, **Missam conventualem** (ubi obligatio adest chori in sensu nuper exposito) esse debere officio diei conformem.

c) Praescriptum mitigatur pro feminis religiosis, quae possunt excusari quoties occurrit aliqua difficultas. Ratio hujus discriminis haec est: quod religiosorum communitati facilis est missae celebratio officio conformis, cum sint plures sacerdotes; at

religiosae cum fere non habeant nisi unum capellanum, cumque ei stipendium saepe tribuere non possint, cogitur hic ad celebrandam missam votivam diebus in quibus rubrica permittit, neque iis diebus facile possunt religiosae alium invenire qui missam celebret officio conformem.

III. In eisdem religionibus sive *virorum* sive *mulierum*, solemniter professi qui a choro abfuerunt, debent, exceptis conversis, iis scil. qui ad chorum minime destinantur, horas canonicas privatim recitare (*Ibid.*, § 3). Doctrina haec retinet antiquam disciplinam.

ARTICULUS VIII

DE LIBERTATE SUBDITORUM ET SUPERIORUM INTER SE COMMUNICANDI

903. — Omnes religiosi sive viri sive mulieres, libere possunt: *a*) mittere litteras, nulli obnoxias inspectioni, ad Sanctam Sedem ejusque in natione Legatum, ad Cardinalem Protectorem, ad proprios Superiores majores, ad Superiorem domus forte absentem, ad Ordinarium loci cui subjecti sint et, si agatur de *monialibus* quae sub regularium jurisdictione sunt, etiam ad Superiores majores Ordinis; *b*) et ab istis omnibus praedicti religiosi, viri aut mulieres, litteras item nemini inspiciendas recipere (*can.* 611). Vide *Ferreres*, Compend., *vol.* 1, *n.* 576, 5.°, edit. 1917-1918.

CAPUT II

DE RELIGIOSORUM PRIVILEGIIS

ARTICULUS I

QUIBUS GAUDEANT PRIVILEGIIS ET AD QUEM SPECTENT

904. — I. Quaelibet religio iis tantum privilegiis gaudet, quae vel in Codice continentur, vel a Sede Apostolica *directe* eidem concessa fuerint, exclusa in posterum qualibet privilegiorum communicatione (*can.* 613, § 1).

II. Privilegia quibus gaudet *Ordo regularis*, competunt quoque *monialibus* ejusdem Ordinis, quatenus eorum sint capaces (*Ibid.*, § 2).

Manifestum est privilegiorum quae ad solos viros spectent, non

esse capaces moniales, ut eorum quae referuntur ad facultatem absolvendi, praedicandi, etc.

In Ordinibus regularibus valde frequens erat privilegiorum communicatio, ita ut alicui eorum privilegia concessa ceteris omnibus concessa etiam haberentur, dummodo capaces essent illorum, adessentque adjuncta cetera canonis 64. Vide *n.* 184. Nunc vero singulae religiones iis tantum gaudent quae notantur in Codice et quae directe sunt acquisita.

III. Religiosi omnes, etiam laici et novitii, fruuntur clericorum privilegiis de quibus in can. 119-123 (*can.* 614.) Vide *nn.* 252-275.

ARTICULUS II

DE PRIVILEGIO EXEMPTIONIS

905. **Quinam eo fruantur.** — Omnes regulares (vide *n.* 777), novitiis non exclusis, sive viri sive mulieres, cum eorum domibus et ecclesiis, exceptis tantum iis *monialibus* quae Superioribus regularibus non subsunt, ab Ordinarii loci jurisdictione *exempti* sunt, praeterquam in casibus a jure expressis (*can.* 615). In hoc antiqua disciplina servatur.

Exceptiones. — *a*) Regulares extra domum *illegitime* degentes, etiam sub praetextu accedendi ad Superiores, exemptionis privilegio non gaudent (*can.* 616, § 1).

b) Si extra domum delictum commiserint nec a proprio Superiore praemonito puniantur, a loci Ordinario puniri possunt, etsi e domo legitime exierint et domum reversi fuerint (*Ibid.*, § 2).

c) Si in regularium aliorumve religiosorum exemptorum domibus eorumve ecclesiis abusus irrepserint, et Superior monitus prospicere neglexerit, Ordinarius loci obligatione tenetur rem ad Sedem Apostolicam statim deferendi (*can.* 617, § 1).

d) Omnis autem domus *non formata* (vide *n.* 777, III, 5.° *c*) manet sub peculiari vigilantia Ordinarii loci, qui, si abusus irrepserint et fidelibus scandalo fuerint, ipse per se potest interim providere (*Ibid.*, § 2).

ARTICULUS III

QUIBUS NON COMPETIT

906. Privilegium exemptionis non competit religionibus *votorum simplicium*, nisi specialiter eisdem sit concessum (*can.* 618. § 1).

Auctoritas Ordinarii super has Congregationes. — I. In religionibus tamen juris pontificii Ordinarius loci **non potest**: 1.° constitutiones ullatenus immutare aut de re oeconomica cognoscere, salvo praescripto can. 533-535; 2.° sese ingerere in regimen internum ac disciplinam, exceptis casibus in jure expressis (*Ibid.*, § 2).

II. Nihilominus in religionibus laicalibus **potest** ac debet: 1.° inquirere *a*) num disciplina ad constitutionum normam vigeat; *b*) num quid sana doctrina morumve probitas detrimenti ceperit; *c*) num quid contra clausuram peccatum sit; *d*) num sacramenta aequa stataque frequentia suscipiantur; 2.° si Superiores de gravibus forte abusibus admoniti opportune non providerint, Ordinarius per se consulet; si quae tamen majoris momenti occurrant, quae moram non patiantur, decernet statim; decretum vero ad Sanctam Sedem deferet (*Ibid.*).

III. In omnibus in quibus religiosi subsunt Ordinario loci, possunt ab eodem etiam poenis coërceri (*can.* 619). Excipiendi tamen ab hac regula Ordines qui contrario privilegio gaudent non derogato.

ARTICULUS IV

RELIGIOSI ET «INDULTA» ORDINARII

907. — Si loci Ordinarius indultum (v. gr. per quod jejunium dispenset aut abstinentiam) *legitime* concesserit (quia v. c. facultatem habet a Papa aut a Codice), obligatio *legis communis* cessat pro religiosis omnibus in dioecesi commorantibus, salvis votis et constitutionibus propriis cujusvis religionis (*can.* 620).

Scilicet in hoc casu religiosi a lege communi dispensantur, v. gr. ab jejuniis et abstinentiis quae omnibus fidelibus ab Ecclesia praescribuntur quaeque indulto continentur, non autem ab iis jejuniis et abstinentiis ad quae suis votis aut regulis et constitutionibus coguntur.

ARTICULUS V

RELIGIOSI ET FACULTAS ELEEMOSYNAM PETENDI

908. I. **Mendicantes**. — *Regulares*, qui mendicantes et dicuntur et sunt (vide *n.* 787), possunt eleemosynam petere *a*) in dioecesi ubi eorum religiosa domus est constituta, de sola Superiorum suorum licentia; *b*) ut possint extra dioecesim, indigent praeterea licentia scripto data ab Ordinario loci in quo eleemosynas colligere cupiunt (*can.* 621, § 1).

II. Hanc licentiam Ordinarii locorum, praecipue dioecesium finitimarum, non debent nisi gravibus et urgentibus de causis denegare aut revocare, si domus ex mendicatione in sola dioecesi, in qua est constituta, vivere nullo modo potest (*Ibid.*, § 2).

III. **Ceteri religiosi juris pontificii.** — Alii omnes religiosi *Congregationum juris pontificii*, sine peculiari Sanctae Sedis privilegio, stipem petere prohibentur.

Hoc autem impetrato, opus est praeterea licentia scripto data ab Ordinario loci, nisi aliter in ipso privilegio cautum sit (*can.* 622, § 1).

IV. **Congregationes dioecesanae.** — Religiosi *Congregationum juris dioecesani* stipem quaeritare nequaquam possunt sine licentia scripto data tum ab Ordinario loci in quo sita est eorum domus, tum ab Ordinario loci in quo stipem quaerere cupiunt (*Ibid.*, § 2).

V. Religiosis, de quibus hic in §§ 1 et 2 (*nn.* III et IV), licentia stipis quaeritandae non est ab Ordinariis concedenda, praesertim ubi sunt conventus regularium nomine et re mendicantium, nisi sibi constet de vera domus vel pii operis necessitate, cui alio modo occurri nequeat. Quod si necessitati provideri possit stipe quaerenda intra locum seu districtum vel dioecesim in qua iidem commorantur, amplior licentia non est concedenda (*Ibid.*, § 3).

VI. **Orientales.** — Sine authentico et recenti rescripto Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, Ordinarii *latini* nec sinant orientalem ullum cujusvis ordinis et dignitatis in proprio territorio pecuniam colligere, nec suum subditum in orientales dioeceses ad eumdem finem mittant (*Ibid.*, § 4).

909. **Quinam mittendi et quomodo ad stipem petendam.** — I. Non licet Superioribus stipem colligendam committere, nisi professis aetate animoque maturis, maxime si de mulieribus agatur, nunquam autem iis qui in studia adhuc incumbunt (*can.* 623).

II. Quod vero attinet ad modum in quaeritanda stipe servandum et ad disciplinam a quaestuantibus custodiendam, religiosi utriusque sexus stare debent instructionibus a Sede Apostolica hac de re datis (*can.* 624).

ARTICULUS VI

ABBATES QUIBUS DANDA BENEDICTIO

910. — Abbates regulares de regimine, legitime electi, debent *intra tres menses* ab electione benedictionem accipere ab Episcopo dioecesis in qua monasterium situm est; postquam vero benedictionem receperint, praeterquam potestate conferendi ordines (mi-

nores) ad normam can. 964, *n.* 1, fruuntur privilegiis de quibus in can. 325, *exceplo pileolo violaceo* (*can.* 625). Véase el *n.* 627 *d*).

CAPUT III

DE OBLIGATIONIBUS ET PRIVILEGIIS RELIGIOSORUM QUI AD ECCLESIASTICAM DIGNITATEM PROMOVENTUR, AUT QUI PAROECIAM REGUNT

911. A) **Condiciones ad promotionem.** — I. Religiosus nequit, sine Sedis Apostolicae auctoritate, ad dignitates, officia aut beneficia promoveri, quae cum statu religioso componi non possint (*can.* 626, § 1).

II. Legitime ab aliquo collegio electus (ad talem dignitatem, officium aut beneficium), nequit electioni assentiri sine *licentia Superioris* (*Ibid.*, § 2).

Haec licentia, quae in casu a Superiore petitur, appellatur *postulatio* simplex, quae a solemni distinguitur, de qua superius, *n.* 342 *seq.*

III. Si *voto* teneatur *non acceptandi dignitates* (ut in Societate Jesu solemniter professi), specialis *R. Pontificis* dispensatio est necessaria (*Ibid.*, § 3).

912. **Religiosi Cardinales aut Episcopi.** — I. Religiosus, renuntiatus Cardinalis aut Episcopus sive residentialis sive titularis, manet religiosus, particeps privilegiorum suae religionis, votis ceterisque suae professionis obligationibus adstrictus, exceptis iis quas cum sua dignitate ipse *prudenter* judicet componi non posse, salvo praescripto can. 628 (*can.* 627, § 1).

II. Eximitur tamen a potestate Superiorum et, vi *voti obedientiae*, uni Romano Pontifici manet obnoxius (*Ibid.*, § 2).

913. **Religiosus extra religionem promotus relate ad bona.** — Religiosus ad dignitatem episcopalem vel aliam extra propriam religionem evectus:

1.° *a*) Si per professionem *dominium bonorum amiserit*, bonorum quae ipsi obveniunt, habet *usum, usumfructum et administrationem; proprietatem* vero respective acquirunt *a*) dioecesi, vicariatui, praefecturae, Episcopus residentialis, Vicarius Apostolicus, Praefectus Apostolicus; *b*) Ordini regulari ceteri, ad normam can. 582 (vide *n.* 879), salvo praescripto can. 239, § 1, *n.* 19 (*can.* 628, 1.°). Vide *n.* 466.

b) Ob professionem solemnem *amittitur* a religiosis dominium bonorum. In Societate Jesu amittitur etiam a Coadjutoribus formatis tam spiritualibus quam temporalibus, iis sc. qui ultima

vota nuncuparunt, etsi eorum professio simplex est. Vide *nn.* 778, 780, 2.ª, 785, 1.°

2.° Si per professionem *dominium bonorum non amiserit*, bonorum quae habebat, recuperat usum, usumfructum et administrationem; quae postea ipsi obveniant, sibi plene acquirit (*can.*, 628, 2.°).

3.° In utroque autem casu de bonis, quae ipsi obveniunt *non intuitu personae*, debet disponere secundum offerentium voluntatem (*Ibid.*, 3.°).

4.° *Dimisso* cardinalatu vel episcopatu vel expleto munere extra religionem sibi a Sede Apostolica commisso, religiosus ad religionem redire tenetur (*can.* 629, § 1).

5.° Potest tamen Cardinalis et Episcopus religiosus quamlibet suae religionis domum eligere in qua degat; sed caret voce activa et passiva (*Ibid.*, § 2).

914. B) **Religiosus qui paroeciam administrat: subjicitur Superioribus.** — I. Religiosus, qui paroeciam regit sive titulo parochi sive titulo vicarii, manet adstrictus ad observationem votorum et constitutionum, quatenus haec observatio potest cum muneris sui officiis consistere (*can.* 630, § 1).

II. Quare, in iis quae ad religiosam disciplinam attinent, subest Superiori, cujus proinde est, et quidem privative respectu Ordinarii loci, in ejus agendi rationem circa haec omnia inquirere eumque, si casus ferat, corrigere (*Ibid.*, § 2).

III. **Bona temporalia.** — Quod attinet ad *bona*, quae ipsi obveniunt intuitu paroeciae cui praeficitur, ipsi paroeciae acquirit; cetera acquirit ad instar aliorum religiosorum (*Ibid.*, § 3).

IV. **Eleemosynae**. — *a*) Non obstante voto paupertatis, eidem licet **eleemosynas** *in bonum paroecianorum*, vel pro scholis catholicis aut locis piis paroeciae conjunctis, quovis modo oblatas accipere aut colligere, et acceptas sive collectas administrare, itemque, servata *offerentium voluntate*, pro prudenti suo arbitrio, erogare, salva semper vigilantia sui Superioris (*Ibid.*, § 4).

b) Sed eleemosynas ad *fabricam ecclesiae*, i. e. pro ecclesia paroeciali aedificanda, conservanda, instauranda, exornanda accipere, apud se retinere, colligere aut administrare pertinet ad *Superiores*, si ecclesia sit communitatis religiosae; secus ad loci Ordinarium (*Ibid.*).

915. **Subest Ordinario.** — *a*) Parochus vel vicarius religiosus, licet ministerium exerceat in domo seu loco ubi majores Superiores religiosi ordinariam sedem habent, subest immediate omnimodae jurisdictioni, visitationi et correctioni Ordinarii loci, non secus ac parochi saeculares, regulari observantia unice excepta (*can.* 631, § 1).

b) Ordinarius loci, ubi parochum aut vicarium religiosum suo

muneri defecisse compererit, opportuna decreta condere ac meritas in eum poenas statuere potest (*Ibid.*, § 2).

At hoc jus cumulativum est cum ipso Superiore regulari, ita tamen ut, si aliter a Superiore, aliter ab Ordinario decerni contingat (in aestimanda vitae religiosi ratione), decretum Ordinarii praevalere debeat (*Ibid.*).

916. **Remotio.** — Quod attinet ad parochi vel vicarii *remotionem* e paroecia, servetur praescriptum can. 454, § 5 (vide *n.* 737); et quod ad bonorum temporalium administrationem, praescriptum can. 533, § 1, *n.* 4, et can. 535, § 3, *n.* 2 (*can.* 631, § 3). Vide *nn.* 841, I; 843, IV.

TITULUS XIV

De transitu ad aliam religionem

917. **Quis possit facultatem concedere.** — Nullus religiosus potest *ad aliam religionem*, etiam strictiorem, vel e *monasterio sui juris ad aliud* transire sine auctoritate Apostolicae Sedis (*can.* 632).

Novitiatus transeuntis: I. **Ad aliam religionem.** Transiens (cum ea licentia) *ad aliam religionem:* 1.° *Novitiatum* peragere debet. Quo durante, *a*) vota in prima religione facta manent in suo vigore; *b*) jura et obligationes particulares quas in religione derelicta habuit, suspensa manent; *c*) et ipse obligatione tenetur Superioribus novae religionis et ipsi novitiorum Magistro parendi, etiam ratione voti obedientiae (*can.* 633, § 1). 2.° Si in religione ad quam transiit, professionem non edat, ad pristinam religionem redire debet, nisi interim votorum tempus exspiraverit (*Ibid.*, § 2).

II. **Ad aliud monasterium.** — Transiens ad aliud monasterium ejusdem Ordinis nec novitiatum peragere debet, nec novam emittere professionem (*Ibid.*, § 3).

Haec dispositio locum habet in monasteriis *monachorum* independentibus in conventibusque *monialium* clausurae papalis.

918. **Quandonam professio temporalis omittenda.** — *Solemniter* professus aut professus a votis simplicibus *perpetuis*, si transierit ad aliam religionem cum votis solemnibus vel simplicibus perpetuis, post novitiatum, praetermissa professione *temporaria*, de qua in can. 574, vel admittatur ad professionem solemnem aut simplicem perpetuam vel ad pristinam redeat religionem (*can.* 634).

Potest tamen Superior eum diutius probare, sed non ultra annum ab expleto novitiatu (*Ibid.*).

919. **Jura et obligationes erga antiquam novamque religionem aut monasterium.** — *a*) Transeuntes *ad aliud monasterium* ejusdem religionis a die transitus, *b*) ad aliam vero religionem ab edita *nova professione*:

1.° Amittunt omnia jura et obligationes prioris religionis vel monasterii, et alterius jura et officia suscipiunt.

2.° *a*) Religio vel monasterium a quo exierunt *bona* servat, quae ipsius religiosi ratione jam acquisiverat.

b) Quod spectat *ad dotem* ejusve fructus et alia bona personalia, si qua habeat religiosus, servandum praescriptum can. 551, § 2 (Vide *n.* 857, X).

c) Demum nova religio jus habet pro novitiatus tempore ad justam retributionem, si eidem locus est ad normam can. 570, § 1 (*can.* 635). (Vide *n.* 872, IV).

Loquitur canon de nova religione, non de novo monasterio; agitur enim de tempore novitiatus; hic autem non peragitur, cum fit transitus ab uno monasterio ad aliud ejusdem religionis, ut nuper diximus.

3.° *Solemnitas* votorum (vide *n.* 785) in eo qui legitime secundum superiores canones vota *simplicia*, in Congregatione religiosa nuncupat, eo ipso exstinguitur, nisi aliud in apostolico indulto *expresse* caveatur (*can.* 636).

TITULUS XV

De egressu e religione

920. **Expleto votorum tempore.** — I. Professus a votis *temporariis*, expleto eorum tempore, libere potest religionem deserere (*can.* 637).

II. Pariter religio ob justas ac rationabiles causas eumdem potest a renovandis votis temporariis vel ab emittenda professione perpetua excludere, non tamen ratione infirmitatis, nisi certo probetur eam ante professionem fuisse dolose reticitam aut dissimulatam (*Ibid.*).

Posse religiosum libere religionem deserere, expleto votorum tempore, valet saltem pro foro externo. At in foro interno, si vota nuncupavit cum proposito religionis deserendae elapso eorum tempore, potest obligari ad damna et detrimenta religioni resarcienda.

921. **Indulta exclaustrationis et saecularizationis. I. A quo concedantur.** — Indultum manendi *extra claustra*, sive *tempora-*

rium, id est indultum *exclaustrationis*, sive *perpetuum*, id est indultum *saecularizationis*, sola Sedes Apostolica in religionibus juris pontificii dare potest; in religionibus juris dioecesani etiam loci Ordinarius (*can.* 638).

II. **Effectus horum indultorum.**—*a*) **Exclaustrationis**. — Qui indultum exclaustrationis impetravit: 1.° votis ceterisque suae professionis obligationibus quae cum suo statu componi possunt, manet obstrictus (non igitur obligatur choro, etc.); 2.° exteriorem habitus religiosi formam debet deponere; 3.° caret per totum hoc tempus voce activa et passiva; 4.° gaudet privilegiis mere spiritualibus suae religionis; et 5.° Ordinario territorii ubi commoratur, loco Superiorum propriae religionis, subditur etiam ratione voti obedientiae (*can.* 639).

b) **Saecularizationis**. — Qui, impetrato saecularizationis indulto, religionem relinquit: 1.° a sua religione separatur, habitus ejusdem exteriorem formam debet deponere, et in Missa et horis canonicis, in usu et dispensatione Sacramentorum saecularibus assimilatur; 2.° a votis liberatus manet, firmis oneribus ordini majori adnexis, si *in sacris* fuerit; non tenetur obligatione horas canonicas vi professionis recitandi (tenebitur si est *in sacris*) nec aliis regulis et constitutionibus adstringitur (*can.* 640, § 1).

922. **Reditus ad religionem.** — Si vult ad religionem reverti, *a*) indiget indulto pontificio; *b*) novitiatum ac professionem instaurare debet et ita locum inter professos obtinere a die novae professionis (*Ibid.*, § 2).

923. **Conditiones egressorum quod ad Ordinarium spectat.** — I. Religiosus *in sacris* constitutus, *a*) si propriam dioecesim ad normam can. 585 non amiserit (*n.* 880, *b*), debet, non renovatis votis, vel obtento saecularizationis indulto, ad propriam redire dioecesim, et a proprio Ordinario recipi; *b*) si amiserit, nequit extra religionem sacros ordines exercere, donec Episcopum benevolum receptorem invenerit, aut Sedes Apostolica aliter providerit (*can.* 641, § 1).

II. Episcopus benevolus religiosum recipere potest sive pure et simpliciter, sive pro experimento ad triennium: in priore casu religiosus *eo ipso* est dioecesi incardinatus; in altero, Episcopus potest probationis tempus prorogare, non ultra tamen aliud triennium; quo etiam transacto, religiosus, nisi antea dimissus fuerit, ipso facto dioecesi incardinatus manet (*Ibid.*, § 2).

Potest igitur Episcopus se praebere benevolum erga religiosum hac illave ratione, neque opus ei sunt speciales S. Sedis facultates.

924. **Quae prohibeantur desertoribus**. — Quilibet professus, ad saeculum regressus, licet valeat, ad normam can. 641, sacros ordines exercere, prohibetur tamen sine novo et speciali Sanctae Sedis indulto: 1.° quolibet *beneficio in basilicis* majoribus vel mi-

noribus, et in ecclesiis *cathedralibus;* 2.° quolibet *magisterio et officio in Seminariis* majoribus et minoribus seu *collegiis*, in quibus *clerici* educantur, itemque in Universitatibus et Institutis, quae privilegio apostolico gaudent conferendi gradus academicos (in Philosophia, aut Theologia aut Jure canonico); 3.° quocumque *officio vel munere* in Curiis episcopalibus et in religiosis domibus sive virorum sive mulierum, etiamsi agatur de Congregationibus dioecesanis (*can.* 642, § 1).

a) **Notanda super his prohibitionibus.** — Numero 1.° arcentur ab omni beneficio in Basilicis et Cathedralibus. Vox *beneficium* sensu proprio sumitur, scil. pro jure perpetuo percipiendi reditus ecclesiasticos ob officium spirituale, quod cum hoc jure ab auctoritate ecclesiastica conjungitur. Hujusmodi sunt capellaniae ecclesiasticae, paroeciae, canonicatus, etc.

b) Hoc etiam animadvertendum, beneficii collationem fore solum *illicitam*, non *invalidam*, si huic canoni contraria esset; de invaliditate enim aut inhabilitate nihil canon loquitur. Hi ad saeculum regressi, arcessi poterunt ad praedicandum in Cathedrali vel ad audiendas confessiones, non autem modo permanenti.

c) Vi numeri 2.[i] esse non poterunt Rectores, Vicecancellarii, Magistri, neque in Collegio Doctorum numerari, neque directores spiritus aut Patres spirituales, oeconomi, procuratores aut administratores, studiorum vel disciplinae praefecti, confessarii ordinarii, etc., in Seminariis majoribus aut minoribus, neque in pontificiis Universitatibus, etc.

d) Ex numero 3.° non possunt in Curiis ecclesiasticis Provisores esse nec Vicarii generales nec Secretarii dioecesis (aut Vicesecretarii), nec Secretarii cancellarii, fiscales, notarii, actores precum, officiales, etc. Aliqua officia inferiora, ut auxiliaris, amanuensis, praesertim *ad breve tempus*, non videntur prohibita. Neque esse possunt visitatores religiosorum aut religiosarum, directores vel superiores alicujus eorum aut earum domus, etiamsi ad Congregationem dioecesanam pertineant, neque confessarii aut capellani, etc.

925. **Qui comprehendantur his prohibitionibus.** — Haec valent quoque de iis qui vota temporaria vel juramentum perseverantiae vel peculiares quasdam promissiones ad normam suarum constitutionum ediderunt et ab eisdem dispensati sunt, si per *sex* integros annos eisdem ligati fuerunt (*can.* 642, § 2).

Disciplina paragraphi primi (*n.* 924) nititur S. C. Religiosorum decreto 15 jun. 1909, quod exposuimus in ephem. *Razón y Fe*, *vol.* 37, pag. 111 *seq.*

926. **Egressi quod attinet ad religionem quam deseruerunt.** — *a*) Qui e religione, expleto votorum temporariorum tempore aut obtento saecularizationis indulto, egrediantur vel ex eadem

fuerint dimissi, nihil possunt repetere ob quamlibet operam religioni praestitam (*can.* 643, § 1).

b) Si tamen religiosa sine dote recepta fuerit nec ex propriis bonis sibimet providere valeat, religio ex caritate eidem dare debet ea quae requiruntur ut modo tuto ac convenienti domum redeat, ac providere ut, naturali aequitate servata, per aliquod tempus, mutuo consensu vel in casu dissensus ab Ordinario loci determinandum, honeste vivere possit (*Ibid.*, § 2).

927. **Apostatae ac fugitivi.** — I. *Apostata* a religione dicitur professus a votis perpetuis, sive solemnibus sive simplicibus, qui e domo religiosa illegitime egreditur cum animo non redeundi, vel qui, etsi legitime egressus, non redit eo animo ut religiosae obedientiae sese subtrahat (*can.* 644, § 1).

Malitiosus animus, de quo in § 1, jure praesumitur, si religiosus intra mensem nec reversus fuerit nec Superiori animum redeundi manifestaverit (*Ibid.*, § 2).

II. Dicitur *fugitivus* qui, sine Superiorum licentia, domum religiosam deserit cum animo ad religionem redeundi (*Ibid.*, § 3).

III. *a*) Tam apostata quam fugitivus ab obligatione regulae et votorum minime solvuntur, et debent sine mora ad religionem redire (*can.* 645, § 1).

b) Superiores debent eos sollicite requirere, et ipsos, si vera poenitentia acti redeant, suscipere (*Ibid.*, § 2).

c) Si agitur de *moniali* clausurae apostata vel fugitiva, ejus reditum loci Ordinarius caute omnino curare debet; et, si regularibus subjecta est, curabit etiam (pariter cum Episcopo) Superior regularis (*Ibid.*).

TITULUS XVI

De dimissione religiosorum

928. **Dimissio «ipso facto» a jure decreta.** — I. **Ipso facto** habendi sunt tanquam legitime dimissi religiosi: 1.° publici *apostatae* a fide catholica; 2.° *religiosus*, qui fugam arripuerit cum muliere; aut *religiosa* quae cum viro; 3.° attentantes aut contrahentes *matrimonium* aut etiam *vinculum*, ut ajunt, *civile* (*can.* 646, § 1).

II. In his casibus omnibus sufficit ut Superior major (Generalis aut Provincialis) cum suo Capitulo vel Consilio ad normam constitutionum emittat facti *declarationem* (*Ibid.*, § 2).

Ab his autem curandum ut probationes facti in domus regestis seu archivo asserventur (*Ibid.*).

CAPUT I

DE DIMISSIONE RELIGIOSORUM QUI VOTA «TEMPORARIA» NUNCUPARUNT

929. **Quis possit dimittere.** — Professum a votis *temporariis*, 1.° sive in Ordinibus sive in Congregationibus juris *pontificii* dimittere potest *a*) supremus religionis Moderator (aut Moderatrix) vel Abbas monasterii sui juris cum *consensu* sui cujusque Consilii per secreta suffragia manifestato; vel, *b*) si agatur de *monialibus*, Ordinarius loci et, si monasterium sit regularibus obnoxium, Superior regularis, postquam monasterii Antistita cum suo Consilio fidem de causis scripto fecerit; 2.° in Congregationibus vero juris dioecesani, Ordinarius loci in quo religiosa domus sita est, qui tamen jure suo uti nequit Moderatoribus insciis vel juste dissentientibus (*can.* 647, § 1).

930. **Conditiones ad dimissionem.** — I. Nullus ex his dimittere potest, et *graviter* eorum oneratur conscientia, nisi adsint causae dimissionis *graves*, quae possunt se habere sive ex parte religionis sive ex parte religiosi (*Ibid.*, § 2, 1.°, 2.°).

II. *Defectus spiritus* religiosi qui aliis *scandalo* sit, esse potest sufficiens dimissionis causa, si repetita *monitio* una cum salutari *poenitentia* incassum cesserit, *non* vero *infirma valetudo*, nisi certo constet eam ante professionem esse *dolose* reticitam aut dissimulatam (*Ibid.*, 2.°).

III. Etsi Superiori dimissionis causae *certo* innotescere debeant (unde non sufficit ut habeat majorem minoremve probabilitatem, sed *certitudo* requiritur saltem moralis), non est tamen necesse ut *formali judicio* comprobentur (*Ibid.*, 3.°).

IV. At religioso semper *causae* dimissionis sunt manifestandae, data eidem plena respondendi (si velit) *licentia;* ejusque responsiones Superiori dimittenti fideliter subjiciendae (*Ibid.*).

V. Praeterea *a*) contra dimissionis decretum est religioso facultas *recurrendi ad Sedem Apostolicam; b*) et pendente recursu, dimissio *nullum* habet *juridicum effectum* (*Ibid.*, 4.°). Quare donec Sedes Apostolica per S. C. Religiosorum respondeat, is de cujus dimissione agitur, potest et debet in religione permanere.

VI. Si de *mulieribus* agitur, servari debet praescriptum can. 643, § 2 (*Ibid.*, 5.°). Vide *n.* 926.

931. **Dimissionis effectus.** — I. Religiosus dimissus ad normam can. 647 ipso facto *solvitur ab omnibus votis religiosis.*

II. At *a*) si est *in sacris*, subjicitur *oneribus ordini majori* pa-

nexis et praescripto can. 641, § 1, 642 (vide *nn.* 623, 624); *b*) sin erat clericus *in minoribus ordinibus* constitutus, eo ipso *redactus est in statum laicalem* (Vide *nn.* 377, 378) (*can.* 648).

CAPUT II

DE DIMISSIONE RELIGIOSORUM QUI VOTA «PERPETUA» NUNCUPARUNT IN RELIGIONE CLERICALI «NON EXEMPTA» VEL IN RELIGIONE LAICALI

932. A) **In virorum religionibus. I. Dimissionis causae.** — In virorum religionibus *clericalibus non exemptis* et *laicalibus*, ut professus a votis *perpetuis* dimitti possit, praecedant necesse est *tria delicta* cum *duplici monitione* ac defectu *emendationis* ad normam can. 656-662 (*can.* 649).

II. **Decernendi ratio**. — Haec si constiterint, supremus religionis Moderator cum suo Consilio, perpensis omnibus facti adjunctis, deliberare debet num locus sit dimissioni (*can.* 650, § 1).

Si major suffragiorum numerus pro dimissione steterit: *a*) in religione *juris dioecesani* res tota deferatur ad Ordinarium loci in quo religiosa professi domus sita est, cujus est dimissionem pro suo prudenti arbitrio decernere ad normam can. 647 (*can.* 650, § 2, 1.°); *b*) in religione *juris pontificii* ad ipsum supremum religionis Moderatorem dimissionis decretum ferre spectat; quod tamen ut suum sortiatur effectum, debet antea a Sede Apostolica confirmari (*Ibid.*, 2.°).

III. Religioso jus est suas rationes libere exponendi; ejusque responsiones in actis fideliter referendae sunt (*Ibid.*, § 3).

933. B) **Mulierum religiones. Causae dimissionis.** Etiam ad dimittendas *religiosas* professas a votis perpetuis, sive solemnibus sive simplicibus, exiguntur *graves* causae exteriores una cum incorrigibilitate, experimento correctionis prius habito ita ut spes resipiscentiae evanuerit, judicio Antistitae (*can.* 651, § 1).

Modus decernendi. — I. Praescriptum can. 650, § 3 (vide *n.* 924, III) etiam in religiosarum dimissione servandum est (*Ibid.*, § 2).

II. Si agatur *a*) de religiosis *juris dioecesani*, Ordinarii loci, in quo sita est sororis professae domus, est causas dimissionis expendere et decretum dimissionis ferre (*can.* 652, § 1).

b) Si *de monialibus*, ab Ordinario loci omnia acta et documenta transmittenda sunt ad Sacram Congregationem (de Religiosis) cum suo et Superioris regularis voto, si monasterium regularibus sit subjectum (*Ibid.*, § 2).

c) Si de aliis religiosis juris pontificii, suprema religionis Moderatrix rem totam ad Sacram Congregationem pariter deferre debet cum omnibus actis et documentis.

Sacra autem Congregatio tum in hoc tum in praecedenti casu *b*) et *c*) quod magis expedire censuerit, decernet, firmo praescripto can. 643, § 2 (*Ibid.*, § 3) de religiosis feminis absque dote admissis. Vide *n.* 926, *b*).

934. C) **Dimissio summaria.**—Attamen in casu gravis scandali exterioris vel gravissimi nocumenti communitati imminentis, religiosus ad saeculum remitti potest a Superiore majore *cum consensu* sui Consilii vel etiam, si periculum sit in mora et tempus non adsit adeundi Superiorem majorem, a Superiore locali *cum consensu* sui Consilii et Ordinarii loci, ita tamen ut res per ipsum Ordinarium aut per Superiorem majorem, si adsit, Sanctae Sedis judicio sine mora subjiciatur (*can.* 653).

Ita dimissus habitum religiosum statim debet deponere (*Ibid.*).

N. B. Hujus canonis praecepto locus esse potest in religionibus tum virorum, tum mulierum, tam processu instituto quam non instituto, etiam actis ad S. Congregationem delatis.

CAPUT III

DE PROCESSU JUDICIALI IN DIMISSIONE RELIGIOSORUM QUI VOTA PERPETUA, SIVE SOLEMNIA SIVE SIMPLICIA, NUNCUPARUNT IN RELIGIONE CLERICALI EXEMPTA

935. **Necessitas processus**. — Vir professus a votis solemnibus aut a votis simplicibus perpetuis in religione clericali exempta dimitti nequit, nisi processu instituto, salvo praescripto can. 646, 668 (vide *nn* 928, 945), et revocato quolibet contrario privilegio (*can.* 654).

936. **Tribunal**. — *a*) Ad sententiam dimissionis ferendam in his Ordinibus Institutisve religiosis tribunal constituent supremus religionis Moderator cum suo Consilio, scil. cum definitoribus, consiliariis, assistentibus, etc., secundum Ordinis aut Instituti denominationes. Consilium sive Capitulum e *quatuor* saltem religiosis constabit; quorum si qui deficiant, quia aegroti, absentes, occupati, etc., totidem a Generali et Consilio eligendi (*can.* 655, § 1).

b) Judices igitur saltem quinque esse debent, quatuor et Generalis (*Ibid.*). Et dimissio majore votorum numero videtur decernenda; quod si vota erunt paria, v. gr. cum judices sint sex, sententia nulla erit.

c) In monastica Congregatione tribunal Abbas generalis constituet ejusque Consilium (*Ibid.*).

Si qua Abbatia nullam efficit Congregationem, R. Pontificem adibit in singulis expulsionibus vel dimissionibus.

937. **Fiscalis**. — I. In unoquoque tribunali erit fiscalis sive promotor justitiae ad juris legisque defensionem, ejusdem religionis alumnus (*can.* 1589, § 2).

Nota justitiae promotorem semper necessarium esse in causis criminalibus, quales hae sunt.

II. Praesidis est de consensu aliorum judicum promotorem justitiae nominare ad normam can. 1589, § 2 (*can.* 655, § 2).

938. **Ad processum requisita praevia**. — Ad processum instruendum deveniri nequit nisi praecesserint:

1.° Gravia delicta externa sive contra jus commune sive contra speciale religiosorum jus.

2.° Monitiones.

3.° Defectus emendationis (*can.* 656).

Delicta debent esse saltem tria ejusdem speciei, vel, si diversae, talia ut simul sumpta manifestent perversam voluntatem in malo *pervicacem* (*can.* 657).

Si vero agitur de uno tantum delicto *permanenti*, satis est ut ex repetitis monitionibus virtualiter triplex fiat (*Ibid.*).

939. **Monitiones**.— I. **Conditiones ut fiant**.— Ad monitionem faciendam necesse est ut **aut** delictum sit notorium **aut** de eodem constet ex rei confessione extrajudiciali vel ex aliis sufficientibus probationibus quas praevia inquisitio suppeditaverit (*can.* 658, § 1).

In inquisitione peragenda serventur, congrua congruis referendo, praescripta can. 1939 *seq.* (*Ibid.*, § 2), de quibus in libro IV.

II. **A quo faciendae** — *a*) Monitio fieri debet ab immediato Superiore majore per se vel per alium de ejus mandato; *b*) sed Superior mandatum dare non debet, nisi praevia informatione facti ad normam can. 658, § 1 (vide *n.* 939); *c*) datum vero mandatum pro prima monitione valet etiam pro altera (*can.* 659).

III. **Quandonam repetendae**. — Duae debent esse monitiones, scilicet singulae pro singulis duobus primis delictis; in delictis autem continuatis seu permanentibus (v. gr. si religiosus sine Superioris licentia abesset a conventu vel domo, nollet autem redire ab hoc arcessitus), intercedat necesse est inter primam et alteram monitionem saltem trium dierum integrum spatium (*can.* 660). Post secundam monitionem tam in novis delictis quam in permanentibus *sex* saltem *dies* est exspectandum, antequam ad ulteriora progressus fiat (*can.* 662).

IV. **Quomodo faciendae**. — *a*) Monitionibus Superior debet opportunas addere exhortationes et correptiones, praescriptis insuper poenitentiis aliisque remediis poenalibus, quae apta censeantur ad emendationem rei et scandali reparationem (*can.* 661, § 1).

b) Praeterea tenetur Superior reum ab occasionibus relabendi removere etiam per translationem, si opus fuerit, ad aliam domum, ubi facilior sit vigilantia et remotior delinquendi occasio (*Ibid.*, § 2).

c) Singulis monitionibus adjicienda dimissionis comminatio (*Ibid.*, § 3).

940. — Ut de duplici monitione constet, documentum authenticum generatim allegandum est. Oportet igitur: 1.° ut monitiones coram duobus testibus fiant aut per litteras fidem facientes, nuntio petito eas acceptas aut rejectas esse; 2.° ut documentum scribatur a duobus testibus subscriptum in archivo servandum, unde constet factam esse monitionem; si vero per litteras fit monitio, exaretur earum transcriptio a duobus testibus cum exemplari quod mittitur conferenda et ante datas litteras ab ipsis subscribenda, a quibus etiam testificandum transcriptionem esse textui conformem seu fidelem. Haec autem transcriptio in regestis asservabitur.

V. Defectus emendationis constat, tum novo delicto post triplicem monitionem commisso, tum rei agendi ratione obstinata et pervicaci (*can.* 662). Vide *n.* 939, III, ad calcem.

941. **Actorum documentorumque ad Generalem transmissio.** — Provincialis aut quasi-Provincialis, postquam monitiones et correctiones incassum cesserint, omnia acta et documenta diligenter colliget et ad supremum Moderatorem transmittet; hic autem ea tradere debet promotori justitiae, qui ea examinabit et suas conclusiones proponet (*can.* 663).

942. **Fiscalis instructioque processus.** — I. Fiscali sive promotori justitiae fas est etiam ulteriores inquisitiones quas opportunas judicaverit peragere (*can.* 664, § 1).

II. Si accusationem proponat, instruendus erit processus, servatis praescriptis canonum in Parte Prima Libri IV, mutatis mutandis (*Ibid.*).

III. Ex processu constare debet: 1.° de rei culpabilitate; 2.° de gravitate delictorum et numero; 3.° de praemissa duplici monitione; 4.° de defectu emendationis post duplicem monitionem (*can.* 664, § 2).

1.° Ut constet *de culpabilitate*, tales debent esse probationes ut animum viri prudentis permoveant. Quae possunt desumi ex rei confessione in juratis declarationibus aliisque additis argumentis, ex testibus duobus saltem, fide dignis atque ex authenticis documentis.

2.° Delicti *gravitas* non ex gravitate solum theologica seu ex divina offensione, sed etiam ex gravitate legali, i. e. poenae qua sancitur, item ex doli gravitate damnique tum moralis, tum materialis communitati illati desumi potest.

3.° Accusationum et eorum quae ex processu oriuntur reus certior faciendus, concedendumque ipsi tempus idoneum a judice statuendum (*arbitrio boni viri*), ut possit se defendere. Id si non fecerit, ei assignandus erit officii defensor, ejusdem Ordinis aut Instituti alumnus.

943. **Sententia ejusque exsecutio**. — I. Tribunal, diligenter perpensis allegationibus tum promotoris justitiae tum rei, si quidem judicaverit satis probata esse ea de quibus in can. 664, § 2, sententiam dimissionis pronuntiare poterit (*can.* 665).

II. Quocumque modo se res habebit, sententia *executioni* mandari nequit, nisi fuerit a Sacra Congregatione confirmata; ad quam tribunalis praeses et sententiam et omnia acta processus quamprimum transmittere curabit (*can.* 666).

944. **Normae speciales pro dissitis regionibus**. — Pro dissitis regionibus etiam in casibus ordinariis supremi Moderatores *cum consensu* sui Consilii seu Capituli possunt dimittendi facultatem demandare probis ac prudentibus religiosis, qui saltem tres esse debent, firmo praescripto can. 663-666 (*can.* 667).

945. **Judicium summarium expulsionis**. — In casu in quo grave scandalum exterius aut gravissimum communitatis damnum sit pertimescendum, de quo in can. 653 (vide *n.* 926), religiosus statim potest a Superiore majore, vel si periculum sit in mora et tempus non adsit recurrendi ad Superiorem majorem, a Superiore quoque locali, *cum consensu* sui Consilii, ad saeculum remitti, habitu religioso illico deposito (*can.* 668). Religioso autem dimisso, statim processus, si nondum sit institutus, instituatur ad normam canonum qui praecedunt (*Ibid.*).

CAPUT IV

DE RELIGIOSIS DIMISSIS QUI VOTA PERPETUA NUNCUPARUNT

946. I. **Votis obligantur**. — Professus qui vota *perpetua* emisit, a religione dimissus, *votis religiosis* manet *adstrictus*, salvis constitutionibus aut Sedis Apostolicae indultis quae aliud ferant (*can.* 669, § 1), sicuti ferunt super Coadjutoribus formatis Societatis Jesu.

II. **Reductio ad statum laicalem**. — Si clericus est in *minoribus* ordinibus constitutus, *ipso facto* reducitur *ad statum laicalem* (*Ibid.*, § 2). Vide *n.* 377, II.

III. **Privatio perpetua deferendi habitus ecclesiastici**. — Omnis **clericus** in sacris *a*) qui aliquod delictum commisit de quo in can. 646 (vide *n.* 922), aut dimissus est ob delictum quod jure

communi punitur *infamia* juris vel *depositione* vel *degradatione* (ut in Libro V videbimus simul cum aliis poenis gravissimis quae his delictis annexae sunt) *perpetuo* prohibetur deferre *habitum ecclesiasticum* (*can.* 670).

IV. **Aliae poenae.** — Si vero dimittatur *ob delicta* minora iis de quibus in canone superiore 670:

1.° *Ipso facto* **suspensus** manet, donec a Sancta Sede absolutionem obtinuerit. 2.° Sacra Congregatio, si id expedire judicaverit, dimisso praecipiet, ut, habitu cleri saecularis indutus, commoretur in certa dioecesi, indicatis Ordinario causis ob quas dimissus est. 3.° Si dimissus praecepto de quo hoc n. 2, non paruerit, religio ad nihil tenetur, et dimissus eo ipso privatus est jure deferendi habitum ecclesiasticum. 4.° Ordinarius dioecesis pro ejus commoratione designatae, religiosum (si obedierit praecepto in n. 2.°) in domum poenitentiae debet mittere, vel eum committere curae et vigilantiae pii ac prudentis sacerdotis; et si religiosus non paruerit, servetur praescriptum n. 3. 5.° (Si obedierit), religio, per manus Ordinarii loci commorationis, caritativum subsidium dimisso suppeditabit pro necessariis ad vitae sustentationem, nisi ipse aliunde sibimet providere possit. 6.° Si dimissus vitae rationem ecclesiastico viro dignam non agat, transacto anno aut etiam prius, judicio Ordinarii, *a*) privandus erit caritativo subsidio, *b*) ejiciendus e domo poenitentiae, *c*) eique auferri debet jus deferendi habitum ecclesiasticum ab ipso Ordinario, qui statim mittet opportunam relationem tum ad Sedem Apostolicam tum ad religionem. 7.° Si vero dimissus praedicto tempore tam laudabiliter se gesserit, ut merito haberi possit vere emendatus, Ordinarius ejus preces apud Sanctam Sedem commendabit pro absolutione *a censura suspensionis*, et, ea obtenta, eidem in sua dioecesi permittet, adhibitis opportunis cautelis et limitationibus, Missae celebrationem et etiam, pro suo arbitrio et prudentia, aliud sacrum ministerium, unde honeste vivere queat; quo in casu religio caritativum subsidium intermittere potest. Quod si agatur de diacono aut subdiacono, res ab Ordinario ad Sanctam Sedem deferetur (*can.* 671, 1.°-7.°).

947. **Obligatio ad claustra redeundi.**—Dimissus, votis in religione emissis *non solutus*, tenetur ad claustra redire; et si argumenta plenae emendationis per triennium dederit, religio tenetur eum recipere; quod si graves obstent rationes sive ex parte religiosi, sive ex parte religionis, res est judicio Sedis Apostolicae subjicienda (*can.* 672, § 1).

948. **Dimissus a votis solutus.** — Quoties vero vota in religione emissa cessaverint, si dimissus Episcopum benevolum receptorem invenerit, sub ejus jurisdictione et speciali vigilantia manebit, servato praescripto can. 642; secus res ad Sanctam Sedem deferetur (*Ibid.*, § 2).

TITULUS XVII

De societatibus sive virorum sive mulierum in communi viventium sine votis

949. I. **Notio**. — Societas sive virorum sive mulierum, in qua sodales vivendi rationem religiosorum imitantur in communi degentes sub regimine Superiorum secundum probatas (ab auctoritate ecclesiastica) constitutiones, sed tribus consuetis votis publicis non obstringuntur, non est proprie religio, nec ejus sodales nomine religiosorum proprie designantur (*can.* 673, § 1).

II. **Character**. — Hujusmodi societas est *clericalis* vel *laicalis*, juris *pontificii* vel *dioecesani* ad normam can. 488, nn. 3, 4 (*can.* 673, § 2). Vide *n.* 777, 3.°, 4.°

III. **Erectio, suppressio**, etc. — Circa erectionem et suppressionem societatis ejusque provinciarum vel domorum, eadem valent quae de Congregationibus religiosis constituta sunt (*can.* 674). Vide *nn.* 792-807.

IV. **Regimen**. — Regimen determinatur in uniuscujusque societatis constitutionibus; sed in omnibus servandi sunt, congrua congruis referendo, can. 499 530 (*can.* 675). Vide *nn.* 804 *seq.*

V. **Bona temporalia**. — *a*) Societas ejusque provinciae et domus capaces sunt acquirendi et possidendi bona temporalia (*can.* 676, § 1).

b) Administratio bonorum regitur praescripto can. 532-537 (*Ibid.*, § 2).

c) Quidquid sodalibus obvenit intuitu societatis, eidem acquiritur; cetera bona sodales secundum constitutiones retinent, acquirunt et administrant (*Ibid.*, § 3).

VI. **Admissiones**. — In admittendis candidatis servandae sunt constitutiones, salvo praescripto can. 542 (*can.* 677).

VII. **Studiorum ratio ordinumque susceptio**. — In iis quae ad studiorum rationem et ad suscipiendos ordines pertinent, sodales iisdem legibus tenentur ac saeculares clerici, salvis peculiaribus praescriptionibus a Sancta Sede datis (*can.* 678), vel dandis.

950. VIII. **Obligationes**. — Sodales societatis, praeter obligationes quibus, uti sodales, obnoxii sunt secundum constitutiones, tenentur communibus clericorum obligationibus, nisi ex natura rei vel ex sermonis contextu aliud constet, pariterque stare debent praescriptis can. 595-612, nisi constitutiones aliud ferant (*can.* 679, § 1). Vide *nn.* 887 903.

Clausuram servare debent ad normam constitutionum sub Ordinarii loci vigilantia (*can.* 679, § 2).

IX. **Privilegia.** — Iidem, etiam laici, gaudent clericorum privilegiis, de quibus in can. 119-123, aliisque societati directe concessis, non autem privilegiis religiosorum sine speciali indulto (*can.* 680).

X. **Transitus et dimissiones.** — Praeter proprias cujusque societatis constitutiones, circa transitum ad aliam societatem vel ad aliquam religionem aut circa sodalium exitum a societate etiam juris pontificii, serventur praescripta can. 632-635, 645 (vide *nn.* 916-919, 927); et circa eorum dimissionem, praescripta can. 646-672 (*can.* 681). Vide *nn.* 929-948.

PARS III

De laicis

Postquam in parte I hujus Libri II Codex egit de clericis; de religiosis in altera; in hac tertia, quae postrema est, de laicis agit, servato, ut est perspicuum, ordine dignitatis.

951. — Haec vox *laici* christianos omnes comprehendit, qui neque tonsuram clericalem susceperunt (vel si susceperunt, ad statum laicalem reducti sunt), neque ad statum religiosum pertinent neque ad eas societates quae sine votis in communi vivunt.

952. **Jura laicorum**. — Laici jus habent recipiendi a clero, ad normam ecclesiasticae disciplinae, spiritualia bona et potissimum adjumenta ad salutem necessaria (*can.* 682).

Nullibi tam apparet manifeste quam in Ecclesia catholica subditos non esse ad Superiores, sed contra, Superiores ad subditos. Non enim sacerdotes tantum, ii praesertim qui curam gerunt animarum, debent esse et sunt diu noctuque praesto ad auxilia spiritualia iis praestanda qui ea sibi velint comparata, maxime aegrotis, etiam cum persaepe gravissimae difficultates superandae sint, maxima pericula subeunda, in summa inopia et penuria vivendum, innumerabilia ludibria perpetienda, postquam juventutis florem in longis studiis et difficilibus traduxerunt patrimoniumque, saepe non amplum illud quidem, in iis consumpserunt; verum etiam Episcopi, provectae frequenter devexaeque aetatis viri, corpore imbecilli, infirma etiam valetudine utentes, per se ipsi dioecesim peragrare coguntur ejusque loca et regiones adire, ad fidelium salutem commodumque totis viribus procurandum, ad eos consolandos, ipsisque in egestate opem ferendam, denique ad Confirmationis sacramentum administrandum, sic intuentes amplexatique praeclaram illam pulcherrimamque, eamdemque aliquando desideratam, speciem sive ideam sanctitatis, quam Christus Dominus eorum oculis proposuit, cum eos ita est allocutus: «Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis», quamque praeclarissimis exemplis nobis omnibus ostendit in eaque exercenda versatus est.

953. **Habitus clericalis laicis prohibitus**. — Non licet laicis habitum clericalem deferre (*can.* 683). Excipiuntur: *a*) Seminario-

rum alumni aliique adspirantes ad sacros ordines de quibus in can. 972, § 2; *b*) laici, servitio templi legitime addicti (v. gr. aeditui, cantores, acolythi, etc.), dum intra idem templum sunt aut extra ipsum in aliquo ministerio ecclesiastico partem habent. (*Ibid.*).

TITULUS XVIII

De fidelium associationibus in genere

CAPUT I

PRINCIPIA GENERALIA

954. I. **Ecclesiae finis in associationibus instituendis.**—Praeter instituta seu congregationes quae strictius religiosae vocantur, de quibus nuper dictum est, Ecclesia etiam pro fidelibus saecularibus associationes instituit, ut inter illos, juxta modum ipsorum statui acommodatum, nunc christianae vitae perfectio, nunc exercitium quorumdam pietatis operum, nunc publici cultus incrementum promoveatur (*can.* 685).

II. **Quasnam agnoscat Ecclesia.** — Nullam autem associationem Ecclesia ut talem agnoscit, quae vel ab ipsa *erecta*, vel saltem ab ipsa *approbata* non sit (*can.* 686, § 1).

III. **Notio.** — Associationes igitur hujusmodi sunt congregationes fidelium, praesertim saecularium, a Superiore ecclesiastico competente canonice erectae (aut saltem approbatae) et gubernatae, sive ad perfectiorem vitam christianam per specialia bona opera, sive ad cultum divinum, sive ad caritatem in proximum promovendam (*can.* 685). *Wernz*, Jus Decretal., *vol.* 3, *n.* 704; *Appeltern*, Compend. praelect. jur. regularis, *n.* 765 (Tornaci, 1903); *Ferreres*, Las Cofradías, etc., *n.* 2.

Solent hujusmodi associationes, quia ab ecclesiastico Superiore institutae sunt, et ad finem religiosum, *ecclesiasticae* vocari; sicut contra, quaedam aliae associationes, collegia vel fraternitates, etc., quia ad *fines humanos* praecipue institutae, et a potestate *civili* approbatae sunt, vocantur *associationes laicales,* seu *laicorum* (*confraternitates laicales*); quod tamen ipsum nomen interdum praecedentibus applicatur, ad significandum, socios earum maxima ex parte laicos esse et non ecclesiasticos. *Ferreres,* l. c., *n.* 3.

IV. **Quaenam earum sint personae juridicae.** — Hujusmodi associationes tunc solum personae juridicae seu moralis rationem habent, cum formale decretum *erectionis* a legitimo Superiore ec-

clesiastico obtinuerunt (*can.* 687), earum *approbatione* vel *commendatione* non sufficiente (*can.* 100).

V. Hortatur Ecclesia ut fideles sua dent nomina associationibus ab ipsa Ecclesia fundatis aut saltem commendatis (*can.* 684).

Ratio est, quia hujusmodi associationes spiritum christianum roborare, conatum hominum privatorum efficaciorem ad bonum individuale et sociale reddere, et vitam quamdam religiosam (quatenus id fieri potest et convenit) natae sunt instituere inter personas quarum vita et status, vitae et statui religiosorum stricte aequari non potest.

Sicut autem et ipsi Ordines et Congregationes religiosae diversis notis insigniuntur juxta diversas aetates quibus ortae sunt et varias difficultates quae ab Ecclesia eo tempore superandae fuerunt; ita in his associationibus diversitas adest; et quemadmodum temporibus nostris Instituta religiosa mirifice multiplicata sunt, quod in ornatum Ecclesiae, mundi sanctificationem et exercitium multiplicium operum caritatis ubique propagatorum cedit; sic etiam mira et magna diversitas est associationum saecularium, quae Ecclesiae et Institutorum religiosorum actionem mirandum in modum juvant, sodales suos sanctificant, eoque saepius influxum suum protendunt, quo sacerdotis aut religiosi actio pertingere nequit. Cfr. *Ferreres,* Las cofradías, *pag.* VII.

VI. Ob contrariam vero causam, Ecclesia fideles hortatur ut ab associationibus caveant *secretis*, damnatis, seditiosis, suspectis, aut quae se a legitima Ecclesiae vigilantia subducere studeant (*can.* 684).

VII. **Associationis titulus.** — Associationis titulus seu nomen non id assumendum est quod levitatem aut absonam novitatem sapiat, vel speciem devotionis a Sede Apostolica non probatam exprimat (*can.* 688), sed quod ex attributis Dei, aut mysteriis religionis, aut festis Domini vel sanctorum, aut ex ipsius associationis pio fine derivetur.

CAPUT II

DE ASSOCIATIONUM ERECTIONE

ARTICULUS I

ERECTIO AB ORDINARIO FACTA

955. **Cui erectio competat.** — Associationum erectio seu institutio in singulis dioecesibus, praeter Papam, spectat ad Ordinarium. Excipiuntur illae quarum erectio, ex privilegio apostolico, aliis reservatae sunt (*can.* 686, § 2). Vide *n.* 950 *seq.*

Nomine Ordinarii hic non veniunt Vicarius Generalis nec Vicarius Capitularis; ideoque nec associationes ipsi erigere possunt, nec consensum dare ut eae erigantur aut aggregentur (*Ibid.*, § 4).

956. **Indulgentiae.** — *a*) Associationibus a se institutis, Ordinarii nonnisi indulgentias partiales quae ex jure ipsis assignatae sunt, concedere possunt, nimirum, 50 aut 100 dies, prout Episcopi aut Archiepiscopi fuerint. Cardinales ducentos dies indulgentiae concedere possunt, non solum in ecclesiis sui tituli, sed etiam in propriis dioecesibus, si eas habent (Pius X, Decretum 28 aug. 1903).

b) Generatim, rogata Sancta Sedes, omnibus confraternitatibus et congregationibus canonice erectis sequentes indulgentias concedere solet (cfr. Rescripta Authentica S. C. Indulgent., *n.* 74, 110, 113):

Indulgentiam plenariam: a) die receptionis; *b*) die festo praecipuo confraternitatis; *c*) in articulo mortis. *Indulgentiam partialem: a*) *septem annorum totidemque quadragenarum* in quatuor praecipuis festis quae a Praelato designandae sunt; *b*) *sexaginta dierum* pro singulis bonis operibus quae a consodalibus quovis die peragantur. *Konings-Putzer,* Comm. in fac. Apost. *n.* 185 (Neo-Eboraci, 1898); *Appeltern,* l. c., *n.* 567.

c) Frequenter Praelati a Sancta Sede Apostolica privilegium impetrant (quinquennale ut plurimum), quo ipsis indulgetur, ut associationes quas sub quocumque titulo ipsi in suis dioecesibus erexerint, prorsus iisdem indulgentiis et gratiis spiritualibus gaudeant, quae archiconfraternitatibus ejusdem tituli Romae exstantibus competunt. *Ferreres,* l. c., *nn.* 10-12.

d) Sunt etiam associationes nonnullae quae, ipso facto institutionis a Praelato, sine privilegii aut aggregationis necessitate, omnibus indulgentiis gaudent quae a Romanis Pontificibus archiconfraternitatibus ejusdem nominis Romae institutis concessae sunt. Exemplo sint Confraternitates SSmi. Sacramenti, Doctrinae Christianae (1) et aliae. *Appeltern,* l. c., *n.* 569; *Ferreres,* l. c., *n.* 13.

Archiconfraternitates vero, seu primarias Congregationes instituere, Romano Pontifici reservatum est (*Tachy,* l. c., *n.* 105; *Appeltern, n.* 566, nota); *Ferreres,* l. c., *n.* 9.

ARTICULUS II

ERECTIONES RELIGIOSIS ORDINIBUS RESERVATAE

957. **Quaenam eae sint.** — Ex privilegio apostolico solet Ordinibus religiosis earum associationum erectio reservari, quae in *ipsis Ordinibus* ortae sunt (S. C. de Indulg., 16 jul. 1887). Cfr. *Ferreres,* l. c., *n.* 9.

---

(1) Ut hujusmodi confraternitates Doctrinae Christianae indulgentiis archiconfraternitati Romanae concessis gaudeant, sufficit et requiritur ut una ex dictis confraternitatibus in dioecesi exstantibus ad Romanam aggregata sit: hujusque unica aggregatio pro reliquis omnibus in tota dioecesi a Praelato fundatis vel fundandis valet. Confraternitates autem Sacramenti nullius generis aggregatione indigent. Vide *Decr. auth., nn.* 13, 35, 192, 308.

958. **Associationes Rosarii PP. Sti. Dominici exclusive reservantur.** — *a*) Magistro Generali Ordinis Sancti Dominici tantummodo, vel ei qui vices ejus legitime gesserit, reservatur valida erectio confraternitatum seu piarum unionum Sanctissimi Rosarii.

b) Si quis alius eas erexerit, nisi de ipsius facultate, erectio *invalida est*, et confraternitates hujusmodi ne illis quidem indulgentiis fruentur quas omnibus confraternitatibus canonice erectis Sancta Sedes concedere solet (C. S. Off., 8 maji 1901). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 1 *seq.*, 14-30.

959. **Aliorum Ordinum privilegium in erigendis congregationibus.** — *a*) *Simili* privilegio fruuntur Generales Ordinis *Trinitatis*, *Carmelitarum* et *Servorum B. M. V.*, pro confraternitatibus scil. *SSmae. Trinitatis*, *B. M. V. de Carmelo* et *Septem Dolorum*. *Ferreres*, l. c., *n.* 31.

b) Itaque, nulla et irrita erit talium confraternitatum erectio ab Ordinario facta sine proprii Generalis interventu: idque etiamsi Ordinarius potestate gaudeat a Romano Pontifice collata generatim ad quascumque confraternitates erigendas quae a Sancta Sede fuerint approbatae; nisi in hac facultate mentio et expressa derogatio privilegii supradictis Generalibus concessi contineatur. *Ferreres*, l. c., *n.* 32.

c) Potest tamen Congregatio de Propaganda Fide facultatem Ordinariis regionum in quibus ejus jurisdictio viget, concedere pro his confraternitatibus erigendis, et sic erectae sodalitates iisdem indulgentiis atque institutae interveniente respectivo Generali fruentur. *Ferreres*, l. c., *n.* 34. Id tamen respectu confraternitatis Rosarii facere nequit.

960. **Aliorum Ordinum privilegia similia.** — Huic haud absimile est privilegium *a*) Generalis *Societatis Jesu* pro Congregationibus *Beatissimae Virginis Mariae* et *Bonae Mortis*; *b*) item illud *Clericorum Regularium* infirmis ministrantium pro Congreg. *Beatissimae Virginis de Salute*, *Sancti Joseph* et *S. Camilli de Lellis*; *c*) Patrum *SS. Redemptoris*, pro Congreg. *Smae. Virginis de Perpetuo Succursu* et *Sancti Alphonsi*; et Procuratoris Generalis ejusdem Ordinis SS. Redemptoris, pro Congregatione *Assumptionis B. Virginis* ad *animarum Purgatorii* suffragium.

Minus tamen patent haec privilegia: possunt enim hujusmodi Congregationes auctoritate ordinaria Praelatorum canonice institui, etsi tunc indulgentiis peculiaribus eis concessis a Romano Pontifice non fruentur, nisi propriae Congregationi Primariae aggregentur, quod non aliter fieri potest quam per litteras patentes praedictorum Generalium aut Procuratoris. *Ferreres*, l. c., *nn.* 36, 37.

ARTICULUS III

CONDITIONES QUIBUS REGULARES IN ERIGENDIS ASSOCIATIONIBUS PROPRIIS SUBJICIUNTUR

961. **Ordinarii consensus.**—*a*) Regulares, ut erigere has Congregationes possint (eademque est ratio de aggregatione, de qua postea), etiam in ecclesiis exemptis, indigent ad validitatem consensu Ordinarii, *in scriptis* expresso litteris testimonialibus (*can.* 686, § 3).

b) Vicarius Generalis (nisi ex mandato speciali), itemque Vicarius Capitularis, hunc consensum praebere nequeunt, ut jam antea dictum est (*can.* 686, § 4).

c) Consensum ipsum nequit Ordinarius sine justa causa denegare.

d) Praedictus consensus et litterae testimoniales *erectionem* aut aggregationem *praecedere debent*, et scripto a diplomate erectionis vel aggregationis separato dentur oportet; nec sufficit si ad Ordinarium diploma dictum mittatur, et ipse in eodem suam approbationem et consensum scribat; quod tenet licet diploma sit mera facultas erigendi vel aggregandi, nec sit testimonium rei jam factae. *Ferreres*, l. c., *n.* 45.

e) Nec potest Superior regularis ad quem erectio spectat, diploma erectionis aut aggregationis sigillo ac subscriptione munire, relicto vacuo spatio pro nomine loci aut pro data qua Congregationis erectio aut aggregatio facienda est, aut pro nomine directoris aut sacerdotis cui diplomatis exsequutio commissa est, etc. Tunc enim erectio aut aggregatio irrita et nulla foret (S. C. Indulg., 3 dec. 1892; 20 maji 1896). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 46.

N. B. Erectionis litterae a regularibus *gratuito* concedendae sunt, sola excepta taxa pro expensis necessariis (*can.* 686, § 5).

962. **Quando is necessarius non est.** — Ex privilegio apostolico, si regulares congregationem aut confraternitatem *propriam in propria ecclesia* erigant (id est, congregationem Ordini in cujus ecclesia fit erectio reservatam. Cfr. *Beringer*, l. c., *n.* 48), non indigent consensu Episcopi, nisi ubi agitur de confraternitate aut congregatione stricte dicta, quae nempe ad modum corporis organici constituantur: nam pro ceteris, sufficit consensus pro fundatione conventus Ordinis a Praelato praestitus (*can.* 686, § 3). S. C. de Indulg., 25 aug. 1897, ad 2. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 52.

CAPUT III

ASSOCIATIONUM STATUTA

963. — I. Quaelibet associatio sua statuta habere debet (*can.* 689, § 1). Statuta scribere ad associationem pertinet.

II. Statutorum examen et approbatio, ad Ordinarium loci (nisi a Sancta Sede probata fuerint) spectat; qui ea quocumque tempore corrigere potest, si gravis causa occurrat (*can.* 689, § 2).

Potest itaque addere vel tollere id quod opportunum judicaverit. Cum autem congregationis statuta ad majus bonum spirituale fidelium ordinata sint, et adjuncta temporis, personarum et locorum magnopere mutari, ideoque diversa media requirere possint, ad Episcopum spectat, inspectis adjunctis, in singulis casibus decidere mutandane sint statuta necne; quin etiam postquam ea ipsemet approbaverit, adhuc eadem ab ipso corrigi possunt (S. C. C., *in Valentina,* 29 maji 1683).

III. Non tamen in statutis eos articulos mutare potest qui opera praescribunt quibus indulgentiae a R. Pontifice annexae fuerunt (S. C. Indulg., 22 aug. 1842; 12 maji 1843: *D. auth. n.* 308, ad II; 230, ad I): hi enim ut essentiales habendi sunt, et eorum mutatio socios lucro spirituali fraudaret. Nec approbationem statutis juri communi consonis negare potest, neque *iis quae* privilegia legitime a confraternitate acquisita continent (S. C. C., 18 mart. 1882: *Il Monitore, vol.* 3, *part.* 1, *pag.* 49).

IV. Si Praelatus sine justa causa approbationem negaverit, confraternitati integrum manet jus ad Sanctam Sedem recurrendi (1).

V. Postquam statuta probata sunt, ea jus speciale quo associatio regenda est constituunt, et ad ea recurrere debent etiam ipsa tribunalia ad dubia aut disceptationes quae exoriri possunt. Confraternitas autem, sine novo Episcopi consensu et approbatione, nihil statutis jam approbatis detrahere aut addere potest (S. C. C., 20 maji 1882). Cfr. *Ferreres,* l. c., *nn.* 57-59.

CAPUT IV

EPISCOPUS QUATENUS ASSOCIATIONUM VISITATOR EST

964. — I. Omnes associationes, etiam ab Apostolica Sede erectae (nisi speciale obstet privilegium) jurisdictioni subsunt et vigi-

(1) S. C. C. 20 maji 1882: *Acta S. Sedis, vol.* 15, *pag.* 186-191; S. C. Indulg., 12 maji 1843: *D. auth., n.* 320. *Tachy, n.* 151; *Wernz,* l. c., *n.* 708.

lantiae Ordinarii loci, qui ad normas sacrorum canonum, eas invisendi jus habet et munus (*can.* 690, § 1).

II. Attamen associationes a regularibus exemptis in propriis ecclesiis, vi privilegii apostolici, institutas, non potest Ordinarius visitare quod ad regimen spirituale seu disciplinam internam attinet (*Ibid.*, § 2), sed visitatio solum bona externa comprehendere potest, scil. libros de acceptis et expensis, item capellam quoad administrationem et ceteras obligationes personales quas confraternitas et confratres habeant, ut inde appareat utrum pecuniae et acceptae a fidelibus eleemosynae rite in fines impendantur, ad quos ex statutis destinatae sunt; v. gr., in ornatum et conservationem capellae, in cultus augmentum, in promovenda devotione, etc. *Ferreres*, l. c., *n.* 206.

III. Visitatio autem omnino omittenda est, si confraternitas in ecclesia regularium instituta prorsus bonis careat, nec eleemosynas admittat, nec quidquam administrationi suae commissum habeat. *Ferreres*, l. c., *n.* 211.

CAPUT V

DE ASSOCIATIONUM BONIS

965. — I. Associationes legitime erectae, utpote personae juridicae (*n.* 947, IV), **jus** habent (nisi aliter expresse statutum sit) **acquirendi**, **possidendi** et **administrandi** bona temporalia, idque sub potestate Ordinarii loci, cui rationem suae administrationis quotannis saltem reddere tenentur; at sine dependentia a parocho, nisi aliud Ordinarius statuat (*can.* 691, § 1). *Ferreres*, l. c., *n.* 179 *seq.*, 187.

II. Possunt juxta sua statuta donationes accipere, easque ad pios usus associationis applicare, salva semper offerentium voluntate (*Ibid.*, § 2).

a) *Administratio*, intra fines quidem a statutis assignatos, ad congregationem vel confraternitatem pertinet; nec Episcopus eam administratione privare, nisi ob malum usum, nec bona arbitrio suo impendere potest. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 185 *seq.*

b) Quoniam autem bona hujusmodi ecclesiastica sunt, ipsa et eorum administratores regulis generalibus circa administrationem, alienationem, etc., bonorum ecclesiasticorum subjiciuntur. *Ferreres*, l. c., *n.* 188 *seq.*

c) Ad ordinarias faciendas expensas administratores nulla speciali licentia indigent; ad extraordinarias vero, statuta vel Episcopus decernere possunt ut in singulis casibus specialis licentia a confraternitate vel ab Ordinario impetranda sit (S. C. C. *in Assi-*

sien., 21 januarii 1786, ad 3 (Thesaur. Res. S. C. C., *vol.* 55, *pag.* 2). *Ferreres*, l. c., *n.* 198.

III. *a*) Nulli associationi **eleemosynas** colligere licet, nisi id aut statuta permittant, aut necessitas postulet, et loci Ordinarii consensus accedat, ac servetur forma ab eodem praescripta (*can.* 691, § 3). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 199 *seq.*

b) Ad eleemosynas extra dioecesim colligendas, licentia utriusque Ordinarii, scripto data, requiritur (*Ibid.*, § 4).

c) De fideli applicatione, tum oblationum, tum eleemosynarum, associatio Ordinario loci rationem reddere tenetur (*Ibid.*, § 5).

CAPUT VI

DE ADMISSIONE IN ASSOCIATIONES

966. — I. Ut associationis juribus, privilegiis, indulgentiis, aliisque gratiis spiritualibus quis fruatur, necesse est et sufficit ut in ea valide receptus sit juxta propria associationis statuta, nec ab ea legitime sit expulsus (*can.* 692). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 129, et *Razón y Fe*, *vol.* 39, *n.* 489 *seq.*

II. Receptio facienda est ad normam juris et peculiarium statutorum (*can.* 694, § 1). Jus admittendi ad eum spectat qui pro hoc munere legitimam potestatem acceperit. Tale autem jus haud semper ad directorem spectat, neque ad solum directorem. *Ferreres*, l. c., *n.* 119.

a) Associationes nonnullae sunt, praecipue inter eas quae ad modum organici corporis constituuntur, in quibus facultas admittendi vi juris ad praesidem seu praefectum pertinet, qui laicus esse solet aut potest, etiamsi saepe pro admissione a directore seu cappellano congregationis juvetur (*Tachy*, l. c., *n.* 195). In illis in quibus ad admissionem scapularis, nodosi funiculi, etc., benedictio et impositio necessaria est, ille admittendi facultatem habere dicendus est, qui rite potestatem ad praedictas benedictiones acceperit. *Ferreres*, l. c., *nn.* 120, 121.

b) In ceteris associationibus jus admittendi ad directorem pertinet (*De Luca*, Instit., De rebus, *n.* 381), si id, ut communiter fit (*Vermeersch*, *n.* 551), per Praelatum ei committitur, vel per statuta a Praelato approbata. Jus ipsum admittendi sine peculiari facultate delegari nequit. *Ferreres*, l. c., *nn.* 122, 123.

c) Qui ad confraternitatem admitti potest et jus habet alios admittendi, potest etiam seipsum admittere (S. C. Indulg., 16 jul. 1887, ad VII). *Ferreres*, l. c., *n.* 124.

d) Ut praevia conditio admissioni anteponenda, requiritur in confraternitatibus et congregationibus quae ad modum corporis organici constitutae sunt, ut candidatus a maxima parte confratrum vel congregatorum admit-

tatur et non repudietur. Cfr. S. C. C., 15 mart. 1889 (*Acta S. Sedis, vol.* 22, *pag.* 104). In his casibus Praelatus admittendos imponere aut inscribere, vel admissos delere proprio jure non potest; eos proponere dumtaxat, et associationis vota de ipsis exquirere valet (*Tachy, n.* 193). Cfr. *Ferreres,* l. c., *n.* 132.

III. Eadem persona pluribus associationibus adscribi potest (*can.* 693, § 2), manet tamen prohibitio ne in duplicem tertium Ordinem quis simul adscriptus sit.

IV. Possunt pariter in associationes admitti (quamvis non in tertium aliquem Ordinem) religiosi utriusque sexus, nisi de iis associationibus agatur quarum leges, Superiorum judicio, cum observantia regulae aut constitutionum haud facile conciliari possint (*can.* 693, § 4).

V. Ut de receptione constet, inscriptio in regestis seu Libro proprio associationis fieri omnino debet.— Imo haec inscriptio, si associatio in personam moralem erecta fuerit, est ad *validitatem* necessaria (*can.* 694, § 2).

De forma et actibus quibus receptio facienda est, cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 133-144.

VI. Occasione admissionis nihil exigi potest, praeter id quod in statutis legitime approbatis designatur, aut, propter specialia adjuncta, ab Ordinario in favorem associationis permissum sit (*can.* 695).

967. **Quinam admitti nequeant**. — I. 1.° *Valide* recipi nequeunt in associationibus, ne ut honorarii quidem socii: qui catholici *non* sunt, item, damnatae alicui sectae adscripti, censura notorie irretiti, et in genere, publici peccatores (*can.* 693, § 1).

2.° *Mortui* (S. C. S. Off. 12 jul. 1703, 6 dec. 1876), etiamsi id tantum fiat ut jus participationis acquirant suffragiorum et bonorum operum, quo fruuntur ii qui, dum vivunt, associationem ingresi sunt (S. C. Indulg., 14 aug. 1889), vel ut confratrum orationibus commendari possint (10 aug. 1899), item, etiamsi admissio non ad confraternitatem aut congregationem, sed ad piam unionem seu opus pium facienda sit (S. C. Indulg., 25 aug. 1897 ap. *Bucceroni*, Supplementum ad Bibl. *Ferraris*, *pag.* 732). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 145 *seq.*

3.° Nec *licite* admitti possunt absentes in associationem ad modum organici corporis constitutam (*can.* 693, § 3). Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 149-153.

II. Qui praesentes adsunt nonnisi scientes et volentes adscribi possunt (*can.* 693, § 3).

Ex privilegio tamen speciali a Ben. XIV concesso (Breve *Non est equidem*, 25 maji 1754), reges et principes, eorumque consanguinei usque ad secundum gradum inclusive, possunt, *etiam absentes*, in confraternitatem B. M. V. de Guadalupe, Mexicani Status Patronae, admitti (Cfr. *D. auth.* S. C. Indulg., *n.* 226).

Si associatio universalis sit, non censetur absens is qui ubilibet ad habentem potestatem in ea associatione recipiendi recurrit, etsi in loco ubi conveniunt associatio erecta non sit, et neuter illorum ibi domicilio fruatur (S. C. Indulg., 26 nov. 1880: *D. auth., n.* 453). Attamen, haec saltem praesentia omnino necessaria est quoties receptio impositionem habitus, cinguli, scapularis, etc., necessario etiam includit.

In associationibus in quibus hae ceremoniae non requiruntur, si etiam admissio fieri potest per zelatores et zelatrices, poterunt hi multiplicari, et quidem in diversis locis, ideoque facile erit cuivis ut praesens admitti. Admissio per epistolam petita communiter non sufficit, ni privilegium adsit, quod associationibus concedi solet in sanctuariis magni nominis erectis, quo frequentes peregrini concurrunt; itemque quibusdam piis unionibus, piis operibus, etc., ut sunt Apostolatus Orationis, Opus Sanctae Infantiae, Conferentiae S. Vincentii a Paulo, etc., in quibus etiam admissio per alium postulari potest. Vide cit. decr. S. C. Indulg. 26 nov. 1880.

Ut quis in associatione non universali admittatur, uterque, scil. admittens et admissus, in ea regione praesentes sint oportet, ad quam associatio protenditur. *Ferreres,* l. c., *nn.* 150-153.

CAPUT VII

DE ASSOCIATORUM EXPULSIONE

968. — I. Associatio jus habet expellendi, sed solum *a*) *justa* de *causa* et *b*) ad normam statutorum (*can.* 696, § 1).

II. Qui a catholica religione deficiunt, vel damnatae sectae nomen dant, aut in censuram notorie incurrunt, vel fiunt peccatores publici, ii juxta formam statutorum expungendi sunt, si moniti non emendentur (*can.* 696, § 2).

Si associatio ad modum corporis organici constituitur, communiter expulsio in generalibus comitiis decernenda est. In ceteris associationibus statuta ipsa declarant cui jus dimittendi competat.

In utrisque associationibus ordo procedendi ex jure praescriptus servandus est, nec generatim expulsio decernenda, nisi post opportunas monitiones sodali factas, ut monitus emendetur et expulsionem caveat (Vide folium in causa *Balneoregien.,* 14 jan. 1769. Cfr. *Pallottini,* l. c., § 1, *n.* 22)..

III. *Expulsionis causae* in statutis enumerari solent; eaeque ad dimissionem sufficiunt; verum haud raro causae unicae non sunt, et expulsio valida esse potest si justa adsit causa, licet haec a statutis non nominetur (*can.* 696, § 3).

IV. Justa de causa potest etiam *Episcopus* e quacumque associatione expellere, itemque *Superior religiosus* ubi agitur de associationibus a religiosis privilegio apostolico fundatis (*can.* 696, § 3). Vide S. C. C., *in Ferrarien.,* 14 sept. 1782; *Pallottini,* l. c., *n.* 23. Potiore autem jure expulsionem decernere possunt Sacrae Congregationes Romanae, quae nomine Papae operantur.

V. Contra expulsionem sine justa causa, etiam per Episcopum

decretam, patet recursus ad Superioris auctoritatem (*can.* 696, § 2). Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 159-161.

VI. Dum ante potestatem Superioris de validitate aut invaliditate agitur, associatus suis juribus frui pergit, ideoque actis interesse, votum emittere, etc., valide potest.

CAPUT VIII

DE ASSOCIATORUM COETIBUS

969.—I. Associationes legitime erectae jus habent, ad normam statutorum et sacrorum canonum, celebrandi comitia, edendi peculiares normas quae ipsum sodalitium respiciant, eligendi administratores bonorum, officiales et ministros, firmo praescripto can. 715, § 1 (*can.* 697, § 1). Vide infra, *n.* 985.

II. In comitiorum convocatione et in electionibus quae in eis peragendae sunt, standum est juri communi can. 161-182 (vide *nn.* 322-349) et statutis quae ipsi non contradicant (*can.* 697, § 2). Vide infra *n.* 977.

CAPUT IX

DE ASSOCIATIONIS MODERATORE ET CAPPELLANO

970. I. **Nominatio.** — *a*) Nisi privilegium apostolicum aliud expresse caveat, nominatio moderatoris et cappellani pertinet ad loci Ordinarium, tum in associationibus ab ipso vel a Sancta Sede erectis aut approbatis, tum in erectis vi privilegii apostolici a regularibus extra eorum proprias ecclesias (*can.* 698, § 1).

b) In erectis vero in propriis ecclesiis, nominatio ad Superiorem religiosum libere pertinet, nisi clericum saecularem nominare velit; ad hoc enim Ordinarii loci consensu indiget (*Ibid.*).

II. **Ejus facultates.** — Tum director, tum cappellanus, dum munus obtinent, habitum seu insignia, scapularia, etc., associationis benedicere eisque qui adscribendi sunt imponere possunt. Quod ad conciones et adhortationes attinet, standum est iis quae can. 1337-1342 praescribuntur, de quibus infra (*can.* 698, § 2).

III. **Remotio.** — Moderatorem et cappellanum revocare ex justa causa possunt qui illos nominaverunt eorumque successores vel Superiores (*Ibid.*, § 3). Idem potest esse moderator et cappellanus.

CAPUT X

DE ASSOCIATIONUM SUPPRESSIONE

971. **Jus eas supprimendi.** — I. Ob graves causas potest loci Ordinarius supprimere non solum associationem a se vel a decessoribus suis erectam, sed etiam associationem ex apostolico indulto a religiosis erectam de *consensu* Ordinarii loci (*can.* 699, § 1).

II. Associationi manet suum jus ad Sedem Apostolicam recurrendi, contra suppressionem cujus causam injustam aestimaverit (*Ibid.*) Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 357-359.

III. Associationes a Sede Apostolica erectae, ab ea solum supprimi possunt.

IV. *a*) Ex defectu confratrum associatio legitime erecta non extinguitur, nisi omnino deficiant confratres per centum annos aut eo pluris. Etsi unus tantum exstet, associatio omnia sua jura retinet, imo etiamsi nullus remanserit. *Wernz*, l. c., *vol.* 2, *n.* 770. *Ferreres*, l. c., *n.* 360.

b) Quamvis per viginti annos, ex. c., *omnes* associati defecerint, admitti possunt novi associati quin erectio denuo facienda sit. Eos autem vel Episcopus vel alius ab eo delegatus admittet (S. C. C. *in Aesina*, 21 maji 1803, apud *Pallottini*, l. c., *n.* 20).

c) Posset etiam parochus admissionem peragere, si munus directoris cum jure admittendi muneri paroeciali perpetuo annexum sit.

d) Associati hoc pacto admissi omnibus indulgentiis et juribus antiquorum fruentur, et confraternitas omnibus suis privilegiis gaudebit.

e) Ratio autem est, quia associationes, postquam canonice erectae sunt, personalitate juridica corporis ecclesiastici gaudent, quae a nullo ex associatis pendet.

f) Eadem de causa non dissolvitur associatio, quamvis omnes associati eam dissolvere intendant et ut suppressam habeant, ita ut omnes et singuli ab ea recedant. Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 361-365.

972. **Bona supressae associationis.**—I. Suppressa autem associatione, ejus bona non pertinent ad associatos, sed a potestate ecclesiastica competenti in alium pium finem applicanda sunt, v. gr., in ecclesiam paroecialem in qua associatio erecta erat, aut in erectionem alterius associationis similis, in fundationem beneficii ecclesiastici, etc., ita tamen ut onera quibus associatio gravata erat, v. gr., celebrationis missarum, dotium distributionis, in tuto collocanda sint, et a persona juridica cui bona extinctae so-

cietatis applicantur, assumenda. Cfr. *Tachy*, l. c., *n.* 420; *Wernz*, l. c., *vol.* 3, *n.* 139.

II. Potestas ad applicationem bonorum faciendam eadem est quae associationis suppressionem legitime decrevit et exsecuta est. Cfr. *Wernz*, l. c., *vol.* 2, *n.* 281; *Ferreres*, l. c., *nn.* 369, 370.

TITULUS XIX

De fidelium associationibus in specie

973. **Divisio.** — Triplex distinguitur in Ecclesia associationum species: *tertii Ordines saeculares*, *confraternitates* et *piae uniones* (*can.* 700).

974. **Associationum praecedentia.** — I. Inter pias laicorum associationes, ordo praecedentiae est qui sequitur (salvis iis quae statim dicemus ex can. 106, 5.° et 6.°).

1.° Tertii Ordines. — 2.° Archiconfraternitates. — 3.° Confraternitates. — 4.° Piae uniones primariae. — 5.° Aliae piae uniones (*can.* 701, § 1).

Tertii Ordines saeculares praecedentiae jus habent supra omnes confraternitates et congregationes; cum enim veri Ordines sint, superiores confraternitatibus sunt ex ipso jure (Cfr. S. C. Ep. et Reg., 20 sept. 1748). *Ferreres*, l. c., *nn.* 417, 418 et 155 *seq.*

II. Confraternitas *SSmi. Sacramenti* praecedit omnibus aliis confraternitatibus et archiconfraternitatibus; attamen id solum viget in *processione in qua defertur SSmum. Sacramentum* (*can.* 701, § 2). *Ferreres*, l. c., *n.* 430.

Quo item casu, ad eosdem SSmi. Sacramenti confratres spectat baldachini hastas, et etiam lucernas, quae hinc et hinc SSmum. comitantur, deferre. Idque, licet processio in festo titulari alterius confraternitatis celebretur, et mos antea invaluerit confratribus illius alterius confraternitatis hastas baldachini et lucernas dictas tradere. (S. R. C., 11 nov. 1904); *Ferreres*, l. c., *nn.* 431, 432.

III. Tum tertii Ordines, tum archiconfraternitates, confraternitates, etc., ea praecedentia gaudent cujus in possessione sunt; quod si de possessione non constet, praecedentiae ordo respondet ordini antiquitatis in loco ubi quaestio oritur; ad quem titulum communiter reducuntur ceteri omnes (*can.* 106, 5.°, 6.°). Cfr. *Ferreres*, l. c., 419 *seq.*

a) Ad confraternitatum antiquitatem computandam, attenditur institutio canonica, non civilis. S. C. C. *in Baren.*, 25 maji 1901: *Thesaur. Resol.* S. C. C., *vol.* 160, *pag.* 481 *seq.*

b) Si postquam confraternitas canonice extincta est, iterum fundetur, ejus antiquitas a die novae fundationis, non vero a die primae computabitur. Si tamen anticanonice suppressa fuerit, v. gr. a potestate civili, prioris suae fundationis antiquitatem conservat. Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 421-423.

c) Archiconfraternitatis antiquitas a die expeditionis Brevis pontificii quo ad ordinem archiconfraternitatis erecta est, incipit computari (*Decr. auth.* S. R. C., *n.* 5642). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 429.

d) Si confraternitas in tertium Ordinem convertatur, antiquitas in ea computabitur a die erectionis in tertium Ordinem (S. R. C., 1.° mart. 1894: *Decr. auth. n.* 3819, ad II). *Ferreres*, l. c., *n.* 434.

IV. Associationes omnes tunc solummodo jus praecedentiae habent, cum collegialiter incedunt, sub propria cruce vel vexillo, et cum habitu seu insignibus associationis (*can.* 701, § 3).

975. **Controversiae de praecedentia.** — *a*) Cum in aliqua processione controversiae de praecedentia inter confraternitates vel congregationes exsurgunt, earum decisio ad Ordinarium spectat (Conc. Trid., *sess.* 25, *c.* 13, *de Regularibus*), eaque alterutro ex his modis datur: scil. imposita obligatione vel incedendi ordine qui ipsis praescribitur, vel recedendi a processione: salvis in utroque casu juribus cujusque associationis, ita ut jam tunc appellationem pro futuro tempore interponere possint (*Caerem. Episc., l.* 2, *c.* 33, *n.* 4).

b) Appellationes autem interponendae sunt coram ecclesiasticis tribunalibus, tribunalia enim laica incompetentia sunt in causa spirituali, qualis praesens est. *Lara*, l. c., *nn.* 29-31; *Basso*, l. c., *n.* 4; *Francés* (Miguel), l. c. *cap.* 25, *nn.* 90, 370 *seq.* Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 449.

CAPUT I

DE TERTIARIIS SAECULARIBUS

976. **Notio.** — I. Tertiarii saeculares, quocumque nomine designentur, sunt qui in saeculo sub directione alicujus Ordinis regularis, secundum ejusdem spiritum, ad christianam perfectionem pervenire nituntur, modo saeculari vitae consentaneo, secundum regulas ab Apostolica Sede pro ipsis approbatas (*can.* 702, § 1).

II. Si tertius Ordo in plures associationes divisus est, quaelibet earum legitime erecta vocatur *sodalitas tertiariorum* (*hermandad de terciarios*) (*Ibid.*, § 2).

Tertii Ordines saeculares non dicuntur confraternitates; sunt enim illis superiores, et locum tenent intermedium inter congregationes religiosas votorum simplicium et confraternitates. A congregationibus distinguuntur, quia tribus votis paupertatis, castitatis et obedientiae carent; a confraternitatibus vero, quia regula gaudent a Papa probata, item novitiatu, professione et habitu proprio. Hinc est quod Summi Pontifices expresse docent eos non esse confraternitates, sed *veros Ordines*. Vide Ben. XIII, Const. *Paterna Sedis,* 10 dec. 1725. Cfr. *Ferreres,* l. c., *n.* 8.

977. **Principia.** — I. Sine privilegio apostolico, nulla religio potest sibi tertium Ordinem adjungere (*can.* 703, § 1).

II. Dato jam privilegio, Superiores religiosi possunt quidem personas particulares tertio Ordini adscribere, sed nequeunt sodalitatem tertiariorum valide erigere sine consensu Ordinarii loci, juxta dicta can. 686, § 3 (*Ibid.*, § 2).

III. Nec sodalitatibus a se erectis possunt concedere usum particularium vestium, in publicis sacris functionibus deferendarum, sine speciali ejusdem Ordinarii licentia (*Ibid.*, § 3).

IV. Tertii Ordines *saeculares* solummodo pro personis saecularibus instituti sunt, nec ad illos pertinere potest stricte dictus religiosus aut religiosa, neque ii qui veris congregationibus votorum simplicium adscripti sunt, etsi eae tantum ab Ordinario, non autem ab Apostolica Sede approbatae sint (*can.* 704, § 1).

Quod si saecularis tertiarius Ordinem regularem quemcumque vel congregationem religiosam ingrediatur, eo ipso ad tertium Ordinem saecularem pertinere cessat (S. C. Indulg., 16 jul. 1887; 31 jan. 1893).

V. Si tamen saecularis tertiarius congregationem religiosam votorum simplicium antea ingressus, ex ea ad saeculum postea solutus a votis redierit, iterum, sine nova admissione, tertiarius erit (*can.* 704, § 2). (S. C. Indulg., 7 aug. 1906: *Acta S. Sedis*, *vol.* 39, *pag.* 568).

Inter tertios Ordines *saeculares* enumerari possunt: Sancti Francisci, Sancti Dominici, B. V. de Carmelo, Eremitarum S. Augustini, SSmae. Trinitatis, Praemonstratensium, Minimorum, Servorum B. V. Mariae, etc. (1).

Tertii hujusmodi Ordines habent etiam proprium novitiatum, professionem, habitum, qui communiter scapulari et nodoso funiculo, vel corrigia aut cingulo, etc. constat. Utrumque autem interius infra communem vestem deferri potest. In his tertiis Ordinibus vota fieri non solent, excepto tertio Ordine Carmelitarum. *Ferreres,* l. c., *n.* 156.

978. VI. Nemo simul ad duplicem tertium Ordinem pertinere potest; licet tamen singulis tertiariis, justa de causa, ex alio ad alium Ordinem (facto iterum novitiatu, etc.), vel ex alia ad aliam sodalitatem ejusdem Ordinis transire (*can.* 705), et hoc ultimo casu non est opus novitiatu.

---

(1) *Buccer.*, Suppl. ad Bibl. *Ferraris,* v. Tertiarii; *Vermeersch,* De relig. inst., *vol.* I, *n.* 535. Cfr. *Tachy,* Les Tiers Ordres, *pag.* 11 *seq.*; *Ben. XIV,* Instit. 29, 105, *n.* 59 *seq.*

a) Sicut in primo religioso Ordine distinctio fit inter Ordinem ipsum et ejus Conventus, ita in tertio Ordine distinguendum est inter Ordinem et singulas sodalitates, per diversa loca et urbes sparsas. Potest quis ad tertium Ordinem pertinere, nulli ex his specialibus sodalitatibus adscriptus, v. gr., quia nulla earum adest in loco ubi ipse degit. Tamen, statim atque in oppido adsunt plures tertiarii, adest jam ibi sodalitas tertii Ordinis (14 jul. 1891). *Ferreres*, l. c., *n.* 156.

b) Tertii Ordinis *saecularis* S. Francisci novitiatus non interrumpitur licet quis proprium habitum non deferat (nempe cingulum et scapulare), quoties id ex oblivione, impossibilitate aut negligentia oriatur, *dummodo voluntas professionem faciendi in eo tertio Ordine ne retractetur*. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 158.

c) Tertius Ordo *saecularis* a primo suo Ordine semper pendet, aut saltem a suo Ordine tertio *regulari;* qui ex suo gremio *Visitatorem* tertii Ordinis saecularis designant (*Visitator regularis*): hic autem frater laicus esse nequit (cfr. Const. Leonis XIII *Misericors Dei Filius*, 29 maji 1883, Lex sod., *c.* 3, § 3). Praeterea, ex privilegio apostolico, cuivis speciali sodalitati praeficit Visitator sacerdotem saecularem aut regularem, cui ad praesidendum, ad benedictionem dandam cum indulgentia plenaria, etc., facultatem tribuit. *Ferreres*, l. c., *n.* 156.

VII. *Possunt* tertiarii collegialiter assistere processionibus, funeribus et aliis ecclesiasticis functionibus, non tamen id facere tenentur. Si assistunt, cum suis insignibus sub cruce propria incedere debent, nec primo Ordini in unum corpus adjungi (*can.* 706).

Hucusque tertii Ordines saeculares S. Francisci processionibus, in unum corpus conjuncti cum primo Ordine, sub cruce hujus ipsius, assistere poterant. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 434, *N. B.*

CAPUT II

DE CONFRATERNITATIBUS ET PIIS UNIONIBUS

ARTICULUS I

PRINCIPIA GENERALIA

979. I. **Notio et divisio**. — Associationes fidelium quae ad exercitium alicujus operis pietatis aut caritatis erectae sunt, nomine veniunt **piarum unionum**, quae, si ad modum organici corporis sint constitutae, *sodalitia* audiunt (*can.* 707, § 1), vel etiam **fraternitates** aut **congregationes**.

Si publici quoque cultus incrementum ut finem sibi praestitutum habeat, sodalitium **confraternitas** appellatur (*Ibid.*, § 2).

II. **Erectionis ratio.** — Confraternitates nonnisi per formale erectionis decretum constitui possunt (*can.* 708).

III. Pro piis unionibus sufficit Ordinarii approbatio, qua obtenta, licet ea sola personae morales seu juridicae esse non possint, capaces tamen sunt obtinendi gratias spirituales et praesertim indulgentias (*Ibid.*). Decreto formali, ut patet, etiam ipsae piae uniones omnes personae juridicae evadere *possunt*.

980. **Confratres et cultus divinus.** — *a*) Confratres nequeunt sacris functionibus operam praestare, nisi confraternitatis habitum seu insignia deferant (*can.* 709, § 1).

b) Mulieres confraternitatibus adscribi tantum possunt ad lucrandas indulgentias et gratias spirituales confratribus concessas (*Ibid.*, § 2).

c) Confraternitates processionibus consuetis et aliis, quas Ordinarius loci indixerit, tenentur collegialiter cum propriis insignibus et sub proprio vexillo interesse, nisi Ordinarius aliud praescripserit (*can.* 718).

d) Confraternitas proprium habitum vel insignia quae semel assumpsit, sine licentia Ordinarii loci dimittere aut immutare nequit (*can.* 714).

981. **Lex distantiae.** — I. Plures confraternitates vel piae uniones ejusdem *tituli* ac *instituti*, nisi id eis specialiter concessum sit aut jure cautum, in eodem loco erigi aut approbari non debent (*can.* 711, § 1).

Si vero agatur de magnis civitatibus, id licet, dummodo inter ipsas, judicio Ordinarii loci, *distantia* conveniens intercedat (*Ibid.*).

a) Quoties duarum aut plurium confraternitatum aut piarum unionum finis et media seu exercitia eadem sint, legi loci et distantiae ipsae subjiciuntur, licet earum nomina diversa sint; attamen si media diversa fuerint, quamvis nomina quam simillima sint et finis idem, tali legi non subjiciuntur. Quare, in eadem ecclesia institui possunt confraternitates SSmi. Sacramenti et ejusdem Adorationis perpetuae; Sacratissimi Cordis Jesu, et ejusdem Cordis Adorationis perpetuae (S. C. Indulg., 13 febr. 1894). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 71.

b) Ab hac quae dicitur lex distantiae omnino eximuntur plures confraternitates et piae uniones.

Hujusmodi sunt: Congregationes Marianae quarum institutio Societati Jesu reservatur (Decr. 29 aug. 1864: *D. auth.*, *n.* 413); congregationes item Bonae Mortis (Rescr. 21 mart. 1885); Filiarum Mariae (Pius IX, decr. 30 aug. 1866: *D. auth.*, *n.* 416); Ssmi. Sacramenti (28 aug. 1842: *D. auth.*, *n.* 308 ad III); Doctrinae christianae (12 jul. 1847: *D. auth.*, n. 343 ad II);

Sacri Cordis Jesu (Rescr. 5 apr. 1862); Matrum christianarum (3 febr. 1610); Assumptionis B. M. V. pro Purgatorii animabus sublevandis (23 aug. 1861). Confraternitas Rosarii non eximitur. Cfr. *Ferreres,* l. c., *nn.* 72, 73.

II. Confraternitates SSmi. Sacramenti et Doctrinae christianae in qualibet paroecia instituendae sunt: idque Ordinarii loci curae demandatur; quae eo ipso quod institutae sunt aggregatae manent respectivis archiconfraternitatibus romanis (*can.* 711, § 2). Cfr. *n.* 956, *d*).

ARTICULUS II

DE LOCO ERECTIONIS CONFRATERNITATUM ET PIARUM UNIONUM

982. I. **Ecclesiae aut oratoria in quibus erigi possunt: modus erectionis.** — Confraternitates et piae uniones solum in ecclesia aut oratorio publico, vel saltem semi-publico erigendae sunt (*can.* 712, § 1).

Ab hac lege excipiuntur confraternitates in terris infidelium erectae ubi ecclesiae aut oratoria hujusmodi non exsistant. (S. C. de Prop. Fide, 8 jun. 1845: *Collectanea*, *n.* 996, ed. 2.ª). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 101.

II. Ut in cathedralibus vel in collegiatis fiat erectio, requiritur *Capituli* consensus (*can.* 712, § 2).

III. In ecclesiis vel oratoriis religiosarum Ordinarius loci permittere potest erectionem associationis mulierum tantum, aut piae unionis quae nonnisi precationibus incumbat et gratiarum dumtaxat spiritualium communicatione gaudeat (*Ibid.*, § 3). Talis esset ex. c., Apostolatus Orationis. Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 102-106.

983. **Confraternitatis altare.** —Solent item confraternitates in certo altari institui. In eodem altari plures etiam confraternitates erigi possunt; posteriores tamen facultatem ad id ab iis quae jam inibi erectae fuerant obtinere debent. Quoad id fieri possit, expedit ut quaelibet confraternitas suum altare, ab aliis distinctum, habeat (S. C. Indulg., 29 maji 1841: *D. auth.*, *n.* 291 ad XI). *Ferreres*, l. c., *n.* 107.

ARTICULUS III

CONFRATERNITATES A REGULARIBUS FUNDATAE

984. I. **Gratiae quas ipsis regulares tribuere possunt.** — *a*) Religiosi cum confraternitatibus piisve unionibus a se erectis *possunt et debent* communicare *omnes* et solas gratias spirituales quae in facultatibus a Sede Apostolica receptis specifice et no-

minatim communicabiles declarentur, eaeque in actu erectionis manifestandae sunt singulis (*can.* 713, § 1). Si tamen eae Romae nondum promulgatae sint, sine licentia Ordinarii loci evulgari nequeunt (*can.* 919, § 1). *Ferreres*, l. c., *nn.* 75-77.

b) Hinc nequeunt cum associationibus eas indulgentias communicare quas Apostolica Sedes Ordini pro suis religiosis concessit: ideoque negandum est confraternitates aut congregationes iisdem indulgentiis frui quibus Ordines a quibus instituuntur aut aggregantur, vel in ordine ad lucrandas indulgentias pares esse ecclesias confraternitatum et ecclesias Ordinum (S. C. Indulg., 30 julii 1735; 15 jan. 1752: *D. auth., n.* 110, *n.* 190 ad II). *Ferreres*, l. c., *nn.* 75, 76.

c) Nec possunt religiosi indulgentias praedictas hac aut illa mensura communicare, aut pro tali vel tanto tempore; sed omnes et perpetuo communicandae sunt. *Ferreres*, l. c., *n.* 77.

II. **Habitus et insignia**. — Hujusmodi confraternitates vestem propriam seu insignia quae in publicis processionibus aliisque sacris functionibus deferenda sint, sine speciali licentia *Ordinarii* assumere nequeunt (*can.* 713, § 2). Vide *n.* 980.

ARTICULUS IV

DE CONFRATRUM COMITIIS SEU COETIBUS

985. — I. Ad Ordinarium loci pertinet: *a*) comitiis confratrum, etsi in exemptorum regularium ecclesiis et oratoriis celebrandis, per se vel per delegatum praeesse, *sine jure* tamen *suffragii*; *b*) dignos et idoneos officiales et ministros electos confirmare, indignos vel non idoneos respuere vel removere; *c*) statuta aliasve normas, nisi a Sede Apostolica approbatae fuerint, corrigere et approbare (*can.* 715, § 1). Cfr. *Ferreres*, l. c., *nn.* 163-178.

II. Si comitia **extraordinaria** celebranda sint, Ordinarius vel ejus delegatus tempestive monendus est; secus Ordinario jus est comitia impediendi vel eorum decreta penitus infirmandi (*can.* 715, § 2). *Ferreres*, l. c., *n.* 165.

III. Non tamen monendus est de comitiis **ordinariis**, nec ipse id quaerere potest.

Etiamsi Praelatus edixerit se uni aut omnibus coetibus adstiturum, si hora designata praesens non est, potest coetus celebrari et opportuna decreta sancire prout de jure, quae valida erunt, quamvis toto tempore vel parte ejus Ordinarius vel ejus delegatus abfuerit (1). Cfr. *n.* 969.

---

(1) S. C. C., 26 jan. et 22 mart. 1760 ad 3: *Thesaur., vol.* 29, *pag.* 34 *seq.*; 66 *seq*, Vide alias resol. ap. *Pallottini*, l. c., *pag.* 245. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 176.

ARTICULUS V

RELATIONES INTER PAROCHUM ET CONFRATERNITATEM

986. I. **Confraternitates in propriis ecclesiis erectae.** — Confraternitates et piae uniones in *propriis* earum *ecclesiis erectae*, functiones *non* paroeciales, *servatis servandis*, independenter a parocho exercere possunt, dummodo *ministerio paroeciali* in paroeciali ecclesia *non noceant* (*can.* 716, § 1).

Quaenam sint functiones paroeciales stricte dictae, explicatum jam est ubi de parocho. Vide *n.* 760.

II. Idem servandum est in casu quo *paroecia* erecta sit *in ipsa confraternitatis ecclesia* (*can.* 716, § 2).

III. **Quis dubia dirimit.** — In dubio utrum functiones confraternitatis vel piae unionis noceant, necne, ministerio paroeciali, ad Ordinarium loci spectat jus decidendi, itemque statuendi practicas normas servandas (*Ibid.*, § 3).

987. — **Confraternitas in ecclesia non propria.** — Si in ecclesiis *non suis* erectae sint, proprias functiones ecclesiasticas in sacello tantum vel altari in quo sunt erectae, peragere possunt ad normam peculiarium statutorum, et dummodo functionibus paroecialibus non noceant, aut officia divina communitatis (*can.* 717, § 1), si, v. gr., in ecclesiis religiosorum sint erectae, non impediant.

Patrimonium confraternitatis et piae unionis, quae erecta sit in ecclesia non sua, aut cujus ecclesia sit simul paroecialis, debet esse separatum a bonis fabricae vel communitatis (*Ibid.*, § 2).

988. **Musici et cantores.** — Confraternitates et congregationes jus habent eos musicos et cantores pro functionibus suis advocandi, quos maluerint, neque id parochus impedire potest, neque paroeciae musici jus ad emolumenta ulla habent, si confraternitas eorum opera uti nolit (1).

N. B. De hac re vide *Ferreres*, l. c., *n.* 214 *seq.*

ARTICULUS VI

CONFRATERNITATUM TRANSLATIO

989. **A quo facultas translationis concedenda.** — I. De Ordinarii loci consensu confraternitas vel pia unio de alia ad aliam

---

(1) Sententia Supremi Tribunalis Rotae hispanae, 27 febr. 1892, in qua sequentes sententiae concordes Rotae Romanae citantur: Apud *Seraph.*, dec. 634 et dec. 645; apud *Carrill.*, dec. 96; *Cor. Emerix* sub die 1 dec. 1670. Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 328.

sedem transferri potest, nisi jure aut statutis a Sede Apostolica probatis translatio prohibeatur (*can.* 719, § 1).

Ratio juris translationis est, quia confraternitas est collegium personale, non reale, et consequenter non adhaeret necessario loco determinato. *Pellizzari*, Manual. Regul., *tr.* 8, *c.* 5, *n.* 23; *Wernz*, l. c., *vol.* 5, *n.* 716; *Ferreres*, l. c., *n.* 345.

Inde excipiuntur: 1.° confraternitates *SSmi. Sacramenti*, quae affixae sunt ecclesiis paroecialibus; 2.° quae *legi distantiae* obnoxiae sunt, quarum fundatio *reservetur alicui religioso Ordini;* hae enim statim atque in oppido adsit conventus illius Ordinis, ad ecclesiam regularium transferendae sunt (cfr. *Causa Militen.*, 29 julii 1904: *Acta S. Sedis*, *vol.* 37, *pag.* 670 *seq.*); 3.° quae in *erectione* ad perpetuo manendum in certa ecclesia *obligantur* (S. C. C., 26 jan. 1760, § 3; cfr. *Zamboni*, v. Sodalitium, § 10). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 346.

II. Si de **archiconfraternitate** aut pia unione **primaria** sermo est, ad translationem requiritur licentia Sedis Apostolicae (*can.* 724).

III. Si de confraternitate aut pia unione *alicui Ordini religioso reservata*, novis litteris Superioris opus est (*can.* 719, § 2). Cfr. *Ferreres*, l. c., *n.* 343.

IV. Requiritur insuper consensus congregationis legitime congregatae, et ad majorem suffragiorum numerum (Cfr. S. C. C., 30 jul. 1774; *Ferreres*, l. c., *n.* 342). Si confraternitas ad modum organici corporis constituta non sit, nec habeat coetus generales, etc., consensus moderatoris et officialium seu administratorum *ex parte confraternitatis* sufficit. *Ferreres*, l. c., *n.* 347.

990. **Confraternitatis conditio post translationem.**—*a*) Facta translatione, congregatio omnes indulgentias sibi proprias retinet, amissis solummodo iis quae ratione prioris ecclesiae vel altaris ubi erecta erat ipsi concessae fuerant. *Ferreres*, l. c., *n.* 349.

b) Pariter *bonorum omnium*, quae habebat, translata confraternitas *dominium* retinet, amissis tantum iis quae ratione loci in quo inerat sibi data fuerant, quod quidem probetur oportet. *Ibid.*, *nn.* 352, 353.

991. **Confraternitatis expulsio**. —Potest item parochus, *de consensu Praelati*, confraternitatem e paroecia expellere vel dimittere; manifestum tamen est nec parochum sine causa in postulanda expulsione agere posse; nec confratres contra voluntatem parochi translationem poscere debere suo arbitrio et sine sufficienti causa (1).

---

(1) Cfr. S. C. C., 11 dec. 1694; 16 jul. 1695; 12 dec. 1829; *Ferreres*, l. c., *n.* 356.

CAPUT III

DE ARCHICONFRATERNITATIBUS ET UNIONIBUS PRIMARIIS

992. **Notio.** — Associationes quae jure gaudent sibi alias consimiles aggregandi vocantur *archifraternitates*, *archiconfraternitates* vel etiam *primariae piae uniones*, *congregationes* aut *societates* (*can.* 720).

993. **Archiconfraternitates universales**, **regionales**, **etc.** — *a*) Confraternitates autem vel congregationes, etc., *universales* dicuntur, si pro toto orbe catholico; *locales* autem vel *regionales*, si tantum pro una dioecesi aut regione institutae sunt. In prioribus adscribi possunt fideles ubique terrarum; aliis vero, solum illi qui domicilio vel quasi domicilio gaudeant in urbe aut regione pro qua eae institutae sunt (1).

b) Simili modo *universales* esse poterunt archiconfraternitates et primariae congregationes quarum jus aggregandi ad confraternitates et congregationes ejusdem nominis et finis protenditur, ubicumque eae erectae erunt; *regionales* vero vel *locales*, si jus suum ad unius regionis aut dioecesis associationes arctatum habent. Vide *n.* 996.

994. **Conditiones ad aggregandum.** — I. Ut associatio aliqua sibi alias aggregare, et cum eis gratias spirituales quibus gaudet communicare valide possit, indulto apostolico opus est (*can.* 721, § 1).

II. Sine apostolico indulto, nulla associatio alias sibi aggregare valet, praeterquam eas quae ejusdem tituli et finis sint (*Ibid.*, § 2), *nec alii associationi aggregatae jam fuerint* (*can.* 723, 1.°).

Hinc est quod quaevis associatio uni tantum archiconfraternitati aggregari potest, etc. Cfr. Clem. VIII, l. c., § 3; *Ferreres*, l. c., *n.* 85.

Excipe Archiconfraternitatem Assumptionis pro Purgatorii animabus juvandis, Romae in ecclesia Sanctae Mariae in Monteroni erectam, ad quam aggregari possunt etiam diversi nominis et finis associationes, dummodo titulo suo addant «pro Purgatorii animabus juvandis». *Ferreres*, l. c., *n.* 80.

III. Aggregatio juxta formulam in statutis praescriptam facienda est; **in perpetuum** etiam fieri debet, et non ad tempus (*can.* 723, § 4:), *Ferreres*, l. c., *n.* 81.

---

(1) Cfr. S. C. Indulg., 26 nov. 1880; *Tachy*, Traitè des confréries, *n.* 189 (Langres, 1898).

995. **Aggregationis effectus**. — I. Per aggregationem communicantur omnes et solae indulgentiae, privilegia et aliae gratiae communicabiles quae associationi aggreganti directe et nominatim a Sede Apostolica concessae fuerint, vel in posterum concedantur (*can.* 722, § 1). Excipiuntur tamen a communicatione privilegium *locale* altaris privilegiati, jus praecedentiae, facultas aggregandi et alia quae expresse constet incommunicabilia esse (*Ibid.*) (1).

II. Facta aggregatione, confraternitas aggregata amittit omnes indulgentias pontificias quae sibi antea erant propriae, et solum iis gaudet quas ab archiconfraternitate communicatas accepit. *Ferreres*, l. c., *n.* 83.

Si Episcopus prius indulgentias concesserat operibus quae nunc a Summo Pontifice indulgentiis ditantur, ea opera indulgentias episcopales amittunt.

III. Aggregans associatio supra aggregatam jus nullum acquirit (*can.* 722, § 2). Neque ex aggregatione mutantur jura quae ob jurisdictionem Ordinarius in confraternitatem aut congregationem habebat. (Cfr. *Ferraris*, l. c., *n.* 44). *Ferreres*, l. c., *n.* 84.

996. **Territoria ad quae facultas aggregandi extenditur**. — I. *Romanae archiconfraternitates* et *uniones primariae* facultate gaudent sibi aggregandi alias associationes ejusdem nominis et instituti, ubicumque tandem eae sint.

II. Hanc facultatem dioecesi, regioni aut nationi certae coarctatam *archiconfraternitates*, *uniones primariae*, etc., extra Romam sitae habere solent, ita ut eis confraternitates extra illud spatium erectae aggregari nequeunt, imo nec valida est aggregatio personae quae extra illud territorium habitat. (S. C. Indulg., 29 febr. 1864: *D. auth.*, *n.* 403, ad I). Plures tamen sunt, etiam extra Romam, quae ex privilegio apostolico, in toto orbe, sicut Romanae, aggregare possunt. Cfr. *Ferreres*, *nn.* 86-88.

997. **Rosarii confraternitates: archiconfraternitates ad honorem.** — I. Inter confraternitates Rosarii, nulla est quae jure aggregandi polleat, sed singulae earum, eo ipso quod canonice erectae sint, sine aggregatione ulla, iisdem indulgentiis gaudent. *Ferreres*, l. c., *n*, 90.

II. Ex privilegio, quod ab una Sede apostolica concedi potest, adsunt archiconfraternitates *ad honorem*, sine jure aggregandi (*can.* 725). *Ferreres*, l. c., *n.* 86.

998. – Litterae aggregationis gratis expediendae sunt, exceptis necessariis expensis (*can.* 723, § 5), diplomatum, amanuensium, etc., quae fere 32 libellas, francos vel pesetas excedere nequeunt.

---

(1) *Pallottini*, Collectio Resol. S. C. C., v. Sodalitium, *a.* 1, *n.* 10; S. C. Ep. et Reg., 6 feb. 1874: *Acta S. Sedis, vol.* 7, *pag.* 641 *seq.* — *Ferreres*, l. c., *n.* 82.

APÉNDICE

I

Promoción del Arzobispo de Toledo a Patriarca de las Indias y a Vicario General Castrense.

Bula de N. S. Padre León XIII en 1885

LEÓN XIII, PAPA

PARA FUTURA MEMORIA

Los Romanos Pontífices, nuestros Predecesores, siempre han profesado un afecto paternal a los augustos Reyes de España por sus egregios méritos, pues éstos han tenido a mucha gloria suya y de su familia abrazar con insigne piedad, con ánimo ardiente y grande y con singular munificencia cualesquiera empresas que entendieron convenir ya fuese para propagar la religión en países remotos y desconocidos, o para mayor utilidad de la Iglesia, o para beneficios espirituales de los fieles. Y ésta fué la causa por que los engrandecieron con el nombre de Rey Católico, los colmaron de testimonios de benevolencia, y enriquecieron con particulares privilegios las Capillas de los Palacios de los Reyes de España, lo que Nós constantemente hemos hecho y tenemos intención de hacer gustosos, cuando se presente la ocasión. Ahora, pues, habiéndose tratado por nuestro Nuncio y de la Silla Apostólica cerca del Iltre. Rey Católico, y por el Gobierno Real de España, de introducir un nuevo orden en la jurisdicción de Palacio y Castrense, Nos ha suplicado nuestro muy amado en Cristo Hijo Alfonso XII, que tengamos a bien confirmar con el amparo de Nuestra Autoridad las reglas y condiciones adoptadas sobre este negocio, que aquí se siguen:

I. Dejando salvo y seguro lo que se decide acerca de la extensión de la jurisdicción de Palacio, de las facultades del Prelado que la ejerce y de las gracias y privilegios que goza legítimamente la Real Capilla de España, tanto por las Letras de Benedicto XIV, de feliz recordación, dadas el día veinte y siete del mes de junio año de mil setecientos cincuenta y tres, como por Letras Apostólicas o rescriptos de otros Predecesores nuestros, el cargo de Procapellán Mayor del Rey Católico, que ahora existe, se ha suprimido y queda extinguido.

II. Se conserva igualmente el privilegio que goza el Arzobispo de Santiago de Compostela, que por tiempo fuere, de tener el cargo de Capellán Mayor del Rey de España.

III. A ruego del mismo Rey se concede el mismo privilegio al Arzobispo de Toledo por tiempo.

IV. A uno y otro Arzobispo, por gracia especial de la Silla Apostólica, se les da unidamente jurisdicción habitual en la Real Capilla, la que sin embargo no podrá ejercerse *actu* sino separadamente y guardando las condiciones siguientes, a saber: el uno de ellos será designado expresamente por el Rey Católico para ejercer tal jurisdicción, y será destinado formalmente para ello según lo que se estableció en las mencionadas Letras de Benedicto XIV a favor del Capellán Mayor el Arzobispo de Compostela; y el que fuere condecorado con este cargo, de ningún modo se considerará dispensado de la obligación de residir en su diócesis.

V. Mas a aquel que se encomendare el ejercicio de su jurisdicción actual de Palacio, según parezca al Rey Católico, se le da poder de nombrar un varón digno e idóneo, que, como Delegado o Vicario, en su ausencia represente a su persona en la Real Capilla; y, por tanto, le conferirá las facultades oportunas y necesarias.

VI. El Arzobispo de Toledo, que por tiempo fuere, es condecorado, por concesión especial del Soberano Pontífice, con el título y honores de Patriarca de las Indias Occidentales.

VII. Se concede un Obispo Auxiliar al mismo Arzobispo de Toledo, a fin de que pueda atender mejor a las necesidades de su Iglesia.

VIII. Se confiere el cargo y oficio de Vicario General Castrense, hoy y en lo futuro, al Arzobispo de Toledo, sin perjuicio de la residencia canónica en su diócesis. Y así Nós, accediendo a los ruegos de Nuestro muy amado en Cristo Hijo Alfonso XII, con Nuestra Autoridad por estas Letras aprobamos, establecemos, corroboramos, sancionamos todas y cada una de las cosas susodichas, y mandamos absolutamente que las guarden aquellos a quienes toca o pudiere tocar. Por tanto, decretamos que estas Nuestras Letras sean y hayan de ser firmes, válidas y eficaces, y surtan y obtengan sus efectos plenarios e íntegros, y favorezcan plenísimamente a aquellos a quienes corresponde, y que así deben juzgar y definir cualesquiera jueces ordinarios y delegados, aun los Auditores de las causas del Palacio Apostólico, los Nuncios de la Silla Apostólica y los Cardenales de la Santa Iglesia Romana, aun Legados *de latere,* quitándoles a ellos y a cualesquiera de ellos la facultad y autoridad de juzgar o interpretar de otro modo, y que sea írrito y nulo si alguno con cualquiera autoridad llegare a atentar, a sabiendas o por ignorancia, otra cosa acerca de esto. Sin que obsten Nuestra regla ni la Cancelaría Apostólica *de jure quaesito non tollendo*, ni ningunas otras que sean en contrario, aunque merezcan especial e individual mención y derogación.

Dado en Roma en San Pedro con el Anillo del Pescador el día veintiuno de abril de mil ochocientos ochenta y cinco, año octavo de Nuestro Pontificado. = M. Cardenal Ledochowski. = Lugar ✝ del Sello del Pescador. = Visto por el Embajador y Agente General de Preces de España en Roma a treinta y uno de mayo de mil ochocientos ochenta y cinco. = Copia de castellano. = El Marqués de Molins, ha exhibido: = *Madrid, 9 de julio de 1885.* = Manuel de Labra.

Cfr. *Salazar-La Fuente,* Disciplina eclesiástica, *vol.* I, *págs.* 521, 522 (Madrid, 1894).

II

Nueva organización de la jurisdicción eclesiástica Palatina y Castrense, año 1892

Ministerio de Gracia y Justicia.—*Sección 3.ª*—*Negociado 1.º* — Excelentísimo Sr.: De Real orden paso a manos de V. E. la adjunta copia traducida de la comunicación que el Excmo. Sr. Cardenal Secretario de Estado de Su Santidad dirige al Embajador de Su Majestad cerca de la Santa Sede, relativa a la organización de las jurisdicciones eclesiásticas Palatina y Castrense, con arreglo a las bases acordadas entre ambas potestades.— Dios guarde a V. E. muchos años. *Madrid, 20 de agosto de 1892.* — Fernando Cos-Gayón. — Señor Arzobispo de Santiago.

Copia. — Palacio del Vaticano, 19 de julio de 1892. — Señor Embajador de S. M. Católica cerca de la Santa Sede. — Queriendo Su Santidad dar una prueba de su paternal benevolencia a S. M. Católica y a S. M. la Reina Regente, se ha dignado acoger la instancia presentada referente al ejercicio de la jurisdicción Palatina y Castrense estableciendo en su vista lo siguiente:

I. Respecto al título de Capellanes Mayores de los Reyes de España y al derecho de ejercitar la jurisdicción habitual Palatina, propio de los Arzobispos de Compostela y de Toledo, quedan subsistentes las Letras Apostólicas dadas en forma de breve en 21 de abril de 1885.

II. Que, no obstante, por razones especiales del mejor servicio de la Real Capilla, S. M. Católica y en su nombre S. M. la Reina Regente, podrán delegar provisionalmente el ejercicio *in actu* de la jurisdicción Palatina a otra persona digna y capaz, la cual mientras se halle en el ejercicio de estas funciones asumirá el título de Pro-Capellán Mayor de Palacio y quedará en todo independiente de los mencionados Arzobispos de Compostela y de Toledo, pudiendo, sin embargo, S. M. en casos especiales y ocasiones solemnes en la Corte, como bautismos, matrimonios, funerales y otros semejantes encomendar a uno de los Capellanes Mayores, arriba nombrados, el ejercicio *in actu* de la jurisdicción Palatina.

III. Que la persona elegida por S. M. para el alto cargo de Pro-Capellán Mayor, podrá ser elevada a la dignidad Episcopal, siempre que se le conceptúe digna de ella.

IV. Que, igualmente, de un modo provisional, podrá S. M. encomendar a esta misma persona el ejercicio de la jurisdicción Castrense con el título de Pro-Vicario General Castrense e independientemente del Arzobispo de Toledo. — Finalmente, habiendo S. M. la Reina Regente manifestado el deseo de nombrar para dicho cargo al Presbítero D. Jaime Cardona y Tur, Su Santidad se ha dignado elevarle a la dignidad Episcopal, señalándole la Iglesia Titular de Sión. — El abajo firmado Cardenal, Secretario de Su Santidad, se apresura a notificar al Excmo. Sr. Marqués de Pidal, Embajador de S. M. Católica, estas disposiciones pontificias en contestación a la nota que le pasó el 3 del corriente, rogándole, al propio tiempo, las eleve, con la brevedad posible, al conocimiento de Su Majestad

la Reina Regente, aprovechando esta ocasión, etc. M. Cardenal Rampolla. — Conforme. — Hay una rúbrica. Está conforme. F. Cos-Gayón.

(Cfr. *Salazar-La Fuente,* Disciplina eclesiástica, *vol.* 1, *pág.* 523, edición citada).

III

Real decreto de 20 de abril de 1903 sobre provisión de piezas eclesiásticas

«Señor: Las acertadas disposiciones contenidas en el Real decreto de 28 de noviembre de 1891, y las reales órdenes dictadas con posterioridad, aclaratorias de las dudas que algunos de sus preceptos suscitaron, constituyen el actual estado de derecho sobre provisión de piezas eclesiásticas.

A fin de unificarlo y completarlo haciendo más sencilla su aplicación, comprendiendo en las diferentes categorías del Clero Catedral todos aquellos cargos asimilados a las mismas, otorgando mayores derechos a los Párrocos de entrada, reconociendo los importantes servicios que prestan los Coadjutores, otorgando ventajas a los que obtienen los cargos por oposición y a los que ostentan grados académicos: el Ministro que suscribe, después de oir el dictamen del Consejo de Estado, con la conformidad del Muy Reverendo Nuncio Apostólico y de acuerdo también con el Consejo de Ministros, tiene la honra de proponer a la aprobación de V. M. el siguiente proyecto de decreto.

Madrid, 20 de abril de 1903. — Señor: A. L. R. P. de V. M., Eduardo Dato.

Real decreto. A propuesta del Ministro de Gracia y Justicia, y en virtud de lo convenido con el Muy Reverendo Nuncio Apostólico; oído el Consejo de Estado en pleno, y de acuerdo con el Consejo de Ministros,

Vengo en decretar lo siguiente:

Artículo 1.º Las Dignidades correspondientes a las Iglesias Catedrales y Colegiales, y las Canonjías y Beneficios de gracia no reservados a la oposición por el Real decreto concordado de 6 de diciembre de 1888, se conferirán necesariamente, así en el turno de la Corona como en el de los Prelados y en el de éstos con sus Cabildos, a personas que reúnan, además de las condiciones exigidas por los Sagrados Cánones, las determinadas para cada cargo por el presente decreto.

Art. 2.º Para la mejor inteligencia de lo dispuesto, se clasifican los cargos del Clero Catedral y Colegial en las siguientes categorías:

1.ª Deanes de Iglesia Metropolitana.

2.ª Deanes de Iglesia Sufragánea.

3.ª Dignidades de Metropolitana.

Canónigos de oficio de ídem.

Capellanes mayores de Reyes y de Muzárabes de Toledo, de Reyes Católicos de Granada y de San Fernando de Sevilla.

Deanes de Catedral que ha de reducirse a Colegiata y Abades de Iglesia Colegial.

Rector de la Iglesia de San Francisco el Grande de Madrid, después de cuatro años de servicios en el cargo.

4.ª Canónigos de Metropolitana.
Dignidades de sufragánea.
Canónigos de oficio de ídem.
Capellanes primeros de San Francisco el Grande de Madrid, después de cuatro años de servicios en el cargo.
5.ª Canónigos de Sufragánea.
Capellanes reales.
Capellanes de Honor de la Real Capilla.
Rector de la Iglesia de Santiago y Montserrat de Roma.
Rector del Real Monasterio de la Encarnación de Madrid.
Canónigos de la Iglesia Magistral del Sacro Monte de Granada.
Secretarios cancelarios.
Tendrán esta categoría después de cuatro años de servicios en el cargo:
Los Provisores Vicarios generales.
Los Secretarios de Cámara.
Los Fiscales eclesiásticos.
Los Rectores de Seminario.
Después de cinco:
Los Catedráticos de Seminario o de Universidad.
6.ª Canónigos de oficio y de gracia de Catedral que ha de reducirse a Colegiata o de Iglesia Colegial.
Beneficiados de Metropolitana.
Párrocos de Muzárabes de Toledo.
Tendrán esta categoría después de dos años de servicios en el cargo:
Los Provisores y Vicarios generales.
Los Secretarios de Cámara.
Los Fiscales eclesiásticos.
Los Rectores de Seminario.
Los Capellanes segundos de San Francisco el Grande de Madrid.
Después de tres:
Los Catedráticos de Seminario o de Universidad.
7.ª Beneficiados de Sufragánea.
Capellanes del Real Monasterio de la Encarnación de Madrid.
Capellanes de Altar y de Música de la Real Capilla.
Beneficiados de Muzárabes de Toledo.
Capellanes de la Real Iglesia de Santiago y Montserrat de Roma.
Se incluyen en esta categoría después de cuatro años de servicios en el cargo:
Capellanes Sacristanes de la Real Capilla.
Capellanes Ayuda de Oratorio ídem.

Art. 3.° Puede obtener el único cargo que comprende la primera categoría:

El que haya desempeñado el de la segunda durante dos años, o cualquiera de los cargos de la tercera por espacio de cuatro años.

El que cuente ocho años de servicios en la cuarta categoría, o seis, si ingresó en ella en virtud de oposición.

Art. 4.° Para ser nombrado en la segunda categoría se necesita haber desempeñado cualquiera de los cargos de la tercera durante tres años, o dos si la adquirieron por oposición.

Contar seis años de servicios en la cuarta categoría, o cuatro los que la hayan adquirido por oposición.

Ser Canónigo de Sufragánea con ocho años de servicios en este cargo, o de oposición con seis.

Art. 5.° Podrán obtener Dignidad de Metropolitana:

Todos los que sin serlo estén comprendidos en la tercera categoría.

El que haya desempeñado durante tres años cualquiera de los cargos comprendidos en la cuarta categoría, o durante dos si la hubiere obtenido por oposición.

El que se halle comprendido en la quinta categoría con seis años de servicios en la misma, o con cuatro si la hubiere adquirido por oposición.

Los párrocos de término con diez años de servicios en esta categoría después de haber servido Curatos de ascenso, o con doce si hubieren ingresado por aquél en virtud de concurso general.

Art. 6.° Las Capellanías de Reyes Católicos de Granada, de San Fernando de Sevilla y de Reyes Muzárabes de Toledo, serán provistas en los casos en que, con arreglo al Concordato, den lugar a turno, en la forma siguiente:

Las tres primeras, en el Canónigo de oficio más antiguo de la respectiva Iglesia, y la de Muzárabes, en el más antiguo de oposición.

En los demás casos se otorgarán a persona que reúna condiciones para ser nombrado Dignidad de Iglesia Metropolitana.

Art. 7.° Para ser nombrado Deán de Catedral que ha de reducirse a Colegiata, será preciso estar comprendido en la cuarta categoría, con cuatro años de servicios en el cargo, o con dos si hubieren ingresado en ella por oposición.

Hallarse comprendido en la quinta categoría con cinco años de servicios en la misma, o con cuatro los que la hubieren obtenido por oposición.

Contar ocho años de Canónigo de Catedral que ha de reducirse a Colegiata o de Iglesia Colegial.

O ser Párroco de término con las condiciones que se les exigen en el art. 5.°

Art. 8.° Puede ser nombrado Canónigo de Iglesia Metropolitana el que obtenga cualquiera de los otros cargos de la cuarta categoría.

Los que desempeñen durante seis años cualquiera de los cargos de la quinta categoría, o durante cuatro si la hubieren adquirido por oposición.

Los comprendidos en la sexta categoría con ocho años de servicio en la misma, o con seis si la hubieren adquirido por oposición.

Los Párrocos de término con ocho años de servicios en esta categoría, habiendo servido antes Curatos de ascenso, o con diez si hubieren ingresado en aquélla en virtud de concurso general.

Art. 9.° Las dignidades de Iglesia Sufragánea recaerán necesariamente:

En los que desempeñen cualquiera de los cargos que, a más de éste, constituyen la cuarta categoría.

En todos los demás que se designan en el artículo anterior y con las mismas condiciones.

Art. 10. Además de las condiciones exigidas en los artículos precedentes, para ser nombrado Dignidad de Iglesia Metropolitana o Sufragánea, o Deán de Catedral que ha de reducirse a Colegiata, será requisito indispensable tener grado mayor en Teología, Cánones o Derecho.

Art. 11. Pueden obtener Canonjía de Iglesia Sufragánea:

Los que desempeñen cualquiera de los otros cargos que, con éste, forman la quinta categoría.

Los comprendidos en la sexta, después de cuatro años de servicios en el cargo, o de tres si hubieren ingresado en la categoría por oposición.

Los comprendidos en la séptima categoría, con seis años de servicios en el cargo, o con cinco si lo hubieren obtenido por oposición.

Los Párrocos de término con tres años de servicios en el cargo. — Ecónomos con cinco. — Coadjutores con seis.

Los Párrocos de ascenso con cuatro años de servicios en el cargo. — Ecónomos con seis. — Coadjutores con ocho.

Los Párrocos de entrada con seis años de servicios en el cargo. — Ecónomos con ocho.

Los Coadjutores *in capite* tendrán los mismos derechos que los Ecónomos en su categoría respectiva.

Los Capellanes castrenses que hayan obtenido sus cargos por concurso, serán considerados como Párrocos en sus categorías respectivas.

Art. 12. Pueden ser nombrados Capellán Real de Reyes de Toledo, de San Fernando de Sevilla o de Reyes Católicos de Granada, los que obtienen cualquiera de los otros cargos que forman con éste la quinta categoría y sus asimilados.

Todos los demás que se designan en el artículo anterior y con las mismas condiciones.

Art. 13. Para ser nombrado Canónigo de Catedral que ha de reducirse a Colegiata o de Iglesia Colegial, se necesita tener alguna de las condiciones siguientes:

Estar incluído en la sexta categoría.

Estar comprendido en la séptima con tres años de servicios, o con dos si hubiere obtenido el cargo por oposición.

Estar comprendido en la octava categoría con cuatro años de servicios en el cargo, o con tres si la hubiere obtenido por oposición.

Ser Catedrático de Seminario, Instituto, Escuela Normal o Colegio militar con tres años de servicios en el cargo.

Vicesecretario de Cámara con tres años de servicios.

Familiar del Prelado con seis.

Capellán de Monasterio, Hospital, Casa de Beneficencia, Penitenciaría u otros institutos análogos, habiendo desempeñado su cargo durante ocho años.

Párroco de ascenso con tres años de servicios en el cargo. — Ecónomo con cinco. — Coadjutor con seis.

Párroco de entrada con cuatro años de servicios en el cargo. — Ecónomo con seis.

Párroco rural con ocho años de servicios en el cargo.

Art. 14. Para obtener beneficio de Iglesia Metropolitana se requiere desempeñar otro de los cargos de la sexta categoría.

O desempeñar alguno de los cargos a que se refiere el artículo anterior, y en las mismas condiciones.

Art. 15. Pueden ser nombrados de Iglesia Sufragánea los que desempeñan cualquiera de los cargos que forman la séptima categoría.

Los comprendidos en la octava con tres años de servicios en el cargo, o con dos si lo hubieren obtenido por oposición.

Los Párrocos de ascenso con dos años de servicios en el cargo.—Los Ecónomos con tres.—Los Coadjutores con cuatro.

Los Párrocos de entrada o rurales con cuatro años de servicios en el cargo.

Los Catedráticos de Seminario, Instituto, Escuela Normal o Colegio militar con dos.

Los Vicesecretarios de Cámara con dos.

Los Familiares del Prelado con cuatro.

Los Capellanes de Monasterio, Hospital, Casa de Beneficencia, Penitenciaría u otros institutos análogos, con seis años de servicios en el cargo.

Art. 16. Los nombramientos de Beneficiados de gracia de Catedral que ha de reducirse a Colegiata, o de Iglesia Colegial, recaerán en Párrocos de entrada o rurales, Ecónomos o Coadjutores eclesiásticos que a ello sean acreedores, a juicio de la Corona o de los Prelados, o en alumnos de Seminario que hayan terminado con lucimiento su carrera.

Art. 17. Al que tuviere grado mayor en Teología, Cánones o Derecho se le abonará, por todos los que tenga, un año en el tiempo de servicios prescrito para ingresar o ascender en cada categoría, exceptuando los cargos que exigen indispensablemente dicho requisito.

De igual beneficio, y en las mismas condiciones, disfrutarán los que hayan sido aprobados en concurso a Canonjía de oficio o de oposición.

Art. 18. El que al ingresar o ascender en el Clero Catedral o Colegial lo haga en categoría inferior a aquella a que pudiese optar, se entiende que en este caso renuncia a las categorías superiores y se somete para los ascensos sucesivos a las condiciones exigidas a aquella en que ingrese o ascienda.

Art. 19. Cuando algún Beneficiado de oficio se inutilizare por imposibilidad física para el desempeño del cargo, será nombrado Beneficiado de gracia en la primera vacante de turno que ocurra en la misma Iglesia, sea cualquiera la forma en que deba proveerse, después de haber sido justificada legalmente la referida imposibilidad en expediente instruído en la respectiva Diócesis y elevado para su aprobación al Ministerio de Gracia y Justicia.

La instrucción de estos expedientes se ajustará a lo dispuesto por la Real orden de 2 de enero de 1893.

Art. 20. En atención a las condiciones especiales de las Islas Canarias, los Beneficiados y Prebendados de aquellas iglesias podrán optar al ascenso en las de la Península y Baleares con un año menos de servicio de los que se exigen para cada categoría.

Art. 21. Cuando algún aspirante a Dignidad, Canonjía o Beneficio haya prestado sucesivamente diferentes servicios de los que dan aptitud para dichos cargos, pero sin haberse completado en ninguno el tiempo fijado para cada cargo, se acumularán estos servicios, siempre que sean de los exigidos para cada categoría, y podrá ser nombrado en la que le corresponda cuando excedan en un año, por lo menos, al período mayor de tiempo que se exija en uno solo de los que alega.

Art. 22. Cuando algún Eclesiástico haya prestado servicios extraordinarios a Su Santidad, a la Corona o a la Iglesia, se haya distinguido con ocasión de calamidades públicas, o sea autor de alguna obra científica de reconocido mérito, podrá su Prelado instruir expediente justificativo de

tales servicios, que será elevado al Ministerio de Gracia y Justicia, para que de acuerdo con el Muy Reverendo Nuncio Apostólico, se designe el cargo a que puede aspirar.

En ningún caso se tramitarán expedientes de méritos para mejorar la categoría que se tenga en el Clero Catedral cuando los que se aleguen hayan sido contraídos antes de ingresar en aquélla.

Art. 23. No se dará curso en el Ministerio de Gracia y Justicia a ninguna solicitud de Canonjía o Beneficio que no vaya acompañada de las testimoniales del aspirante, expedidas en forma por su Prelado, y no anteriores en más de dos meses a la fecha de la vacante.

Art. 24. De toda vacante de Prebenda o Beneficio dará inmediatamente cuenta el Prelado de la diócesis respectiva al Ministerio de Gracia y Justicia, manifestando el turno a que, según su juicio, corresponda la provisión, y la forma en que crea también que debe verificarse.

Art. 25. Las disposiciones de este Decreto no son aplicables a las Prebendas reservadas a Su Santidad por el Concordato.

Art. 26. Los nombramientos de Prebendados y Beneficiados de gracia de la Iglesia Prioral de las Ordenes Militares continuarán haciéndose en la forma en que hoy se verifican, si bien con sujeción a las condiciones fijadas en este Decreto.

Art. 27. Se exceptúan de sus disposiciones las Colegiatas de Santa María de Roncesvalles y de San Isidoro de León, así como las Iglesias Magistrales del Sacromonte de Granada y de Alcalá de Henares, todas las que se rigen por su respectiva legislación especial.

Art. 28. Las dudas que puedan suscitarse en la ejecución de este Decreto, y las omisiones que en él se notaren, se resolverán o suplirán de común acuerdo con el Ministerio de Gracia y Justicia y el Muy Reverendo Nuncio de Su Santidad.

Art. 29. Queda derogado el Real decreto concordado de 23 de noviembre de 1891, y todas las disposiciones que se opongan al presente.

Dado en Palacio a veinte de abril de mil novecientos tres. — ALFONSO. — El Ministro de Gracia y Justicia, EDUARDO DATO.»

IV

Real Orden del Ministerio de Gracia y Justicia sobre la Provisión de las Canonjías de la Colegiata de Gandía

S. M. el Rey (q. D. g.), de acuerdo con las bases propuestas por la Nunciatura Apostólica, ha tenido a bien disponer lo siguiente:

Artículo 1.° La provisión de los cargos vacantes o que vaquen en la Iglesia Colegiata de Gandía se acomodará a las reglas contenidas en los artículos siguientes, ejerciéndose por la Casa Ducal de Gandía el Patronato activo que sobre dicha Colegiata le reconoció el Real decreto de 22 de abril de 1907 en la forma que según los casos determina la presente Real orden.

Art. 2.° La dignidad de Abad de la Colegiata se proveerá por concurso de oposición con arreglo al R. D. C. de 27 de junio de 1867, correspon-

diendo al Patronato presentar al Prelado la persona que elija de entre las propuestas en terna por el Tribunal examinador.

Art. 3.° La provisión de las Canonjías de oficio se hará en la forma establecida para las demás Iglesias Colegiales de España.

Art. 4.° Los beneficios de oficio se proveerán con arreglo a lo dispuesto en la R. O. de 16 de mayo de 1852.

Art. 5.° La mitad de las Canonjías y Beneficios de gracia se proveerán por oposición con arreglo al R. D. de reinstauración de la Colegiata y al de 6 de diciembre de 1888. La primera vacante que exista u ocurra después de esta fecha corresponderá a la oposición; la segunda al turno de gracia, y así en lo sucesivo.

Art. 6.° Toda Canonjía o Beneficio provisto por oposición deberá proveerse siempre en la misma forma, cualquiera que sea la razón por que vaque.

Art. 7.° Para la provisión de las vacantes no reservadas a la oposición, presentará el Patrono al Prelado persona que reúna las condiciones que exige el R. D. C. de 20 de abril de 1903.

Art. 8.° A las Canonjías o a los Beneficios que se provean por oposición podrán imponerse cargas especiales, que señalará el Prelado, oyendo al Cabildo de la Colegiata y atendiendo a la necesidad y utilidad de la Iglesia.

Art. 9.° El Tribunal para las Canonjías y Beneficios de oposición lo constituirán el Ordinario diocesano o su representante, el Abad de la Colegiata y un Canónigo de oficio, designado por el Patrono.

Art. 10. Los ejercicios a las Canonjías serán los mismos que se practican en los concursos a las actuales de oficio; y para los Beneficios lo serán los usados en concursos a parroquias; pero cuando lleven anejo un cargo especial, se añadirá un ejercicio adecuado sobre las materias relativas a dicho cargo.

Art. 11. En vista del resultado de toda oposición a Canonjía o Beneficio, formará el Tribunal la terna procedente, que comunicará al Patrono, a fin de que presente al Prelado para el cargo vacante, la persona que elija de entre las comprendidas en dicha terna.

Art. 12. Las precedentes reglas se aplicarán a la provisión de la vacante existente en la actualidad y cuya oposición se halla anunciada.

Art. 13. Todos los demás extremos relativos a la provisión de piezas eclesiásticas en la Iglesia Colegial de Gandía, se regirán por lo dispuesto en los R. D. C. de 6 de diciembre de 1888 y 20 de abril de 1903 y disposiciones concordantes, con la sola limitación de corresponder al patronato activo de la Casa Ducal de Gandía el ejercicio de los derechos que en los mencionados decretos se reconocen al Patronato de la Corona.

De Real Orden lo digo a V. E. para su conocimiento y efectos consiguientes. — Dios guarde a V. E. muchos años. — *Madrid, 18 de julio de 1917.* — Manuel Burgos y Mazo. — Rubricado. — Sr. Arzobispo de Valencia.

Boletín eclesiástico del Arzobispado de Valencia, 1917, *págs.* 291-295.

FIN DEL TOMO PRIMERO

INDEX

Pag.

PRAEFATIO. VII
COMMISSIO CARDINALICIA SIVE CONSILIUM PERMANENS AD CODICIS INTERPRETATIONEM. IX

LIBER PRAEVIUS

INTRODUCTIO DOCTRINALIS ET HISTORICA (1)

TITULUS I Doctrinalis introductio. 1
Caput I. De natura juris canonici. 1
Articulus I. De Institutionibus canonicis. 1
Art. II. De jure in genere 3
Art. III. De natura juris canonici. 4
Art. IV. Juris canonici praestantia. 6
Art. V. Juris canonici fontes, scripta de hac materia. 6
Art. VI. Scientiae juris canonici subsidiariae. 8
Cap. II. De Ecclesia catholica. 9
Art. I. Ejus origo, natura et potestas (2). 9
Art. II. Ecclesia ut juridica societas perfecta. 11
Art. III. Ecclesia et societas civilis. 14
Art. IV. De regalismo. 16
TIT. II. Historica introductio de veteribus collectionibus et de Codice recentiore. 18
Cap. I. De necessitate collectionum legum ecclesiasticarum. 18
Cap. II. De diversis collectionum generibus. 19
Cap. III. Veteres collectiones quae ante Gratiani Decretum editae sunt. 20
Cap. IV. De opere *Corpus juris canonici*. 21
Art. I. Decretum. 21
Art. II. Collectiones Decreto posteriores, quibus Decretalium codex praeparatus est. 22

Pag.

Art. III. Decretales. 23
Art. IV. Sextus Decretalium. 25
Art. V. Clementinae. 25
Art. VI. Extravagantes. 26
Art. VII. Juridicus valor peculiaris singularum compilationum *Corporis juris*. 26
Art. VIII. Appendices ad *Corpus juris*. 28
Art. IX. De allegationibus textus *Corporis juris*. 28
Cap. V. Tentamina novas collectiones authenticas conficiendi. 30
Art. I. Septimus Decretalium. 30
Art. II. Bullarium Benedicti XIV. 31
Cap. VI. Novi Codicis necessitas. 31
Cap. VII. Quantum fuerit commune Codicis desiderium. 32
Cap. VIII. De Codice juris canonici redigendo decretum Pii X. 33

LIBER I

Normae generales (c. 1-86).

TITULUS PRAEVIUS. — De natura et efficacia Codicis canonici. 36
Cap. I. De natura Codicis canonici. 36
Art. I. Codicis canonici praestantia. 36
Art. II. Codicis promulgatio ejusque divisio. 38
Cap. II. Codicis juris canonici efficacia juridica. 39
Art. I. Professio Fidei et juramentum contra Modernismum. 40
Art. II. Codex et Ecclesia orientalis. 40
Art. III. Codex et leges liturgicae. 41
Art. IV. Codex et Concordata. 41
Art. V. Jura quaesita, privilegia et Sanctae Sedis indulta. — Consuetudines. 44
Art. VI. Codex et disciplina vigens tempore quo ipse promulgatus est. 45
Art. VII. Significatio vocis «Sedes Apostolica» seu «Sancta Sedes». 46
TIT. I. *De legibus ecclesiasticis* (c. 8-24). 46
Cap. I. De natura et proprietatibus legis. 46

(1) Lemmata sive inscriptiones librorum, titulorum, etc., quae litteris sive italicis sive nigrioribus scripta hic sunt, in Codice ipso reperiuntur. Reliqua nos induximus perspicuitatis gratia ad materiam explicandam.

(2) Inscriptio hujus articuli praetermissa est in textu.

Pag.

Cap. II. De promulgatione legum ecclesiasticarum. 49
Art. I. De promulgationis necessitate. 49
Art. II. Regalistarum theoriae circa promulgationem legum ecclesiasticarum. 50
Art. III. Jus consuetudinarium Ecclesiae in legibus promulgandis. 51
Cap. III. De auctore legis seu de legislatore. 53
Cap. IV. De objecto et subjecto legis. 55
Art. I. De objecto legis. 55
Art. II. De subjecto legis. 56
Cap. V. De interpretatione legis. 59
Cap VI. De cessatione legis et praecepti. 60
Tit. II. *De lege non scripta seu de consuetudine* (c. 25-30). 61
Tit. III. *De temporis supputatione* (c. 31-35). 64
Tit. IV. *De rescriptis* (c. 36-62). 66
Tit. V. *De privilegiis* (c. 63-79). 70
Tit. VI. *De dispensationibus* (c. 80-86). 72
Cap. I. De potestate dispensandi. 72
Cap. II. De causis ad dispensandum requisitis. 74
Cap. III. De interpretatione et cessatione dispensationis. 76

LIBER II

De personis (c. 87-725).

Titulus praevius. — Notiones generales. 77
Cap. I. Quinam in Ecclesia personae sint. 77
Cap. II. Personae ratione aetatis. 78
Cap. III. Personae ratione loci. 79
Cap. IV. Personae ratione cognationis. 79
Cap. V. Personae ratione ritus. 81
Cap. VI. Personae morales, earumque actus. 82
Cap. VII. Superior ubi aliorum consensu aut consilio indiget. 85
Cap. VIII. Personae ratione praecedentiae. 86
Cap. IX. Personarum divisio fundamentalis in clericos et laicos. 87

PARS I

De clericis (c. 108-486).

Sectio I. — *De clericis in genere* (c. 108-214).

Titulus praevius. — Quinam sint clerici, et quid hoc nomine «hierarchia ecclesiastica» significetur. 88
Tit. I. *De clericorum adscriptione seu incardinatione alicui dioecesi* (c. 111-117). 90
Tit. II. *De clericorum juribus et privilegiis* (c. 118-123). 91
Cap. I. De potestate clericis exclusive attributa ac de privilegio canonis. 91
Cap. II. De privilegio fori. 93
Art. I. De natura hujus privilegii. 93
Art. II. Quae sit fori ecclesiastici et ceterarum immunitatum ratio. 94
Art. III. Auctoritatis ecclesiasticae licentia. 95
Art. IV. Quinam foro ecclesiastico gaudeant. 96
Art. V. Quibus in nationibus requiritur licentia, et in quibus aliis eam Concordatum concedit. 96
Cap. III. Exemptio a servitio militari et ab aliis publicis officiis. 98
Cap. IV. Beneficium competentiae. 99
Cap. V. Privilegiorum clericalium renuntiatio, amissio et recuperatio. 100
Tit. III. *De obligationibus clericorum* (c. 124-144). 100
Cap. I. Vitae sanctitas. 100
Cap. II. Reverentia et obedientia erga Praelatum. 101
Cap. III. Studia. 101
Cap. IV. Caelibatus ecclesiasticus. 103
Art. I. Ejus natura. 103
Art. II. Media ad caelibatum faciliorem et digniorem reddendum. 104
Cap. V. Officium divinum, habitus clericalis, tonsura, etc. 104
Cap. VI. Reliqua quae ipsis prohibita sunt. 105
Tit. IV. *De officiis ecclesiasticis* (145-195). 108
Cap. I. *De provisione officiorum ecclesiasticorum* (c. 147-182). 108
Art. I. *De libera collatione* (c. 152-159). 109
Art. II. *De electione* (c. 160-178). 111
Art. III. *De postulatione* (c. 179-182). 115
Cap. II. *Modi quibus ecclesiastica officia amittuntur* (c. 183-195). 116
Cap. III. De officii renuntiatione. 117
Cap. IV. De privatione et translatione. 118
Tit. V. *De potestate ordinaria et delegata* (c. 196-210). 119
Tit. VI. *De reductione clericorum ad statum laicalem* (c. 211-214). 123

Pag.

SECTIO II. - *De clericis in specie* (c. 215-486).

TIT. VII. *De suprema potestate deque iis qui ejusdem sunt ecclesiastico jure participes* 126
Cap. I. *De Romano Pontifice* (c. 218-221). 126
Art. I. De Romani Pontificis potestate. 127
Art. II. Romani Pontificis electio. 129
Art. III De veto seu exclusiva in electione Romani Pontificis. 133
Art. IV. De temporali Summi Pontificis supremo dominio. 137
Cap. II. *De Concilio Oecumenico* (c. 222-229). 138
Cap. III. *De Cardinalibus* (c. 230-241). 142
Art. I. Eorum origo. 142
Art. II. Triplex Cardinalium Ordo. 143
Art. III Cardinalium creatio. 146
Art. IV. Cardinalium residentia. 151
Art. V. Cardinalium privilegia. 152
Art. VI. Cardinalium potestas 154
Art. VII. De cardinalitiis ornamentis et titulis honoris. 155
Cap. IV. *De Curia Romana* (c. 242-264). 156
Art. Praevius.—Ejus notio et historia: principia de modo in ea procedendi. 156
Art. I. *De Congregationibus* (c. 246-257). 160
I. Congregatio Sancti Officii. 161
II. Sacra Congregatio Consistorialis. 163
III. Congregatio de disciplina Sacramentorum. 164
IV. Sacra Congregatio Concilii. 167
V. Sacra Congregatio de Religiosis. 168
VI. Sacra Congregatio de Propaganda Fide. 169
VII. Sacrorum Rituum Congregatio. 170
VIII. Sacra Congregatio Caeremonialis. 171
IX. Sacra Congregatio pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis. 172
X. Sacra Congregatio de Seminariis et Universitatibus studiorum. 172
XI. Congregatio pro Ecclesia Orientali. 173
Art. II. *De Curiae Romanae tribunalibus* (c. 258-259). 173
I. Sacra Poenitentiaria. 174
II. Rota Romana et Signatura Apostolica. 175

Pag.

Art. III. *De Curiae Romanae Officiis* (c. 260-264). 175
I. Cancellaria Apostolica. 176
II. Dataria Apostolica. 179
III. Camera Apostolica. 179
IV. Secretaria Status. 180
V. Secretaria Brevium ad Principes. 181
VI. Secretaria Epistolarum latinarum. 181
Cap. V. *De Romani Pontificis Legatis* (c. 265-270). 181
Art. I. Jus Romani Pontificis in Legatis mittendis. 181
Art. II. Legatorum species diversae. 182
Art. III. Veteres Legati nati. 185
Cap. VI. *De Patriarchis, Primatibus et Metropolitanis* (c. 271-280). 185
Art. I. De Patriarchis. 185
Art. II. De Primatibus. 188
Art. III. De Metropolitanis seu Archiepiscopis. 189
Art. IV. De palii usu et auctoritate. 191
Cap. VII. *De Conciliis plenariis et provincialibus* (c. 281-292). 193
Art. I. Quae propria sunt Concilii plenarii. 193
Art. II. Quae propria sunt Concilii provincialis. 194
Art. III. Quae utrique communia sunt. 195
Cap. VIII. *De Vicariis et Praefectis Apostolicis* (c. 293-311). 197
Cap. IX. *De Administratoribus Apostolicis* (c. 312-318). 203
Cap. X *De Praelatis inferioribus* (c. 319 328). 204
Cap. XI. De Praelatis inferioribus in Hispania. 207
Art. I. Prioratus Ordinum militarium in Hispania. 208
Art. II. Jurisdictio palatina hispana. 209
Art. III. Jurisdictio castrensis hispana. 210
TIT. VIII. *De potestate episcopali deque iis qui de eadem participant* (c. 329-486). 213
Cap. I. *De Episcopis* (c. 329-349). 213
Art. I. Gradus et potestatis episcopalis origo. 213
Art. II. Episcoporum nominatio. 215
Art III. Episcoporum qualitates. 217
Art. IV. Institutionis canonicae necessitas.—Possessio. 219
Art. V. Episcoporum jura et officia generalia. 220
Art. VI. Residentia et Missa *pro populo* 221
Art. VII. De visitatione *ad Limina*. 222
Art. VIII. Pastoralis visitatio. 226

Pag.

Art IX. Episcoporum praecedentia et privilegia. 227
Cap. II. *De Coadjutoribus et auxiliaribus Episcoporum* (c. 350-355). 228
Cap. III. *De Synodo dioecesana* (c. 356-362). 230
Cap. IV. *De Curia dioecesana* (c. 363-390). 232
Art. I. *De Vicario Generali* (c 366-371). 233
Art. II. *De Cancellario aliisque notariis, necnon de archivo* (c. 372-384). 236
Art. III *Examinatores synodales et parochi consultores* (c. 385-390). 239
Cap V. *De capitulis canonicorum* (c. 391-422). 242
Art I. Notio, divisio. erectio, suppressio. 242
Art. II. Capitulorum constitutio. 243
Art. III. Hispanorum Capitulorum constitutio. 244
Art. IV. Numerus canonicorum in singulis Capitulis. 245
Art. V Distributiones quotidianae. 246
Art. VI. De dignitatum ac praebendarum provisione. 248
a) Disciplina generalis. 248
b) Disciplina hispana. 249
Art. VII. Jura, officia et qualitates canonicorum. 252
Art. VIII Canonici honorarii. 254
Art. IX. Canonicorum praecedentia. 255
Art. X. Vestis canonicalis: ubi eadem deferri possit aut debeat. 256
Art. XI. De statutis capitularibus. 256
Art. XII. De conventibus capitularibus. 257
Art. XIII Relationes inter Capitulum et parochum ubi ecclesia capitularis est paroecialis. 257
Art. XIV. Servitium chori. 258
Art. XV. Vacationes. 259
Art. XVI. Absentia a choro et distributiones. 261
Art. XVII. Jubilatio. 264
Cap. VI. *De dioecesanis consultoribus* (c. 423-428). 265
Cap. VII. *De sede impedita aut vacante et de Vicario Capitulari* (c. 429-444). 267
Art. I. De sede impedita. 267
Art. II. De sede vacante. 268
Art. III. De Vicario Capitulari. 268
Cap. VIII *De vicariis foraneis seu archipresbyteris* (c. 445-450). 273
Cap. IX. *De parochis* (c. 451-470). 274
Art. I. Parochus. 274
Art. II Paroecia. 275
Art. III. Paroeciae mozarabicae hispanae. 276

Pag.

Art. IV. Origo historica paroeciae. 277
Art. V. Parochi qualitates — Amovibiles et inamovibiles parochi. 279
Art. VI. Parochorum nominatio et institutio 280
Art. VII. Concursus paroeciales: concursus speciales. 281
Art VIII. Concursus generales: propositiones successivae, etc. 283
Art. IX. Caput in disciplina hispana difficile. 284
Art. X. Appellationes. 286
Art. XI. Praelati *nullius* et provisio parochiarum: mutatio magnopere notanda. 289
Art. XII. Parochus unicus, functiones reservatae, emolumenta, exemptiones. 290
Art. XIII. Parochi residentia et vacationes. 291
Art. XIV. Aliae parochi obligationes. 292
Cap. X. *De vicariis paroecialibus* (c. 471-478). 296
Art. I. Vicarius communitatis habitu curam habentis. 296
Art. II. Vicarius oeconomus. 297
Art. III. Vicarius substitutus. 298
Art. IV. Vicarius adjutor seu regens. 298
Art V. Vicarii cooperatores. 299
Art. VI. Vicariorum paroecialium remotio et praecedentia. 300
Cap. XI. *De rectoribus ecclesiarum* (c. 479 486). 300

PARS II

De Religiosis (c. 487-681).

Titulus praevius — Notiones et principia generalia. 303
Cap. I. Notiones generales de statu et personis religiosis 303
Cap. II. Status religiosi origo et evolutio. 304
Cap. III. Vota solemnia et simplicia, professio solemnis et simplex. 305
Art. I. Solemnium et simplicium votorum natura. 305
Art. II. Professio solemnis et professio simplex. 306
Art. III. Notae historicae. 307
Art. IV. Solemnitas votorum est institutionis ecclesiasticae. 308
Cap. IV. Ordines mendicantes, contemplativi, etc. 309
Cap. V. Regulae et constitutiones. — Religiones feminarum. Praecedentia. 310
Tit. IX. *De erectione et suppressione religionis, provinciae, domus* (c. 492-498). 311

Pag.

Cap. I. Religionis erectio seu fundatio. 311
Cap. II. Congregationum indoles dioecesana. — Nomen et habitus. 313
Cap. III. Suppressio alicujus religionis: dispositio de ipsius bonis. 314
Cap. IV. Provinciarum erectio, divisio, etc. 314
Cap. V. Domorum erectio et suppressio. 315
Cap. VI. De religiosis domibus in Hispania erigendis. 316
Tit. X. *De religionum regimine* (c. 499-537). 318
Cap. I. *De Superioribus et de Capitulis* (c. 499-517) 318
Art. I. De religiosis respectu Superiorum qui de religione ipsa non sunt. 318
Art II. Natura et amplitudo potestatis Superiorum religiosorum. 318
Art. III. Qualitates Superiorum, eorumque muneris duratio. 319
Art. IV. Electiones. 319
Art. V. Superiorum officia. 322
Art. VI. Ordinarius loci et visitatio religiosarum. 323
Art. VII. Visitatoris jura et officia. 323
Art. VIII. Viaticum, Extrema Unctio. exequiae. 324
Art. IX. Tituli honorifici apud religiosos. 324
Art. X. Consultores — oeconomus — procurator generalis. 325
Cap. II. *De confessariis et cappellanis* (c. 518-530). 325
Art. I. Confessarii in religionibus clericalibus. 325
Art. II. De confessariis religiosarum. 327
Art. III. Qualitates confessarii religiosarum. ejus nominatio, muneris duratio, et remotio. 329
Art. IV. Confessarii et cappellani in laicalibus virorum religionibus. 330
Art. V. Conscientiae manifestatio. 331
Cap. III. *De bonis temporalibus eorumque administratione* (c. 531-537). 331
Tit. XI. *De admissione in religionem* (c. 538-586). 334
Cap. I. *De postulatu* (c. 539-541). 335
Cap. II. *De novitiatu* (c. 542-571). 336
Art. I. *Requisita ad admissionem. — Peculiaria cujusque Instituti* (c. 542-552). 336
Art. II. *De novitiorum institutione* (c. 553-571). 341
Cap. III. *De professione religiosa* (c. 572-586). 346
Art. I. Requisita in professione servanda. 346

Pag.

Art. II. Jura et officia professi a votis temporariis. 347
Art. III. Professionis natura et effectus. 348
Art. IV. Professionis nullitas. Ejus convalidatio 350
Tit. XII. *De ratione studiorum in religionibus clericalibus* (c. 587-591). 350
Tit. XIII. *De obligationibus et privilegiis religiosorum* (c. 592-631). 352
Cap. I. *De obligationibus* (c. 592-612). 352
Art. I. Obligationes generales. 352
Art. II. Superiores et bonum spirituale subditorum. 353
Art. III. Habitus et clausura in genere. 354
Art. IV. Clausura papalis. 355
Art. V. Clausura disciplinaris et episcopalis. 357
Art. VI. Relationes religiosorum cum Ordinariis et parochis. 358
Art. VII. De obligatione chori. 359
Art. VIII. De libertate subditorum et Superiorum inter se communicandi. 360
Cap. II. *De religiosorum privilegiis* (c. 613-625). 360
Art. I Quibus gaudeant privilegiis et ad quem spectent. 360
Art. II. De privilegio exemptionis. 361
Art. III. Quibus non competit. 361
Art. IV. Religiosi et «indulta» Ordinarii 362
Art. V. Religiosi et facultas eleemosynam petendi. 362
Art. VI. Abbates quibus danda benedictio. 363
Cap. III. *De obligationibus et privilegiis religiosorum qui ad ecclesiasticam dignitatem promoventur, aut qui paroeciam regunt* (c. 626-631). 364
Tit. XIV. *De transitu ad aliam religionem* (c. 632-636). 366
Tit. XV. *De egressu e religione* (c. 637-645). 367
Tit. XVI. *De dimissione religiosorum* (c. 646-672). 370
Cap. I. *De dimisione religiosorum qui vota «temporaria» nuncuparunt* (c. 647-648). 371
Cap. II. *De dimissione religiosorum qui vota «perpetua» nuncuparunt in religione clericali «non exempta» vel in religione laicali* (c. 649-653). 372
Cap III. *De processu judiciali in dimissione religiosorum qui vota perpetua, sive solemnia sive simplicia, nuncuparunt in religione clericali exempta* (c. 654-668). 373
Cap. IV. *De religiosis dimissis qui vota perpetua nuncuparunt* (c. 669-672). 376

Pag.

Tit XVII. *De societatibus sive virorum sive mulierum in communi viventium sine votis* (c. 673-681). 378

PARS III

De laicis (c. 682-725).

Tit. XVIII. *De fidelium associationibus in genere* (c. 684-699). 381
Cap. I. Principia generalia. 381
Cap. II. De associationum erectione. 382
Art. I. Erectio ab Ordinario facta. 382
Art. II. Erectiones religiosis Ordinibus reservatae. 383
Art. III. Conditiones quibus regulares in erigendis associationibus propriis subjiciuntur. 385
Cap. III. Associationum statuta. 386
Cap. IV. Episcopus quatenus associationum visitator est. 386
Cap. V. De associationum bonis. 387
Cap. VI. De admissione in associationes. 388
Cap. VII. De associatorum expulsione. 390

Pag.

Cap. VIII. De associationum coetibus. 391
Cap. IX. De associationis moderatore et cappellano. 391
Cap. X. De associationum suppressione. 392
Tit. XIX. *De fidelium associationibus in specie* (c. 700-725). 393
Cap. I. *De tertiariis saecularibus* (c. 702-706). 394
Cap. II. *De confraternitatibus et piis associationibus* (c. 707-719). 396
Art. I. Principia generalia. 396
Art. II. De loco erectionis confraternitatum et piarum unionum. 398
Art. III. Confraternitates a regularibus fundatae. 398
Art. IV. De confratrum comitiis seu coetibus. 399
Art. V. Relationes inter parochum et confraternitatem. 400
Art. VI. Confraternitatum translatio. 400
Cap III. *De archiconfraternitatibus et unionibus primariis* (c. 720-725). 402
Apendice I. 404
» II. 406
» III. 407
» IV. 412

OMISSUM

	Dicit	Lege
pag. 105 lin. 38	Nequeunt etiam inire	Nequeunt etiam absque licentia sui Ordinarii inire

E. SUBIRANA EDITOR LIBRERO PONTIFICIO PUERTAFERRISA, 14 CASA FUNDADA EN 1845 APARTADO Nº 203 BARCELONA

ENSEÑANZAS PRÁCTICAS DEL EVANGELIO

SACADAS DE LAS OBRAS DE SAN AGUSTÍN

POR EL

P. ANTONINO M. TONNA-BARTHET

Como hay quien desempolva las grandes obras de nuestros escritores clásicos, y con ellas trata de desinfectar el ambiente literario y renovar el espíritu de la lengua, también el P. Tonna-Barthet propónese, en este **libro agustiniano,** conducir al pueblo fiel a las ricas fuentes del más grande de nuestros *clásicos* cristianos (si se permite la palabra), apartándolo de cisternas vacías o de aguas flojas.

San Agustín vulgarizado en su mismo texto: he aquí la finalidad de esta obra. Hasta ahora el arca de sus inmensos tesoros espirituales estaba cerrada para quien no poseyese la lengua latina y cierta cultura teológica; desde hoy, una parte muy selecta de sus escritos devotos estará al alcance de todas las fortunas intelectuales.

Para esto el P. Tonna-Barthet ha ido espigando, principalmente de entre los escritos homiléticos y oratorios del Santo Doctor, fragmentos y sentencias de carácter moral y práctico; y, agrupándolos alrededor de aquellos trozos del Evangelio que tienen mayor valor, podríamos decir, representativo tanto en sentido histórico como doctrinal, ha formado con ellos una especie de **comentario que encierra en sí la esencia de la moral y ascética cristianas.**

De tan grande Maestro podrán oir la voz iluminadora aun las personas no avezadas al lenguaje teológico ni dispuestas a escuchar abstrusos razonamientos. Porque San Agustín, como celoso pastor de almas, descendía de las altas cimas especulativas, a fin de hacerse todo para todos, cuando predicaba a sus fieles la divina palabra. Entonces se le siente abrasado de divina caridad, y, aunque procura con ahinco no traspasar la capacidad de los oyentes, no siempre puede ocultar la fulguración del genio, y prorrumpe de cuando en cuando en esas sublimes sentencias que han pasado a ser patrimonio popular de la Iglesia. Ninguna ha quedado aquí olvidada.

Este libro, pues, compónenlo el **Evangelio,** y **comentarios o enseñanzas originales de San Agustín.** Nada mejor podemos decir en su elogio. Por eso el P. Tonna-Barthet merece plácemes sinceros por su paciente y fructuosísima labor, y una dilatada propagación de la misma, que tomarán muchos como lectura espiritual predilecta.

Dos tomos en 8.°, **5'50 ptas.** en rústica y **7** en tela.

PRÁCTICA Y DOCTRINA

DE LA DEVOCIÓN AL

SAGRADO CORAZÓN DE JESÚS

PARA USO DEL CLERO Y DE LOS FIELES

POR EL

Padre A. VERMEERSCH

DE LA COMPAÑÍA DE JESÚS

Traducción por el

Padre ANTONIO VILADEVALL

DE LA MISMA COMPAÑÍA

El nombre ilustre del P. Vermeersch, insigne canonista y teólogo, y la alta estima y calurosos elogios que esta obra, de gran solidez doctrinal y de religiosa piedad, ha merecido de la crítica imparcial, son la mejor recomendación. En efecto: no hay en ella melindres sentimentalistas; ni difusiones vacías, ni palabras hueras, sino que todo es alimento substancial del espíritu, todo va fundado en la Escritura y en la más severa doctrina teológica.

La primera parte, que es la práctica, porque cree el autor que será la más frecuentemente consultada, incluye aquellos múltiples y variados ejercicios en que ha ido concretándose la devoción al Sagrado Corazón de Jesús, insistiendo de un modo especial en las meditaciones, actos de consagración, mes del Sagrado Corazón, oraciones vocales, apéndices documentales, etc.

En la segunda parte muestra el autor sus profundos conocimientos teológicos, desarrollando magistralmente las cuestiones acerca del *objeto* de la devoción al Sagrado Corazón, un comentario de *las letanías* del Sagrado Corazón y, sobre todo, una definitiva explicación de la *Gran Promesa*, parte esta última especialmente interesante para los sacerdotes y las personas que tengan que sostener una discusión teológica.

Recomendamos esta obra al clero todo, en especial a los predicadores, que encontrarán aquí un arsenal de doctrina; a los párrocos, para las meditaciones del mes de junio; a los seminaristas, para formar su espíritu, y a todos los fieles cristianos amantes de una piedad sólida y fervorosa.

La edición, inmejorable, como salida de la acreditada casa Subirana.

(De *Reseña Eclesiástica*).

Dos tomos en 8.º menor, **4'50 ptas.** en rústica y **6** en tela.

260.8
F349

Ferreres, Joannis

Institutiones Canonicae

Tomus I

DATE	ISSUED TO

260.8
F349